BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
165
A
2
NAPOLI



Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

Digitized by Google

DE AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS

DISSERTATIO

MICHAELIS TAFURI

EX COMITIBUS WIRTIMBERGÆ

SANCTISSIMO DOMINO

BENEDICTO XIV.

URBIS ATQUE ORBIS EPISCOPO

Romanæ Provinciæ Metropolitæ
Italiæ Primati.

Occidentali, & Univerſali Patriarchæ
Eccleſiæ Catholicæ Pontifici Maximo

INSCRIPTA:

BIBLIOTECA NAZIONALE

BONONIÆ MDCCXL.

BEATISSIME PATER.

NEſcio quo meo fato factum eſſe dicam, ut idem dies, & Diſſertationis finem de Auctoritate Romani Pontificis inſtitutæ, & lætiſſimum Tui Pontificatus nuncium attulerit. Referendum ſane hoc eſt acceptum Summo Dei immortalis beneficio, cujus Numine, tanta huic opuſculo jamdudum Sanctæ Sedi, & Pontifici, devoto, divinitus fortuna eſt adjuncta, ut BENEDICTO XIV. inſcriberetur, in quo ſumma rerum Divinarum Scientia, ſummum ingenium ad præ-

clara quæque factum, cum omnibus Pontificiis virtutibus conjunguntur. Et profecto, licet univerſi, qui variis temporibus perpetuo ordine, Pontifices Chriſtianam Rempublicam geſſerunt, clariſſima ſemper virtutum exempla ediderint; paucos tamen numerare poſſumus, in quos ſumma omnia fuerint congeſta. Fuit id Tibi Beatiſſime Pater proprium, ut Te ipſa natura fingeret ad Comitatem, Gravitatem, Caritatem, Magnitudinem animi, Juſtitiam, ad omnes denique virtutes, magnum hominem, & excelſum, ut non factus ipſe, ſed natus ad Pontificatum, vel par exiſteres Deceſſoribus Pontificibus, quorum opera Eccleſiæ dignitas eſt illuſtrata; vel potius antiquitatis memoriam, longo intervallo, ſuperares. Plura dicere hic prohibet animi tui Moderatio, tuarum adminiſtra, comeſque virtutum: Sed quamvis Ego meo ſilentio, Modeſtiæ, quæ tua eſt, obſecundem; nullus tamen populus, nulla gens, nulla ora tam deſerta quo fama pervaſit, Te ſacro frequentiſſimo Comitiatu Pontificem fuiſſe renunciatum, de tuis laudibus conticeſcit; omneſ-

que

que uno ore, Te ad gloriam, decus, ornamentum Eccleſiæ prædicant, non ex hominibus aſſumtum, ſed veluti e Cœlo delapſum. Nunc hoſtes quoque Romani nominis, in Te intuentes, incipiunt credere, fuiſſe olim Pontifices ſumma virtute, maximaque ingenii vi præditos, eoſque ad tantum dignitatis gradum, qui propius ad Deum accedit, Chriſtianis virtutibus, & ſcientiis univerſis fuiſſe evectos. Nunc noſtræ Eccleſiæ ſplendor, illis gentibus errorum tenebris circumfuſis, lucet. Quæ cum ita ſint, præclariſſime, arbitror, mecum fuiſſe actum Beatiſſime Pater, quod maximo tuo Nomini, hoc, quicquid eſt, opellæ nuncuparim: & fore confido ut felicibus principiis, fauſta omnia reſpondeant. Etenim ſi a viris Principibus ſummam inierunt gratiam Auctores, qui Regnorum jura ſcriptis ſuis defenderunt, ac vindicarunt: in ſpem firmiſſimam ingredior, Te Pontificem Maximum, Auctoritatis Pontificiæ Aſſertoris ſcripta, præſertim cum in lucem ſub Tuis auſpiciis edantur, non omnino improbaturum: Sic autem erit, ut ipſa, qua de-

ſti-

ſtituuntur a Scriptoris tenuitate, elegantiam, Te Duce adepta; & procacium hominum maledicta, Te vindice, vitare videbuntur. Tuum igitur erit Beatiſſime Pater, hoc qualecunque noſtri exilis ingenii munus, benigno animo excipere; Tecumque ſtatuere, hanc voluntatis in Te noſtræ, & Summi in Apoſtolicam Sedem obſequii, minimam, ſed veram eſſe ſignificationem. Vale interea; Teque ipſum votis, ac lacrymis omnium ordinum expetitum incolumem longiſſime ſerva ad Eccleſiæ præſidium, ad Pontificiæ Auctoritatis exemplar, ad virtutum decus, ad noſtræ denique ætatis gloriam, & nomen ſempiternum.

PRO-

PROŒMIUM.

ETSI tantam, tamque difficilem materiam, & ſapientiorem virum requirere, & prudentioris ingenii vim flagitare, nos ipſi fateamur: hæc tamen omnia nullum nobis negotium faceſſere, nec animum a ſcribendo, neſcio quo pacto, videntur deterere. Satius enim duximus illis, qui aliorum oblatrare ſcriptis hac ætate ſolent videri nimis ardua eſſe conati, quam hac in re operam deſiderari noſtram. Aſſiduus labor, & ſtudium tenuitatem ingenii ſupplere poſſunt; neque, cum hæc ſpes nos fallat erit ſine operæ pretio quicquid eſt a nobis inſtitutum. Hæc enim Diſſertatio, quæcunque futura erit, illorum medebitur cœcitati, qui, & ſibi plaudere videntur, cum maledictis Romanos Eccleſiæ Univerſæ Pontifices petunt; & eorum deteget, ut ſperamus, fallaciam qui inſipientium horum hominum Romanique nominis hoſtium, ſcripta extollunt, ſummiſque in dies laudibus cumulant. Qua in re dum nimis ſapientes videri ſtudent, inſipientiſſimi cognoſcuntur, Chriſtianoque nomine abutuntur, plurimum illis deferentes, quorum opiniones Catholicæ Eccleſiæ infenſiſſimæ nonniſi igne expurgari poſſunt, atque deleri. At vero nos qui Catholici dicimur, & ſumus, quantum in nobis ingenii Divinum Numen poſuit, Eccleſiæ addiximus, & Poteſtati ejus in Terris Vicarii, nec alia dicere, nec alia ſapere deſideramus, niſi ea, quæ Catholicum hominem, & Sanctæ Sedi in omnibus obſequentem decent. Et profecto quanquam frequentes cunctis temporibus Scriptores de Pontificis Maximi auctoritate, fuerint, & noſtra ætate præſertim ſapientiſſimi viri ad hanc

ma-

materiam tractandam animum appulerint; de eadem tamen ſcribere, niſi neceſſe, ſaltem utile eſſe putavimus. Sed nec ad laudem comparandam, nec ut aliis animi cupiditatibus indulgerem, me id oneris ſuſcepiſſe, hoc in limine, velim omnibus eſſe perſuaſum. Huc potius me volentem adegit, vehemens veritatis patefaciendæ deſiderium; quæ licet hac in re, tenebris a multis offuſa, & oppugnata, inter oppugnationes magis magiſque confirmatur, & inter tenebras clariorem ſuum lumen effundit. Ex perenni Divinæ Sapientiæ fonte, ejus aquæ ſurgunt, profluuntque quas, quicunque haurit, æternam immortalemque vitam conſequitur, ut ſcriptum eſt apud Joannem: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Etſi enim nonnulli, in illis perturbandis, omnes vires intenderint: eædem tamen aquæ, ex æterni Solis radiis, puritatem ſuam receperunt iiſdem perturbatoribus, vel invitis, teſtantibus. Quod facilius cognitum illis fuit, qui cum ſe doctrinæ penitus dediſſent, ut Lactantius in Præfat. Inſtitut. ſcripſit „ quidquid laboris poterat im- „ pendi, contemtis omnibus publicis, ac privatis actioni- „ bus ad inquirendæ veritatis ſtudium contulerunt, exiſti- „ mantes multo eſſe præclarius Divinarum, ac humana- „ rum rerum inveſtigare, ac ſcire rationem, quam aut „ ſtruendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere; „ quibus rebus, quoniam fragiles, terrenæque ſunt ad ſo- „ lius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo ju- „ ſtior fieri poteſt. „ Nec ſubtili ad hanc rem interpretatione opus fuit, quod clariſſime ex ſe veritas oſtenditur, & ab hominum calliditate, ut Cicero pro Cœlio ait, facile per ſe ipſa vindicatur. At vero, quoniam Antonius Abbas dicebat: *abolita eſt veritas, & mendacium in terris prævaluit*; mirum non eſt, ſi multi non minus ſint ad veritati conſentiendum duri, quam ad eam perſequendam acuti. Nec vero quiſquam dicere auſit: nullam illius habere cognitionem: cum non minus, veritas, acutas Philoſophorum mentes pervaſerit Pythagoræ nempe, Epimenidis Anaſſarchi, Platonis, aliorumque, in quorum reſponſis, atque

libris

libris veritas clariſſimè elucet: ſed vel rudes homines, & Barbari, illam maximi habendam judicarunt, ut ſimulacra ad ejus honorem erecta, & cetera monumenta teſtantur. Hæc autem veritas nulla alia ratione a multis aſpernatur, niſi quod ejus lumine nefaria ſcelera pateſcant, multorumque inſaniſſimæ cupiditates dignoſcantur, quamobrem dantibus blandiuntur, non dantibus oblatrant, ut Laërtius refert Diogenem Alexandro Magno reſpondiſſe. Itaque non in illam ſolum innumeris mendaciis invehuntur, ſed contra illos quoque, qui eorum nituntur cæcitatem oſtendere. Sed veritas, ut Chriſoſtomi verbis utar, *nullum timet periculum, nullas inſidias tremit, ac nullam deſiderat multitudinis gloriam*. Et ſane homines plerique tanquam eximia autumant, quæ blanditionibus, livoribusve plena, ſæpius fuere a nonnullis edita, omnia in peſſimam partem intelligentibus, ad ſuaſque inſanias detorquentibus. Quid? quod nonnulli per summum ſcelus Bibliorum, Sanctorumque Patrum veros ſenſus miſcere, perturbare, interpolare auſi ſunt? contra perditiſſimos hos Veteratores calamum ſtringere in animo eſt, & contra ejuſdem furfuris alios, quos falſitatis reos agit Joannes Wolfius in ſuis centuriis. Notat enim laud. Auctor cent.XI. pag.277. ab Areta Epiſcopo Cæſarienſi impium libellum in Apocalypſin ſcriptum fuiſſe, in quo teſtatur Antichriſtum ortum habuiſſe tempore Græcorum Imperatorum poſt Conſtantinum Regnantium, paulo ante quam R. Imperium in decem Regna divideretur: eodemque in loco Romam nomine Babylonis traduxiſſe, Romanamque ſedem aulam Antichriſti appellaſſe. Quod impiiſſimum inventum Epiſcopum Hildebertum in ſua Rhitm. Cenomanenſia, Petrum Joannem Pironenſem anno 1360., Philippum de Noriis natione Hibernum anno 1449., alioſque innumeros, aſſerit confirmaſſe. Verum tot ſceleſtiſſimorum hominum opiniones, vel potius impietates, non arbitror multis verbis oppugnandas: ſceleſtiſſimas enim eſſe, ex ſemetipſis patet, & nullo urgente, impia ſua mole ruunt; ſecumque in interitum trahunt Heterodoxos, qui hæc omnia

in contemtum capitis Romanæ Eccleſiæ ſunt commenti. Appoſite igitur Cornelius a Lapide in Procœmio Apocal.dum de Canonica hujuſce libri acceptione loquitur: „ Dubita-
„ runt, inquit, olim nonnulli de auctoritate hujus libri,
„ Marcionitæ, & Alogiani olim teſte Epiphanio lib. 2. hæ-
„ reſ. 51., & noſtro ſeculo Eraſmus, Calvinus, & Lutherus
„ Apocalypſin a Canone Sacræ Scripturæ rejecerunt. A ſuis
„ ergo Patriarchis degenerant Auguſtinus Marloratus, &
„ Beza, quos ſequuntur moderni Calviniſtæ, qui eandem
„ recipiunt, ut ex ea probent Romanam Eccleſiam eſſe Ba-
„ bylonem, & conſequenter Romanum Pontificem eſſe
„ Antichriſtum: Sed perperam ut ſuis locis oſtendam.
„ Cæterum ipſi cornicum oculos configunt, atque invidia
„ cœci, ut Pontifici eruant oculum unum, ſibi alterum,
„ imo utrumque eruunt. Eorum enim ſervum arbitrium,
„ ac fidem ſolam juſtificantem plenè deſtruit, & libertatem
„ arbitrii, ac charitatis, aliorumque virtutum opera, &
„ merita plene aſtruit Apocalypſis. „ Fatemur tamen hic, Ozæ exemplo admoniti, Romanam Eccleſiam, novi teſtamenti Arcam, nec noſtro ingenio (quod ſentimus eſſe exile) nec ingenio aliorum, indigere, ad ſuam inerrantiam ſuſtentandam, quippe quæ Suprema Dei Opt. Max. dextera tuetur, ſuſtineturque. Atque hinc fuit, quod inter perſecutiones vexationeſque ſemper Eccleſia floruit; nec inter ſeptem, & viginti ſchiſmatum fluctus, & inter Tyrannorum tempeſtates navis Petro, ejuſque Succeſſoribus credita, ac commiſſa, naufragium timuit, immo tempeſtatibus ſuperior altius ſemper evecta eſt, ſcopuloſque, saxa, & brevia feliciter tranſvecta ſalutis merces ad extremos Orbis fines adduxit, teſte Hilario lib. 4. de Trinit. „ Sicut olim creſcen-
„ tibus diluvii fluctibus Arca ſublimis ferebatur; & tan-
„ dem procellarum victrix requievit ſuper Montes Arme-
„ niæ: non diſpari modo Eccleſia dum exercetur, floret;
„ dum opprimitur, creſcit; dum contemnitur, proficit;
„ dum cæditur, vincit. „ Neque fluctibus obrui hæc navis timet, quæ a tribus Divinis gubernatur Perſonis, juxta

Am-

Ambroſii explicationem in lib. de Salomone in illud Proverbiorum 30. v.18. *tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam Aquilæ in Cœlo: viam navis in medio mari: & viam viri in adoleſcentia*. „ Navem, inquit, „ adæque Eccleſiam debemus accipere in Salo Mundi iſtius „ conſtitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, ideſt ten„ tationum plagis, & verberibus fatigatur: quam turbidi „ fluctus, ideſt hujus ſeculi poteſtas conatur ad ſaxa perdu„ cere, quæ etſi undarum fluctibus, aut procellis ſæpe ve„ xatur, tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium, quia „ in arbore ejus, ideſt in Cruce Chriſtus erigitur: in puppi „ Pater reſidet Gubernator: proram Paraclitus ſervat ſpi„ ritus. „ Verum ne noſtra, in rebus meridiana luce clarioribus, longius divagetur oratio, ad propoſitam veniamus materiam. Et quidem nos in hoc opuſculo Pictorum diligentiam, & induſtriam imitabimur, qui majorem in umbris offundendis, curam adhibent, quam in coloribus collocandis; colores quippe vividiſſimi fiunt umbrarum ope, ab iiſque pictæ imagines membrorum proportiones, acquirunt. Eadem, inquam, arte utemur de Romani Pontificis Auctoritate ſcripturi, non parum ſtudii, & operæ inſumemus ad concinnandum, variis ad Auctoritatem Pontificis conducentibus rebus, interſperſum opus, pro ingenii noſtri tenuitate: atque uno eodemque tempore digreſſiones veluti umbras adhibebimus, tum, ut vivaciorem faciamus materiam, cum, ut Heterodoxos recte impugnare videamur. Hi enim in Romani Pontificis contemtum ſuſtinere audent, Eccleſiam Romanam defeciſſe a fide, neceſſe iccirco erit, hanc falſitatem pluribus oſtendere in locis, ut deinde facili negotio a nobis contrarium eorum commentis, dogma inferatur, & inconcuſſa, firmiorque cognoſcatur ſuprema Pontificis auctoritas, quam etiam frequentibus Sanctorum Patrum, ac Theologorum ſententiis demonſtrabimus, quanti omnibus in rebus ſit habenda; & demum ut poteſtas Maximorum Pontificum ab eorum rebus geſtis firmetur, eorum quoque putamus apponere Seriem: quorum ſucceſſio

non interrupta Heterodoxis erit confuſioni (ſi aliqua confuſio hominibus nullius frontis offundi poſſit) qui nec minimam in rebus ſuis ſucceſſionem poſſunt oſtendere. Demonſtrabimus quoque Pontificem Romanum conſervatorem fidiſſimum eſſe Apoſtolicarum traditionum, eumque Interpretem eſſe veri, & incorrupti ſenſus Sacrarum Literarum. Quis enim ex veteratoribus Heterodoxis, Eccleſiæ firmitatem in ſuis producendis dogmatis, in dubium revocare auſerit, hoc poſito, & jacto Catholicæ veritatis fundamento? præſertim ſi mente cupiditatibus, & livore ſoluta, innumeras Sectarum varietates, viciſſitudineſque animadverterit. Quæque enim ſuas difficillimas, perpetuaſque habet quæſtiones: cum quiſque Sectariorum ex privato ſpiritu, & arbitrio propriam ſtudeat vindicare opinionem, & audeat ſenſum Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum ex ſua mente interpretari, in ſuamque ſententiam, vel invitum, nolentemque trahere. Verum ſi libet, conſiderent Romanæ Eccleſiæ perduelles, & eos ſui pudeat erroris, quæ Joſephus lib. 2. contra Apionem ſcripſit: conſiderent plurima Sacræ Scripturæ monumenta, & præſertim, quæ primo Exodi 18. v. 13. habentur. Nam vel ægre ipſemet Lutherus lib. de Poteſtate Papæ, Pontificem afflante Divino Spiritu loqui, confeſſus eſt: *De nullo privato homine certi ſumus habeat nec ne revelationem Patris: Eccleſia autem ipſa eſt, de qua dubitari non licet*. Maximi itaque eſt faciendus Ille, qui Divino jubente Numine tantarum rerum ſuſtinet molem, & eſt Militantis Eccleſiæ Firmamentum, & Caput, ut Auguſtinus ſermone 16. de Sanctis aſſeruit: *Firmamentum omnium, & ſaxum immobile, totius Chriſtiani Orbis compagem, molemque continens*, & ſermone 15. *Fundamentum ſuper quod ædificii Eccleſiaſtici altitudo conſurgit.* In eandem ſententiam Divus Athanaſius Ægyptiique Epiſcopi ad Felicem Papam ſcripſere: *Firmamentum a Deo fixum, & immobile: Præſul Apoſtolicus in Summitate arcis conſtitutus, cui Deus omnium Eccleſiarum curam habere præcepit*. A Deo enim Optimo Maximo eſt inſtitutus, qui

ſuo

ſuo lumine omnes humanæ mentis tenebras expellat, & Sanctæ Fidei dogmata univerſa, Martyrum sanguine, cruciatibus, & morte, firmata, tueatur; ut a nobis in narrationis decurſu apertiſſimis rationibus probabitur. Si vero neque rationibus, neque auctoritatibus Romani nominis hoſtium durities fracta fuerit, eos rationis omnino expertes dixerimus, dum Divinum non ſolum, ſed etiam naturæ lumen rejiciunt. Nobis autem vel contra ipſos, vel contra humaniores homines hoc opuſculum ſcribere ſufficiat nulla blanditione, livore nullo; ſed pene hiſtorico modo, ac ſtylo. Licet a nobis ſingula, claſſicis Auctoribus, confirmata erunt, ut nullum literatis Lectoribus hæſitandi locus relinquatur, vel dubitandi: *quid enim tam temerarium* (liceat hic uti verbis Tull. lib. 1. de Natura Deorum) *tamque indignum sapientis gravitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, & cognitum ſine ulla dubitatione defendere.*

DE

DE AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS

DISSERTATIO

PARS PRIMA

De Rebus Temporalibus.

SUmmum Archimedis ingenium ſua admirata eſt ætas, æterniſque laudibus ſemper excipiet poſteritas. Ipſe enim in parva, ex chriſtallinis circulis ſphera, id omne, quod ingentibus Cœli circulis continetur, tum in Solis curſu, tum in Stellarum, Planetarumque motibus, tum denique in ceterorum Cœleſtium corporum apparitione, atque inſtitione egregia arte ita reſtrinxit, ut quiſque poſſet Divini Artificis, opera univerſa, pene uno intuitu, admirando, contemplari. Eximiam Archimedis artem, qua eſt uſus in ſua ſphera, nobis quoque hoc in opuſculo concinnando, imitari in animo eſt. Tractaturi enim de Auctoritate Summorum Pontificum uno in opere congerere exiſtimavimus, ac narrare illorum ab inhumanis Tyrannis perſecutiones, ab impiis Hæreſiarchis vexationes, illorumque magnanimam contra ſceleſtos Perſecutores virtutem; Scientiam quoque in Sanctis ferendis legibus, atque zelum in Cathedra, vel in Conciliis, pro gliſcentibus vitiis, erroribuſque extirpandis. Hæc itaque omnia (licet quæque res ipſa per ſe, proprium opus, & volumen requireret) brevibus a nobis complé-

plectentur iis in locis, ubi res, & materia, flagitare videbuntur. Sed quoniam hoc Opuſculum in duas partes commode diſtribuere duximus, alteram ſcilicet, quæ Summam Romani Pontificis in rebus temporalibus Auctoritatem, alteram, quæ ejuſdem in Spiritualibus Poteſtatem demonſtrabit, ad primam gradum faciamus. At liceat, hoc primo in limine, a naſcentis Eccleſiæ perſecutionibus, initium narrationis noſtræ ducere.

Putarunt nonnulli Eccleſiæ perſecutiones cum decem Ægyptiorum plagis comparari, quibus ipſi fuerunt affecti antequam Dei populum liberum dimitterent. Ultima vero Antichriſti perſecutio undecimæ videtur plagæ ſimilis, qua Ægyptii dum hoſtiliter perſequerentur hæbreos, fluctibus rubri maris, obruti ſunt, ut Sanctus Antoninus putat, forſan quod tunc Chriſti fideles in mare non nominis tantum, ſed vere Sanguinis rubro feliciter immergentur. Sed aliud ſentit Divus Augſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 52., nequaquam autumans per Ægyptiorum perſecutiones, illas Chriſtianorum eſſe prophetico lumine ſignificatas, nam plures oſtendit, Neronem præceſſiſſe, ſicut & Diocletianum ſubſecutas eſſe. Verum ut ut ſe res habeat, variant in temporum, ac perſecutorum notatione Scriptores, namque ab aliis duodecim fuiſſe notantur, ab aliis vero decem. Poſtremos hos Auctores quippe, qui accuratiores in Chronologia, libenti animo ſequemur.

Prima igitur perſecutio ortum habuit anno vulgaris Æræ 66. Nerone Imperante, licet hic duobus ante annis ſui animi crudelitatem oſtenderit, quum ignem Urbi ſuppoſuit, ſuæque dementiæ reos Chriſtianos poſtulavit; hac in perſecutione Princeps Apoſtolorum, Gentiumque Doctor fuerunt martyrio coronati anno 62.; ejus vero tyrannidis, teſtis eſt Tertullianus in Apologetico: quanquam poſtea aliquantulum reſpiravere Chriſtiani ſicut Tacitus lib. 15. refert, qui jam antea hoc erant præclaro decorati nomine, ab anno ſcilicet Chriſti 40., ut Fleury in Eccleſiaſtica hiſt. notat pag. 41.

Se-

Secunda perſecutio cadit in annum Chriſti 92., ducem habuit Domitianum Veſpaſiani filium, & Titi fratrem, qui Divi Petri, ac Pauli prædictionem veriſſimam comprobarunt Hieroſolimæ Urbis exciſione, & Judeorum internecione. Verum ille ab his diverſus, atque Eccleſiæ Tyrannus fuit, teſte Nicephoro. Et primum Divum Joannem Evangeliſtam excogitato martyrio è vivis tollere ſtuduit; quem deinde in Patmi inſulam relegavit, ubi Apocalypſeos librum ſcripſit, in quo ſub verborum involucris ea continentur, quæ prophetico lumine, cognoverat, fore olim ut Eccleſiæ acciderent: è qua, mortuo Tyranno, rediit ad ſuas Aſiæ Eccleſias, quarum inductus precibus compoſuit Evangelium annum ætatis agens 92., & deinde tres quoque epiſtolas exaravit.

Tertia perſecutio fuit ſub Trajani, Adrianique Imperio anno 107. Hi enim multorum morte oppreſſam, & contemtam gentilitatem in lucem, & ut ita dicam, in libertatem vindicare, totis viribus elaborarunt. Unde Adrianus juſſit, ut Hieroſolimæ Templum Jovi dicaretur, Veneriſque impium ſimulacrum in crypta, ubi Mundi Salvator natus eſt, colendum, erigeretur.

Marcus Aurelius, & Antoninus, fidelium Chriſti exterminandorum, cupiditatem quoque vehementiſſimam habuerunt, & hæc quarta Eccleſiæ perſecutio fuit anno 163.

Sed omnibus crudelior fuit quinta Septimii Severi perſecutio anno 201. Cujus furori flammarum acerbiſſimum ſupplicium, mitiſſimum videbatur. In hac perſecutione Gregorius Turonenſis ſcripſit lib. 1. hiſt. cap. 39., tantam multitudinem Chriſtianorum ob confeſſionem Dominici nominis fuiſſe igni, atque ferro abſumtam, ut ſtrata viarum ſanguine non redundarent, ſolum, ſed altiſſima flumina referrent.

Maximinus anno 236. infenſiſſimus Eccleſiæ hoſtis ſextus fuit Perſecutor.

Verum ſub Decii Galli, & Voluſiani Imperio ſeptimam ſuſtinuit Eccleſia perſecutionem anno 250., quam publicis

Edictis indixere; unde Nicephorus ſcripſit Martyrum numerum recenſeri non potuiſſe; Tertullianus vero, & Cyprianus Chriſtianorum cauſam ſcriptis ſuis defenderunt.

Sed parvo poſt tempore, anno ſcilicet 257. ſub Valeriano, & Gallieno octava excitata eſt perſecutio; indeque Aureliano Imperante nona ſubſecuta eſt anno 272.

Ultima tandem ſub Diocletiano, & Maximiano anno 303. omnium crudeliſſima quidem fuit. Lato enim edicto imperatum eſt, ut ſanguis fidelium Chriſti ſpargeretur, ac per totum terrarum orbem, cum Sanctis libris, igni damnarentur Eccleſiæ, quod Nicomediæ Bithyniæ fuit publicatum. Sed utinam & hæc extrema fuiſſet Eccleſiæ perſecutio: aliæ enim innumeræ poſtmodum ab Eccleſiaſticis recenſentur hiſtoriis, quas libenter prætereo; ad eadem prima ſecula referre pedem oportet, ut brevibus quoque complectar impiorum numerum, qui falſis doctrinis, & erroribus Eccleſiæ pacem perturbare, & puritatem inquinare auſi ſunt. Primus fuit Simon Magus, qui antea præſumſerat Sanctum poſſe emere Spiritum. Hic Simon multos errores ſomniavit; verum ſuæ impietatis, audaciæque pœnam ſibimet turpiſſima morte, dedit, teſtibus Baronio, Egeſippo, & Arnobio. Poſt Cerinthum, & Ebionem Jeſu Chriſti Divinitatem impiè negantes, Nicolaitæ ſurrexere, qui illicitæ fornicationis peſtem importarunt, a qua Joannes in Apocalypſi cavendum quemlibet eſſe, admonuit. Secundo tamen ſeculo Baſilii Alexandrini aſſeclæ, Simonis Magi, aliorumque errores ſuſtinuere, & Redemptoris noſtri Crucifixionem in dubium revocarunt: poſteaque Carpocratitæ, qui vetus rejiciebant teſtamentum, Chriſti Reſurrectionem negabant, impieque etiam eum ſolummodo hominem fuiſſe ſuſtinebant. Sequuti ſunt, qui ut ſapientum famam ſibimet ipſi tribuerent, Gnoſticorum nomen aſſumſere, perperam aſſerentes Jeſum Chriſtum non eſſe Deum; rerumque duo principia ponentes bonum ſcilicet, & malum; omneſque demum corporis voluptates licitas eſſe aſſeverantes; qua ex ſchola innumeræ prodiere Sectæ, de quibus loquitur Epiphanius Salaminæ Epiſco-

ſcopus. Sed Valentiniani deinde erroneas Pythagoræ, & Platonis opiniones in ſuam, & ſuorum Sectatorum perniciem ab inferis revocarunt; itidemque Papiæ ſequaces, quos Chiliaſtes, Millenaresve dixere: putabant enim mille annos ante univerſale judicium Redemptorem eſſe venturum, & hujuſmodi alia ſomnia, quæ in Nicephoro lib. 3. cap. 20. videri poſſunt. Cerdonenſes inſuper non ſolum duo admittebant principia, verum etiam corporum Reſurrectionem, ac novæ legis Tetrateucum (quatuor ſcilicet Sacros Evangeliſtarum libros) negabant. Marcion quamvis eorum omnes firmare ſtuduerit opiniones, tria tamen principia poſuit, ſicut unum admiſere Apellitæ. Montanus autem Cathaphrigum caput inter quamplurimos alios errores, hunc etiam evomuit, ſecundas eſſe damnandas nuptias; & hinc forſan Tatianus etiam primas rejecit, & concubinatui comparavit matrimonium: quod itidem tertio seculo fecere Manichæi, qui μετεμψύχωσιν, ideſt Pythagoricam animæ transmigrationem credebant, & duo principia a Scitiano primum excogitata, admittebant, præter alios errores relatos a Theodoreto lib. 1. hæreſ. fab. cap. 26., Epiph. hæreſ. 66., & Auguſtino de hæreſibus cap. 46., quos a Manete hauſerunt, Manichæo deinde dicto; inſuper novo teſtamento vetus contrarium eſſe aſſeruerunt. Sed contrarietates, quas ipſi ex externo literæ repugante ſenſu ſumebant, ex ſenſu Catholicæ Eccleſiæ Divus Auguſtinus conciliat in lib. contra Adimantem Manichæi diſcipulum.

Sed licet illæ peſtes primis temporibus ad Eccleſiam corrumpendam ſurrexerint (quam multos alios hæreticos brevitatis ſtudio, omiſimus, ut Homouſiaſtos, Sabellianitas, Rebaptizantes, Melchiſedechianos, Valeſianos, Origeniſtas, Novatianos, Tertullianiſtas, Patripaſſianos, vel Monarchicos) omnes tamen fuerunt ab Evangelica doctrina protinus compreſſæ; quoniam iis temporibus Deus Optimus Maximus sarta tecta ſuæ Eccleſiæ dogmata ſuſtinuit; unde illam D. Paulus I. ad Timoth. 3. v. 15. columnam, & firmamentum veritatis appellavit. Deus enim cujus manu Eccle-

ſia gubernatur, & regitur, a Perſecutoribus, atque Hæreſiarchis pœnas petiit, & Sponſæ ſuæ Sanctos Patres, & Summos Pontifices cuſtodes adhibuit, qui zelo, conſtantia, doctrina erroribus sese opponerent, & fideles ad mortem, & cruciatus omnes ſuſtinendos ſua fortitudine, & exemplo corroborarent, ut inter perſecutiones ipſas, & anguſtias Chriſtianorum populus creſceret, vireſque in dies majores ſumeret: *ignis namque* (ajebat Divus Gregorius Papa ad rem noſtram) *flatu premitur, ut creſcat*, & Tertullianus, patientia ſuperatam fuiſſe Tyrannidem, ipſiſque Eccleſiam in perditis temporibus triumphaſſe, ac Chriſtianorum quoque numerum ſemper augmentatum fuiſſe, quibus Sancti Leonis Magni Papæ verba conſonant, dicentis: *non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager, ſegete ditiore, veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt multiplicata naſcuntur*.

Nec Defenſores in difficillimis Eccleſiæ temporibus, defuerunt. Scripſere enim pro Chriſtianis Divus Ignatius Antiochiæ Epiſcopus, Divus Juſtinus Philoſophus, Divus Policarpus Smirnenſis Epiſcopus, Egeſippus, aliique plurimi, quos inter adnumerari poſſunt, Tatianus, Tertullianus, Origenes Alexandriæ presbyter, & Dionyſius Areopagita, qui Athenis ab Apoſtolo Catholica imbutus eſt fide.

Hic erat Chriſtianæ Reipublicæ ſtatus, tot turbulentiſſimis tempeſtatibus per trecentos, & duodecim annos perturbatus. Sed tamen in his vel aſperitatibus rerum, vel anguſtiis temporum Deus Optimus Maximus pacem, & tranquillitatem Eccleſiæ ſuæ tribuere voluit. Kalendis itaque Novembribus Crucis vexillum Conſtantino Imperatori, toto inſpectante exercitu, contra Maxentium armato, radiis undique circumfuſum oſtendit, eoque prodigio ad defenſionem Catholicæ rei illum armavit. Appoſite ad hanc rem Divus Ambroſius lib. 4. Hexaëmeron cap. 2. ſuper illa Pſalmi verba 103. verſ. 20. *Fecit lunam in tempora, ſol cognovit occaſum ſuum*, ſcripſit: „ Pleri-

„ que

„ que hunc locum miſtice de Chriſto, & Eccleſia videntur „ accipere, quod cognoverit Chriſtus proprii Corporis paſ- „ ſionem, qui ait: Pater venit hora clarifica filium tuum; „ ut ille occaſu ſuo omnibus donaret vitam æternam, qui „ perpetuæ mortis urgebantur occaſu: ut Eccleſia tempora „ ſua habeat perſecutionis, & pacis; nam videtur ſicut luna „ deficere, ſed non deficit, obumbrari poteſt, deficere non „ poteſt.

Poſt Conſtantii Clorii Regnum, Conſtantinus ſuus, atque Helenæ, filius ad Imperium vocabatur, ideoque, ex more illius temporis, ejus imago Romam fuerat translata. Sed Conſtantini imagine a ſua ſede exturbata per Maxentium, tantum bellum eſt inter utroſque ortum, ut ipſe Conſtantinus in aciem venerit. Profecto Urbem Romam, quæ prius fuerat totius Romani Imperii caput, in ſui Vicarii Sedem Deus Opt. Max., & Militantis Eccleſiæ Catholicæ thronum, deſtinaverat: iccirco perlucidum in Capitolii Arce Crucis vexillum ante Conſtantini, totiuſque ſui exercitus conſpectum oſtendit his verbis: *in hoc vince*. At quoniam ille tenebris gentilitatis circumfuſus tantum prodigium non intellexerat, iterum Chriſtus Dominus Crucem præſeferens dormienti apparuit, ut apertiſſime, juxta verſionem Wolfangi Muſculi de grege Proteſtantium, ab Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo id portentum ex ejuſdem Cæſaris relatione habetur: „ Circa meridionalis ſolis horas die jam „ declinante, ipſe se dicebat oculis, in Cœlo ſupra ſolem „ tropœum Crucis e luce conſtructum, ac ſcripturam ad- „ ditam vidiſſe, ſic dicentem: in hoc vince, quo conſpecto, „ & se ſtupore correptum eſſe, ac totum exercitum, qui „ aliquo proficiſcentem aſſequebatur, & miraculum ſpecta- „ bat, hæſitandoque ad se dicebat, quidnam ſibi vult hoc „ oſtentum? Cum vero ipſe cogitabundus eſſet, deque eo, „ quod viderat, plurima in animo volveret, & nox ipſum „ jam irruens apprehendiſſet, dormienti ſibi Chriſtum Do- „ minum una cum ſigno, quod in Cœlo viderat apparuiſ- „ ſe, ac præcepiſſe, dicebat, ut ſignum ſibi juxta formam

„ ejus,

„ ejus , quod in Cœlo apparuiſſet compararet , illoque
„ contra hoſtium conflictus auxilii loco uteretur .

In hanc miram prodigioſamque apparitionem ſtylum magnopere acuere Proteſtantes , quapropter Gelaſius Cyzicenus ſcripſit : *hæc narratio infidelibus fabula , & commentum eſſe videtur in gratiam doctrinæ noſtræ* . Et præ ceteris Joannes Albertus Fabritius , & Georgius Walchius ad rem tribuerunt naturalem , & φαινόμενον dixere . Samuel Basnagius autem in Fabriciano Commento eam apparitionem naturali ſigno adſcribere non eſt auſus ; nec ab aliquibus illorum eſſe adſcribendam arbitror φαινομένῳ , qui veram Philoſophiam profitentur . Namque in ſuprema aëris regione , ut verba Euſebii notant , eſt Philoſophis exploratum , nullum ſpectrum efformari poſſe , ſed tantum in media , inferiorisve aëris parte . Veteratores hæretici Crucis apparitionem in dubium revocant negativis argumentis , quod Rufinus ſcilicet , Lactantius , & Sozomenus nocturnam tantum referant viſionem . Sed facile reſpondetur : idcirco Rufinus illam ſilentio præteriit , quod ortum ſuæ hiſtoriæ duxit duodecim elapſis annis poſt enarratam apparitionem ; Lactantius autem Firmianus , quamvis Criſpum in Gallia latinis inſtruxerit literis , nulla cum Cæſare familiaritate utebatur , propterea quod Conſtantinus alieno , a Criſpo , animo erat , quem , ut Divus Hieronymus refert , tredecim poſt relatæ viſionis annos interfici juſſit . E contra Conſtantinus familiariſſime uſus eſt Euſebio , ideoque hujus potius narrationi deferendum eſt , quam illius ſilentio . Proferunt quoque pro ſe Sozomenum ; ſed hic tamen magis putat diurnam laudare viſionem , quam nocturnam a ſe ipſo relatam , dum de illa , ad Euſebii relationem , quem maximi faciebat , ſe omnino refert . Ceterum de hac re habemus Socratis , Photii , Prudentiique clara teſtimonia : Martyris quoque Artemii coram Juliano Imperatore confeſſionem ; hic enim miles ſic inquit , namque in Conſtantini exercitu tunc pugnabat : *Nos ipſi ſignum aſpeximus cum bello intereſſemus , & literas legimus , quin etiam totus quoque id , eſt*

eſt contemplatus exercitus, *& multi ſunt teſtes in exercitu tuo*. Verumtamen ſi Proteſtantes his non confunduntur teſtimoniis, ſat eſſe arbitror oſtendere Witlelmum Cave inter ſuos non parvæ exiſtimationis virum, & magni nominis criticum, re bene perſpecta, utramque confeſſum eſſe apparitionem: nullus igitur de hac re remanet dubitandi locus.

At vero plurimi minus fortaſſe audaces in dubium vocarunt id omne, quod Magnus Imperator ad Eccleſiæ decus fecit, nec animadvertunt Iſaiæ vaticinium tunc fuiſſe adimpletum dicentis: *videbis*, *& afflues*, *& mirabitur*, *& dilatabitur cor tuum*; & Hieremiæ dictum: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes*, *& Regna*. Conſtantinus enim ſtatim ac fuit Catholica fide inſtructus, eum Sacro Baptiſmate S. Sylveſter Pontifex tinxit (quidquid alii de hoc ſentiant) ideoque gentilitatis cœcitate rejecta, edicto permiſit, ut libere quiſque poſſet fidem profiteri Catholicam, atque magnifica templa erigere; abrogavitque ſtatim Auguſti legem prohibentem cælibatum; ex quo tunc primum Sponſæ Eccleſiæ dictum eſt: *Veni Sponſa mea*, *veni de Libano coronaberis* (e Romano ſcilicet Imperio, ut S. Optatus ad Romanos cap. 13. notat) *ubi & Sacerdotia Sancta ſunt*, *& pudicitia*, *& virginitas*, *quæ in barbaris gentibus non ſunt*. Denique Bizantium Imperii ſedem tranſtulit anno 330. Vulgaris Æræ, S. Sylveſtro Papæ celebri donatione facta, pro qua vehementer juris utriuſque Interpretes contendere.

Etenim nonnulli merum, purumque figmentum hoc donum exiſtimarunt, ut præ ceteris Auctor hiſtoriæ civilis Regni Neapolitani, qui debacchatur etiam more ſuo contra legem Conſtantini, quæ in Theodoſiano Codice poſt decimum quartum librum legitur, titulo de Epiſcopali judicio, qua lege commendat juxta Sacræ Scripturæ, ac Patrum ſenſum, Epiſcoporum dignitatem; ideoque ipſis in laicorum quoque litibus, dummodo tamen dijudicatio eorum ex una fuerit partium quæſita, judicandi facultatem impertitus eſt. Immo voluit, ut licitum non ſit ad quodcumque aliud Tribunal appellare: en verba legis: *Omnes ita-*

itaque cauſæ, quæ vel Prætorio jure, vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur: nec liceat ulterius retractari negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit. Itaque ut Auctor civilis hiſtoriæ ex falſitate hujus legis, falſam quoque demonſtrare contendit Conſtantini donationem; ſic ego hac lege firmata, veraque, ac genuina clariſſimis argumentis demonſtrata, donationem etiam firmam veramque demonſtrabo. Ex Gothofredo ſtudet Auctor civilis hiſtoriæ ſuam firmare opinionem, qui plures rationes affert, ut illam legem tanquam apocrypham, fictamque evellat; ſed Gothofredi argumenta infirmiſſima ſunt, & ſine ictu intorta. Validius, ni fallor, id putatur: in laudata lege deſideratur notatio, quibus Conſulibus lex lata fuerit. Bene quidem; ſed cur idem Gothofredus veram aſſerit legem ultimam tituli ſecundi, quæ eſt Honorii, & Theodoſii, in qua notatio Conſulum etiam deſideratur? quis enim, ex hoc non videt ſummum Regaliſtarum in Eccleſiam livorem? Sed ne videamur fugiendo vitare tela Adverſariorum, ipſis obviam ibimus, aliquid ulterius de hac re addendo. Cujacius ſummo ingenio vir, ſi de relata dubitaſſet lege, ſane eam non inſeruiſſet in Theodoſianum Codicem ejus opera editum Lutetiæ anno 1588., immo nec etiam de illa in ſuo percelebri, eruditoque Juſtinianei Codicis Commentario loquutus fuiſſet. Profecto vir ſummus hæc habet titulo IV. de Epiſcopali Audientia Paratitl. in lib. I. Cod. Juſtinian. *Ad reverentiam autem Epiſcoporum hoc maxime pertinet, ne ab eorum ſententia poſſit appellari.* Et ſequenti enarratione IV. *Ad reverentiam pertinet lex Conſtantini in Appendice Codicis Theodoſiani num.* I. Denique hæc lex occurrit in Theodoſiani Codicis reliquiis a P. Sirmundo collectis. Et ſane quomodo unquam potuere SS. Patres tantas laicorum controverſias reſecare, atque decernere, ſicut frequentius Baſilium feciſſe habetur ex epiſt. 247., Ambroſium ex lib. 5. epiſt. 24., Chryſoſtomum ex lib. 3. de Sacerdotio, Gregorium Nyſſenum ex lib. de vita Greg. Thaum., niſi hoc illis Impera-

peratoris fuiſſet lege permiſſum? Hoc idem fecit Auguſtinus, ut plurimis oſtendit in locis, homilia ſcilicet x. de utilitate pœnitentiæ, Epiſt. ad Proculianum, & Nebridium 114. &c., qui cauſas ſeculares, a fidelibus ad se delatas eſſe, teſtatur. Quinimo uſque ad Gregorii Magni tempora, vel longo poſt intervallo novimus, hanc viguiſſe conſuetudinem; quapropter in Epiſt. 5. lib. 1., laudatus S. Pontifex conqueritur a Divinis rebus avocari, cauſa judicandarum litium; cui ſententiæ Benedictini Patres S. Mauri hanc apposuere gloſſam: *quippe Chriſtianorum olim cauſæ non apud laicos Judices, ſed apud Epiſcopum ipſum agebantur*. De eadem lege mentionem fecit Sozomenus lib. 1. cap. 9., cujus verba ſunt: „ Nam & omnes ubique Clericos immu„ nitate donavit lege, hac de re ſpecialiter data, & litigan„ tibus permiſit, ut ad Epiſcoporum judicium provoca„ rent, ſi Magiſtratus civiles ejicere vellent: Eorum au„ tem ſententia rata eſſet, aliorumque Judicum ſententiis „ prævaleret, perinde ac ſi ab Imperatore ipſo lata fuiſſet; „ utcumque res ab Epiſcopis judicatas Rectores Provincia„ rum, eorumque officiales executioni mandarent: poſtre„ mo ut Conciliorum decreta firma, & inconcuſſa eſſent. Et Socrates lib.6. cap.46. ſcripſit dum de Conſtantino loquitur: „ Clericos omnes lege lata liberos eſſe permiſit, judi„ ciumque in eos Epiſcopis, ſiquidem civilem Judicum co„ gnitionem declarare vellent, mandavit, & quod Epiſcopi „ judicaſſent, id vim ſententiæ omnino habere decrevit, & „ quæ ab Epiſcopis judicata eſſent, ut a Magiſtratibus res „ publicas adminiſtrantibus, militarique manu, quæ ſub „ eis eſſent executioni mandarentur, conſtituit. „ Sed tandem non ſolum hæc a Morino lex vindicatur in libro gallicè ſcripto de Eccleſiæ Magnitudine part.2. cap.26., at etiam a Joanne le Gendre cap.7., & ſeq. in opuſculo: Epiſcopale judicium adverſus Jacobi Gothofredi calumnias acerrime defenſum: quamvis hic quoque judiciariæ Epiſcoporum poteſtati se infenſum oſtendat.

Itaque parvipendimus, quod de eadem donatione Bo-

dinus ſcripſit lib. 1. de Republica cap. 9. Verum & adverſus Laurentii Vallæ declamationem Auguſtinus Stevechius Eugubienſis Epiſcopus, & Bucellius libros edidere. In ſua igitur declamatione Valla rejicit caput illud *Conſtantinus* in Gratiani decreto inſertum: nec deſunt alii, qui in dubium quoque revocant caput *Ego Ludovicus*, nam idem continet; quoniam Eccleſiaſtici eſſe nequeunt propria in cauſa Judices ſimul & teſtes. Ad hæc reponunt, quod quanquam Gratiani decretum fuiſſet plaries reformatum; attamen hoc caput deletum non eſt, quod pro Eccleſia fuerat ſcriptum, & in decretum dolo malo inſertum. Quas calumnias ſi vellem hic refellere, longiſſime aberrarem a propoſita narratione. Sat itaque erit Eccleſiæ hoſtes obruere pene Auctorum nube, donationem Conſtantini ſuſtinentium, ut ſunt Card. Albanus tom. 15., Henricus Bucellius in conſt. Imp. donatione part. 2. & 3. Divus Anſelmus, Bernardus, Petrus Damianus, Landinus, Gretſerius, aliique. A Conſtantini autem liberalitate, ſumma Eccleſiæ acceſſit bonorum copia, namque apud Euſebium occurrit lex ab eodem Cæſare lata, qua Eccleſiis reſtitui juſſit domus, poſſeſſiones, agros, hortos, & cetera omnia, quibus eam hoſtes fidei ſpoliaverant, idemque Auctor quoque ſcripſit, Conſtantinum Eccleſiis infinita præſtitiſſe.

Sed ex aliquibus Ammiani Marcellini verbis cognoſcimus eximia Eccleſiæ Catholicæ poſſeſſionum incrementa, invidiam Gentilibus quoque conflaſſe. Is enim ſcripſit, quod in Damaſi electione, ab Urſicino Antipapa ſummis viribus oppugnata, maximas turbas excitatas non ſine multorum cæde. In Baſilica enim Siccinini, ubi Chriſtiani convenerant, uno die centum triginta ſeptem obtruncati ſunt, eorumque cadavera reperta: qua narratione facta, addit, quia non de nihilo certabant; de Pontificatu nempe, divitiis, tunc temporis, adhuc affluente. Verum & Divus Auguſtinus refert lib. de hæreſib. ad quod vult Deus cap. 50. perverſam Vadianorum opinionem aſſerentium, non eſſe Epiſcopis licitum divitias poſſidere; idemque error fuit ab hæreti-

ſeticis Valdenſibus anno 1160. excitatus, pauperes de Lugduno quoque appellatos. Hi Anteſignanum habuerunt Petrum Valdum, opulentiſſimum primitus Lugduni mercatorem, qui cum ſubita morte vidiſſet correptum concivem ſuum, protinus omnia in pauperes eſt elargitus, quo facto, plurimos ſecum traxit in errorem, qui profuſis fortunis ſummum interitum, ſempiternumque exitium ſibi compararunt. Docuit autem Chriſti, & Apoſtolorum paupertatem omnino eſſe ſequendam, immo omnes, Eccleſiæ Miniſtros, qui propria poſſident bona, contra illud Chriſti peccare. Math. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.* Addebat Eccleſiam Romanam defeciſſe ex Conſtantini Magni liberalitate, quia tunc prædia habere cœpit, atque iccirco nullum vel probum in ea ſalvari poſſe. Albigenſes poſtmodum ex eorum reliquiis ad duodecimi penè finem seculi, ut Annatus lib.7. Apparatus §. de Albigenſibus, eandem revocarunt opinionem (hi hæretici ab Albigegio Urbe, quæ non nimis Toloſa diſtat, dicti ſunt) poſteaque idem ſenſere aſſeclæ Joannis Wiclephi, tanta infamiæ nota a Concilio Conſtanſienſi, inuſti, ut ejus oſſa, quamvis multo ante in religioſo quieſcerent ſepulchro Patrum juſſu exhumata, & extra Eccleſiam projecta ſunt: quadraginta etiam ejus doctrinæ, ſeu potius inſaniæ, capita damnata, seſſione VIII. anno 1414., quorum decimum erat: *Contra Scripturam Sacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones*; & trigeſimum ſecundum: *ditare Clerum, eſt contra regulam Chriſti*; trigeſimum tertium: *Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando*: & demum trigeſimum sextum: *Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſionem habent, & omnes conſentientes eis, ſcilicet Domini Seculares, & ceteri laici.* Wiclephi patronus ecce ortus eſt Martinus Lutherus, aſſerens perperam fuiſſe Wiclephum Sacerdotem Anglum, atque Eccleſiæ Licolnenſis Parochum a Conſtanſienſi Concilio damnatum, Principibuſque ſuadere niſus eſt hanc falſam doctrinam: bona

omnia Eccleſiæ, eſſe furto ablata, ideoque ad ſuos clamare dominos, ideſt viros Principes. Quod ſanè nonnullis ſimplicioribus Germaniæ populis perſuaſit. Juratus quoque hoſtis fuit Eccleſiæ Marſilius Patavinus, qui a nobis nuper relatam opinionem, aliorumque inſaniſſima opinamenta latis amplexatus eſt ulnis.

Credidimus hac opus eſſe digreſſione, ut ex ore impiorum impugnantium liberalitatem Conſtantini, magis firmam illam faceremus. Sed quod huc uſque a nobis narratum eſt, ſine explicatione non licet relinquere, nec ſine reſponſione præteriri poſſunt hæreticorum argumenta, ab ipſis ex Sacris Literis, Sanctorumque Patrum auctoritatibus deſumta.

Et ſane hæreticorum fundamenta innituntur num.18. *Dixit Dominus ad Aaron: in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars, & hereditas tua in medio filiorum Iſraël*. Itidemque Deuteronomii 10. ibi: *Non habuit Levi partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis, quia ipſe Dominus poſſeſſio ejus*. Et ex Josue cap.13. ajunt factam eſſe diviſionem terræ Chanaan a Moise in campeſtribus Moab trans Jordanem, *& Tribu Levi non dedit poſſeſſionem, quoniam Dominus Deus Iſraël ipſe eſt poſſeſſio ejus, ſicut locutus eſt illis*.

Facilis reſponſio oppoſitis eſt, ſi hac in re volumus eorum ſequi normam, dicentium unius loci explicationem ex alio clariori eſſe omnino petendam. Relata enim terrarum Paleſtinæ diviſione, clarior fit laudatorum ſenſus locorum. Fuit Paleſtinæ terra tanquam hereditas in duodecim diviſa partes pro numero Tribuum, excluſa tamen Tribu Levi, quæ decima tertia erat, namque Joſeph Tribus in duas dividebatur Ephrai ſcilicet, & Manaſſis. Sed quamvis a partitione Paleſtinæ Levi Tribus fuiſſet excluſa; nihilominus tamen voluit Deus, uti proprio hebræorum Regi ſibi dari tanquam in tributum decimam fructuum partem, & quadraginta octo Civitates cum ſuis ſuburbiis; quoniam hebræi Theocratico fruebantur Imperio, ut Joſephus aſſerit, quem ſequitur Auguſtinus Calmet. Sed deinde a Deo petiere Regem

gem hebræi, ideoque ejus juſſu Saul Rex Iſraëlis a Samuele conſecratus eſt:atque ex Theocratico ad Monarchicum tranſiere regimen. Itaque omne tributum, quod ſibi Deus in illa partitione tribuerat, Sacerdotibus, & Levitis vindicavit, tanquam ſuis Miniſtris; quapropter hi majorem ſortiti ſunt partem, quippe qui decimam omnium aliarum Tribuum obtinuerant, cum ipſi vix ſexageſimam totius populi partem componerent. His conſtitutis contra eoſdem hæreticos intorquentur relata Sacræ Scripturæ exempla, quorum verum ſenſum huc uſque expoſuimus,

Bellarminus lib.1. de Clericis cap. 26. quod Sacra Scriptura docet: Sacerdotes non debuiſſe quidquam habere, ſed Dominum eſſe eorum hereditatem, hoc pacto interpretatur: nihil ſcilicet eorum quod conſequi more aliorum ex paterna debuerant hereditate, verum tantummodo ea habere, quæ debebantur Deo, cujus ipſi erant Miniſtri. Quod confirmatur ex eo, quod Levitici occurrit cap. ultimo: *quod ſi quis agrum Deo voverit, ſantificatus erit, & poſſeſſio conſecrata ad jus pertinet Sacerdotum*: immo Numerorum verba cap. 35. extremam adverſariis offundent confuſionem: *hæc locutus eſt Dominus ad Moiſen . . . præcipe filiis Iſraël, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis Urbes ad habitandum, & ſuburbana earum, per circuitum, cum ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus, & jumentis*.

Ex locis veteris teſtamenti, jam hæretici ipſi cognoſcunt, nullum habere ſuæ cauſæ firmum præſidium; idcirco ad novum confugiunt: inquiunt enim, aperte Dominum ſuis dixiſſe diſcipulis, dum eos prædicatum miſit, Math. cap.10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris non peram in via neque duas tunicas, neque virgam*, & alio in loco: *Omnis qui non renunciat omnia, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Lucæ cap. 14., verum ex horum locorum explicatione, ceterorum quoque explanatio emanabit. Et quod ad primum attinet, Cornelius a Lapide inquit, perſecutionis tantum tempore Apoſtolis illud traditum fuiſſe præceptum,

&an-

& ante paſſionem noſtri Redemptoris, ſcilicet dum primum fuere bini per Judeam miſſi, ut expeditiores in perſecutionibus eſſent: eo vel magis, quod nec pauperum, nec Eccleſiarum curam tunc habebant, ut poſt Chriſti Aſcenſionem habere cœperunt, & ideo temporalia quoque receperunt bona, ut eſſent illi uſui, de quo fit mentio in cap. IV. & ſequentibus Actorum Apoſt. Quæ quidem interpretis opinio ex eo clarior fit, quod ad tempus, non vero perpetuum fuiſſe præceptum, ex apertis ejuſdem Domini verbis Lucæ cap.22. colligitur: *quando*, inquit, *miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt nihil: dixit ergo eis; Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter, & peram*. Ex quibus verbis infert laud. Auctor notari, illud jam abrogatum eſſe præceptum, quoniam nunc illis concedit, quod jam antea prohibuit. Ad ſecundum vero reſpondit Divus Auguſtinus Epiſt.5.ad Marcellinum, ſenſum eſſe, ne æterna vili habeantur pro temporalibus, cum potius temporalia pro æternis ſint contemnenda. Ad hæc addit: *iſta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus eſt pertinere, quam ad opus, quod in aperto ſit, ut teneatur in ſecreto patientia, cum benevolentia, in manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus*.

At neque manus hæretici dant his explicationibus, & ad nova arma confugiunt, auctoritatem ſcilicet Sanctorum Patrum, iiſque nituntur ſuam adſtruere, ſi ſuperis placet, opinionem. Et ne longum faciamus, omiſſis aliorum Patrum teſtimoniis, unum Bernardi locum, in quo victoriam, & triumphum canere videntur Adverſarii, proferemus: in ea enim Petri verba Math. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, hanc addit laudatus Abbas interpretationem: *qui habet partem in terra, non habebit partem in Cœlo*. Sed ſcire deberent hæretici, Bernardum, vel de illis loqui Eccleſiaſticis, qui ſummopere in cumulandis indemiſſe opibus laborant, lucrum inhiantes ex Eccleſiaſticis præſertim rebus, & Sacerdotiis, ex quibus tantum honeſtam cujuſcumque ſtatus congruam

gruam retinerent, ſi SS. Patrum dicta attendentes, rerum Eccleſiaſticarum originem, ac diviſionem inſpicerent. Et ſane ipſemet Divus Bernardus Eugenium admonuit Pontificem, ut eos ad gradus eveheret Eccleſiaſticos, qui neque se, neque ſuos ditare ex Eccleſiæ fructibus ſtuderent, & qui illa, quæ ſine pretio recepere, ſine pretio largiri conantur, lib. 1. de conſiderat. Vel ad illos relata Bernardi verba referuntur, qui aliorum partem uſurpant, quotidie nimia flagrantes habendi cupiditate, quam Apoſtolus radicem omnium definivit eſſe malorum.

Quapropter primum debuerant ipſi Pontificii dominii adverſatores non minus Conſtantinianam inficiari donationem, quam univerſas Divinas, humanaſque leges, atque hiſtorias, falſas habere. Jus enim Divinum præcipit neminem turbari in dominio poſſe, poſtquam, nullo etiam titulo, per trecentos annos bona fide poſſederit, ut Alphonſus Toſtatus in librum Judicum ſcripſit. Civiles autem leges præſcriptionem exigunt immemorabilem invectam bona fide, ut verus rei dominus conſtituatur, quamvis jura tamen Canonica bonæ fidei durationem ſemper requirant, quod eſt etiam in foro receptum civili; quæ quidem nunquam Eccleſiæ defuit. Ideo viſum eſt multis jus Romanæ Sedis in ſuis dominiis, & in Urbe Roma, ex ſola præſcriptione etiam poſſe tueri, cum multis ætatibus ejus poſſeſſionem habuerit, nec unquam legitimæ præſcriptionis jura deſiderata ſint, Card. Bellarminus de Rom. Pont. lib. 5. cap. 9. Ad Præſcriptionis jura accedit pro Eccleſia firmum donationis titulum, a quamplurimis confirmatum Regibus, ut in recentioribus hiſtoriis videre licet, quarum nonnulla exempla, paucis, a nobis complectentur; namque commodiori in loco in Pontificum ſcilicet Serie, plura ex ordine enarrabimus.

Et a principio quidem nemo eſt, qui neſciat, quod non ſolum Zacharias Pontifex Divinæ ultionis timorem incuſſit Rachim Langobardorum Regi Peruſiam invadenti, qui hanc ob rem Benedictinorum Ordinem eſt profeſſus anno 749., teſte Mabilonio; verum etiam deinde Childericum

Ca-

Caroli Martelli filium Regno exturbavit. Solutis enim ſubditis fidelitatis juramento, Regno ejectus eſt, in ejuſque locum ſuffectus anno 752. Pipinus fuit, & coronatus a Divo Bonifacio Moguntino Epiſcopo, ut Marca refert lib.3. Marcæ Hiſp. cap. 4., & Mabilonius de re diplom. lib. 2. & 5., quanquam nonnulli ſcribant hoc eveniſſe ſuperiori anno, alii vero Stephano III. Papa. Natalis tamen de Alexandro ſuſtinere voluit in diſſert. 2. seculi 7., nec Zachariæ, nec Stephani PP. auctoritate Pipinum ad Galliarum aſſumtum fuiſſe Regnum; verum, pace Natalis dixerim, Antonius Pagi illum aſſentationis reum, hac in re poſtulat, vel vehementis amoris erga patriam. Deinde quoque cum Haiſtulphus Langobardorum Rex minatus eſt Romæ depopulationem, & vaſtitatem, Stephanus II. vel III. Papa literis primum ſcriptis ad Pipinum contra hujuſmodi Eccleſiæ comminantem hoſtem, Galliam venit, ut ab eo auxilium peteret. Profecto nullibi alias magis eluxit Pontificia Majeſtas, quam in hoc itinere: Rex enim ipſe venienti Pontifici; obviam profectus eſt ultra viginti quatuor millia paſſuum, eumque a longe inſpectum ſalutavit, deinde ſumma demiſſione cum filiis, & uxore pronus in terram veneratus excepit; ac denique ducens frænum equi Pontificem vehentis, ad Regias ædes perduxit, pedes ipſe, nuduſque capite. Eventus comprobavit quoque, has Pipini demonſtrationes fuiſſe veras ex animo productas. Contra Haiſtulphum enim Regem progreſſus eſt, eumque aggreſſum vicit, atque Eccleſiæ relinquere coëgit quidquid vi, & dolo malo abſtulerat. Sed nec indonatus Pipinus pro his geſtis rebus abiit a Pontificis munificentia: nomine autem honeſtatus eſt Defenſoris Fidei. Verum enim vero adſtipulari non poſſumus Baronio, dum aſſerit eidem Regi fuiſſe a laudato Pontifice conceſsam auctoritatem eligendi Epiſcopos in ſuo Regno, nam P. Pagi notat, ante illud tempus hanc habuiſse Galliæ Reges facultatem.

Diſſimilis autem non fuit Pipino Carolus Magnus ejus succeſsor. Etenim cum Deſiderius Hetruriæ Dux Haiſtulpho,

pho, in Langobardorum Regno, ſucceſſiſſet, & Eccleſiæ ſtatum uſurpare ſtuduiſſet, Adrianus I. Pontifex auxilium a Galliæ Rege petiit. Quamobrem Deſiderium Eccleſiæ reſtituere recuſantem, quod vi occupaverat, Carolus Magnus Ticini aggreſſus eſt, captivumque fecit; quo negotio Langobardorum res conclamatæ ſunt, eorumque regnum, quod ducentis fere annis floruerat, eſt deletum. Carolus exinde ſe Romam tranſtulit, ubi maximo plauſu, lætoque populi clamore eſt acceptus. Ipſe autem humiliter ad Principis Apoſtolorum Templum protinus venit, ubi Pontifex eum expectabat, dumque Hic venientem Regem amplecti conaretur, atque in amplectentis formam sese componeret, Rex venerabundus ad Pontificis pedes ſe projecit. Neque hunc ſolum ſuæ voluntatis erga Sanctam Sedem ſignum dedit, ſed & firmavit omnia, quæ a Pipino Patre ſuo fuerant Eccleſiæ donata, atque ipſa paterna dona auxit, ut Cardinalis Cuſanus ſcripſit lib.3.cap.2.de Concord.Cath., Joannes Morinus part.3. cap.4. libri gallicè ſcripti de Eccleſiæ Magnitudine, Cardinalis Baronius ad annum 1191. Ille vero pro his rebus geſtis a Leone III. Summo Pontifice maximam inter populi lætitiam Imperatoria corona, in Natali Domini die, seculo octavo fuit ornatus.

Peraſſiduam quoque ſucceſſor Caroli Magni Ludovicus Pius habuit Eccleſiæ defendendæ cupiditatem; ideoque maximo honore Lutetiæ Stephanum IV. Summum Pontificem Leonis III. ſucceſſorem excepit: firmavitque cunctas Patris, Avique donationes Eccleſiæ factas; atque, ut habetur ex capite *Ego Ludovicus*, ſcimus, eum omne jus in Pontificum electione abdicaſſe: quapropter jure merito dubitandum eſt de capite *Quia Sancta*, diſt. 23. ubi eſt expreſſum a relato Pontifice ſtatutum fuiſſe, electionem coram Cæſaris Legatis faciendam eſſe. Ludovici Pii donatio penitus fictitia a P. Pagi putatur, neque alia de cauſa, niſi hac una, quia in ea fit mentio de Siciliæ Regno, quod neque Carolus Magnus, nec ejus ſucceſſores poſſederant. Sed quanquam hujus Auctoris rationes alicujus momenti

videantur, hujuſmodi non ſunt ut ex iiſdem in dubium poſſit donatio vocari. Quoniam ſtatim ac Carolus Magnus Langobardorum regnum delevit, non ſolum omnes firmavit donationes, ſed etiam, quod potuit, vetera auxit munera. Dono enim datis Eccleſiæ Sicilia, Corſica, Sardinia, ac Spoleti, Hetruriæque Ducatu, quod reliquum fuerat, & a Langobardis poſſidebatur, ſibi retinuit, atque hoc eſt Italiæ Regnum appellatum. Ex quo clarum fit nullius habendam eſse ponderis P. Pagi oppoſitionem.

Ludovicus poſtea II. fuit in Italiam a Lothario Imperatore Patre ſuo poſt Sergii II. Pontificis electionem miſſus, eo quod cum Cæſaris annuentis voluntas in Pontificis electione tunc temporis deſideraretur, Sergius II. ad Sedem venerat Imperatore inſciente. Sed Ludovicus ſuorum deceſſorum erga Romanos Pontifices obſequentem animum non ignorans, Pontificem inviſit, ejuſque pedes eſt oſculatus, & Italiæ coronam ab ipſomet recepit. Quin Baronius addit Auguſtum quoque fuiſſe declaratum, ſed perperam: hoc enim nomen a Patre deinde obtinuit, anno ſcilicet 849. & ſequenti anno a Leone IV. Pontifice Imperatoria eſt ornatus laurea, qua donatus ſtuduit æmulari Pipini Regis obſequium, & voluntatem erga Romanos Pontifices. Etenim ſumme veneratus eſt Nicolaum I. P., dum is colloquii cauſa ad se veniſſet; conſecrationemque Adriani II. P. nullo interventu Imperatoriorum Legatorum factam, etiamſi contra conſuetudinem eſſet, & ratam habuit, & probavit. Ceterum quiſnam alius in hujus Imperatoris obitu univerſas contentiones cauſa Imperii inter Carolum Calvum Galliæ Regem, & Ludovicum Germaniæ ortas, ſedavit, niſi Joannis VIII. Pontificis prudentia? Epiſcoporum enim Concilio Romam convocato Imperii dominium Carolo Calvo firmavit, ut videre eſt penes Sirmundum tom. 3. Conc. Quamobrem quis negare poterit de Eccleſiaſtica Auctoritate non adimpletum eſſe illud Hieremiæ vaticinium? *Conſtituam te ſuper Gentes, & Regna.*

Verum quanquam piorum Galliæ Regum gens, in Roma-

manorum Imperio interiiſſet, tamen Principes univerſi, qui ad Imperium deinde vocati ſunt, Defenſores Eccleſiæ pene ſemper sese oſtenderunt. Et ſane Otho I. Imperator, decreto lato, omnes firmavit Eccleſiæ donationes, Pontificique Max. fidelem ſe præbuit, ejuſque fidelitas notatur etiam a Cujacio lib. 2. de Feudis prope finem titul. 7. de nova forma fidelitatis his verbis: *cum a Berengario, qui ſe in Italia pro Imperatore gerebat opprimebatur, Joannes XII. ei tantum Otho ſuam operam pollicetur quaſi vaſſallus*. De Imperatore autem ejuſdem nominis tertio ſcriptum eſt, Gregorio V. Pontifici permiſiſſe, ut ſeptem Germaniæ Principes inſtitueret Imperii Electores, atque ante Summi Pontificis confirmationem, tantum Cæſares, vel Reges dicerentur Romanorum; poſt illam vero Imperatores, & Auguſti nuncuparentur. Sed quamvis hoc non ſolum ex Auguſtino Triumpho, ex Ptolemeo Lucenſi colligatur, verum etiam ex Bellarmino de Translat. Imperii cap. 1. ex Baronio, & præſertim ex libro de Regimine Principum, qui Divo Thomæ adſcribitur; attamen quia de hac re perplurimi dubitavere, ideo inferius eorum omnes conjecturas in medium adducemus, præcipue dum de relato Pontifice ſermo redibit. Idem vero Imperator cum Gregorium V. ejectum a Pontificatu audiviſſet, Romam advolavit, ut in Petri Sedem illum reſtitueret.

Sed ſilentio hic prætereunda non eſt pietas Matildæ Comitiſſæ Hetruriæ, quippe quæ mulier, ſumma virtute, ſe oppoſuit Henrico IV. Imperatori poſt Nicolai II. Pontificis mortem, qui in Concilio Romæ habito decreverat Sacerdotum caſtitatem, & Pontificem è ſolis Cardinalium ſuffragiis eſſe eligendum. Sic enim Cujacius ſcripſit loco ſupra citato: *Interpres ad titulum* VI. *jusjurandum quoddam fidelitatis allegat, quod dederit Otho Joanni, quod ſumſit ex cap. tibi Domino 64. diſtinct. Is eſt Otho primus, qui non fidelitatem Joanni juravit, cum juraret potius ea ætate Pontifex Imperatori (erat enim creandi poteſtas penes Imperatorem)*. Sed neſcio, an hæc ipſe pro veritate ſcripſerit,

rit,notum tamen eſt (quanquam idem de tanto viro affirmare non auſim) quod Antonius Teiſſer notavit in literatorum Galliæ elogiis, ductus fortaſſe falſis vulgi rumoribus, incidiſſe Cujacium in hæreſim, præcipuè quod fuit Henrici IV. partes ſecutus; qui Eccleſiaſticis negotiis per vim se immiſcuit, & ad Summum Pontificatus culmen Parmæ Epiſcopum dolis, armiſque evexit. Matilda itaque non minus animi, quam armorum virtute ex Romanis pene Urbibus Gibertum depulit Inſubriæ Præfecturam gerentem, falſumque Pontificem cum eo fugavit. Verum deinde relatus Imperator a Divo Gregorio VII. Summo Pontifice fuit interdictus, quippe qui Alexandri II. Deceſſoris P. citationi contumax. Sed Matildæ precibus eſt abſolutus, at poſtmodum depoſitus ab Henrico V. Imperatore ejus filio fuit, atque ex Dominatu exturbatus, adactus eſt veniam Sanctæ Sedi petere. Quanquam ipſe tantis rebus geſtis Eccleſiæ infeſtior factus eſt: patriſque inſanias imitatus, ſeu melius, longo intervallo ſuperans, Pontificem Paſchalem II., & Gelaſium II. eſt perſecutus. Lotharius tamen II. ſtatim ac in Imperio ſucceſſit in Summo Epiſcopatu Innocentium firmavit ſecundum, è quo fuerat a falſo Anacleto Pontifice ejectus.

Fridericus vero I. ex Sueviæ Ducatu ad Imperium evectus, non parva erga Pontificatum obſequii, & venerationis ſigna dedit: poſtquam enim Viterbi cum Pontifice Adriano IV. fuit allocutus, ea obſequii argumenta demonſtravit, ut Adrianum ſuſtinere, & in equum aſcendentem levare non fuerit indignatus. Poſt pulcherrimum vero id factum in Principis Apoſtolorum Baſilica ab eodem Pontifice Imperatoriam coronam accepit.

Sed hic non eſt omittenda Gulielmi Siciliæ Regis pertinaciæ narratio, qua audaciſſimum Patrem Rogerium ſuperavit. Sui enim juris facere niſus eſt conſecrationem Epiſcoporum, qui ſuo dominatu continebantur, excommunicationis fulmen parvi pendens. Ea ex cenſura igitur non emendatus, ſed magis indignatus Guillelmus, Eccleſia-

ſti-

ſticum ſtatum invaſit. Sed deinde ſui facti pœnitens ad pedes Adriani IV. Pontificis ſe projecit, a quo fuit benigne acceptus, eique omnia bona, tituliqne Paterni firmati ſunt hac lege, ut regnum uti Sanctæ Sedis feudum haberet. Exinde contentiones quidem maximæ inter Pontificem Alexandrum III., & ipſum Imperatorem Fridericum ortæ ſunt. Nam hic quod Epiſcopi Ravennenſis conſecrationem non obtinuerat, vehementer in illum iratus eſt. Verum quam venerationem Fridericus I. Pontifici non præſtitit, præſtitere Ludovicus VII., & Henricus II., Galliæ, Angliæque Reges, qui convenere Pontificem ex Urbe profugum, Galliam verſus poſt multas vexationes, & equi frænum uterque tulere, Imperator vero poſt Adriani IV. Pontificis mortem, omnes nervos intendit, ut Pontificia Cathedra a Victore IV. Antipapa per aliquod tempus uſurparetur. Multa, volentes, hic præterimus ab eodem Cæſare adverſus Romanos Pontifices inſtituta, videri enim poſſunt apud Randevicum lib. 2. de Geſtis Frid. At vero cum vidiſſet Pontificem Alexandrum III. totum Eccleſiaſticum ſtatum ſibi comparaſſe, in Siciliæque regno Guillelmum II. cognomento Bonum ſucceſſiſſe, & ad eundem Pontificem Legatos miſiſſe, ut ſe Feudatarium oſtenderet, & Eccleſiæ Defenſorem; Imperator Fridericus I. dictus Ænobarbus ad ſublimiſſimum Eccleſiæ gradum ſuſtulit denuo falſum Pontificem Paſchalem III. Sed demum multis divinitus pœnis affectus, ſuum errorem cognovit, & Venetias venit, cauſa inviſendi Alexandrum III. verum Pontificem, ad cujus pedes humillime ſe abjecit (quicquid alii effutiant, eum tunc dixiſſe, *non tibi ſed Petro*) Quid? num equitanti Pontifici præſto non fuit? Num in equum aſcendentem non levavit? Romam itaque Alexander cum perveniſſet, extinxit quodammodo, illius temporis ſchiſmata, & obſequentem, ut par erat, tunc habuit Calixtum III. Antipapam, poſt Paſchalis III. itidem Antipapæ mortem, electum, quem benigne Alexander III. excepit. Attamen alium ſchiſmatici elegerunt Antipapam Innocentium III. dictum. Quamobrem

brem ad ſchiſma omni ex parte evellendum Alexander III. verus Pontifex decrevit in tertio Lateranenſi Concilio, ut Pontifex a ſolis Cardinalibus eligeretur.

Sed quia ſuperius mentionem de Siciliæ regno fecimus, hic non erit inutile de Civili Dominatu Pontificum in illam Inſulam pauca adnectere. Et ſane quanquam inficiari non poſſit Siciliæ Reges, ac Neapolis, ſicut etiam pleroſque Europæ Principes in Regnis ſuis, eſſe habendos Monarchas, & quamvis a Romano Pontifice inveſtituram accipiant, in ſubditos Supremorum Principum jus habere, ut Auctor eſt Afflictus in Conſt. Neap. prælud. q. 20. n. 1.; attamen inter Romanæ Sedis Feuda, hoc Neapolis, Siciliæque regnum ab omnibus adnumeratur, teſte eodem Afflicto dec. 282., Bodino lib. 1. de Rep. cap. 9. Bernardo Van-Eſpen, aliiſque. Quod regnum Eccleſ. R. ex Conſtantini, aliorumque Principum Munificentia, ſicut legitur in Afflicto Conſt. Neap. prælud. q. 24. n. 1., obtinuit; aut ex illarum Civitatum, Provinciarumque conceſſione, quæ ab Othone I. fuere Joanni XII. Pontifici donatæ, Jo: Franc. Leo in Theſauro Fori Eccleſ. p. 1. cap. 12. n. 8., ideoque hoc regnum de Divi Petri Patrimonio eſt, quin Feudum Eccleſiæ appellatur. A Romanis tamen Pontificibus in Emphiteuſi Regibus illius regni conceditur, Card. Thuſchus in concluſ. 351. v. Rex Siciliæ, & in concluſ. 391. v. Rex Apuliæ; qua de cauſa in eo etiam feminæ ſuccedunt. Fidelitatis autem juramento iccirco non adiguntur, quod gratia accepta a Cœleſtino III. Pontifice, omnibus quoque prodeſſe ſucceſſoribus Cujacius notavit ad cap. veritatis 14. de jure jurando. Inveſtituram autem cenſu in annos, quem Romanæ Eccleſiæ ſolverent, accipiebant. Cenſus tamen primum erat XLVIII. millia numorum aureorum, deinde redactus eſt in Achiream, & ſeptem numorum millia. Verum poſſeſſionis inſtar Emphiteuticæ utile tantum adipiſcuntur Reges dominium, directum enim penes Eccleſiam remanet Romanam, ipſique Ligii ſunt ejuſdem, ut Bodinus loco laudato notat. Igitur in interregno Optimatibus, ſive Baronibus

feu-

feuda conceſſere Pontifices, teſte Afflicto deciſ.282. n. 11. & niſi de feudo agatur juriſdictionem in Clericos exercere non poſſunt Reges.

Profecto dignum admiratione, ne dum obſervatione eſt, quomodo poſt varias rerum viciſſitudines, & diſcrimina, tandem aliquando ſub Pontificum umbra hoc regnum quieverit. Et a principio quidem in utriſque Siciliis penes populum imperium fuit, & Romanum Imperatorem, uſque ad Honorium Cæſarem, Reparatæ ſalutis nempe annum 412., cum a Gothis debellatæ ſunt Siciliæ, Procopius lib.1. hiſt. Goth. Poſt Imperium Gothorum per ducentos annos Langobardi dominatum obtinuerunt, Paul. Wernefud. de reb. geſt. Langob., & Michaël Ritius de Regno Siciliæ. At Langobardis a Carolo Magno devictis, Italiaque pulſis, Francorum Imperatoribus jure belli obtigit. Collenucci hiſt. Neap. lib.2. His vero per Saracenos circiter annum 929. regno ejectis, & Saracenis denique pulſis per Normannos, hi dominatum adepti ſunt anno 1186., in eoque primi regnarunt, ut L. Auctor ait lib.2. hiſt. cap.3. Principes viri, Guiſcardus, & Rogerius Adriano IV. Pontifice annuente, cujus juris erat, longo temporis ſpatio firmati, regnum cui vellet libera conceſſione largiri. Sed extincta tamen in Guilielmi morte cognomento Boni Normanorum ſtirpe, omnia Imperii jura ad Conſtantiam Rogerii filiam pervenerunt. Quæ Deo ſe devoverat in Sanctæ Mariæ Panormi Monaſterio (quidquid in contrarium diſputet Baronius, cujus opinio infringeret monumenta, a Thoma Coſta relata in annotationibus libri 3. hiſtoriæ Collenucci), ſed quocunque modo ſe res habeat (noſtri enim inſtituti, non eſt, ſubtilius hanc rem inveſtigare) inquiunt tamen Clementem III. Summum Pontificem diſpenſaſſe, ut nuptias cum Henrico Imperatoris Friderici Ænobarbi filio, legitimo jure faceret, eaſque Mediolani fecit anno 1186. Conceſſit deinde eidem Henrico regnum anno 1191. Cœleſtinus III., quem dum coronaret Pontificiam Pontifex, nova excogitata ratione, pene oſtentando, demonſtravit auctoritatem: nam Henrici, capiti

ſuis

ſuis manibus impoſitum Diadema, eodem tempore, pede expulit, atque in terram dejecit, ut Baronius ſcribit, cujus aſſertionem, cum de hoc Pontifice peculiarem inſtituemus ſermonem, clare adverſus aliquos magni nominis criticos veram eſſe probabimus. Poſſidebat Siciliæ regnum Tancredus Lycienſis Comes, nothuſque Rogerii filius; quapropter Henricus Rex, & Sextus hujus Nominis Imperator, ut ſuum faceret, quod jure dotium obvenerat, regnum, in Italiam cum exercitu profectus eſt: lue vero inter milites graſſante, rediit infecta re. Sed Tancredo poſſeſſore è vivis ſublato, regno eſt potitus, & Eccleſiaſticum deinde ſtatum invaſit, qua de re excommunicatus a Pontifice, morte, ſui ſceleris pœnas dedit. Quanquam Baronius referat eum pœnituiſſe ad extremum, a ſe Eccleſiam fuiſſe vexatam, eandemque heredem ſcripſiſſe de Siciliæ regno, ſi filius Fridericus ſine liberis obiiſſet; Unde Innocentius III. Pontifex ablata bona iterum comparavit, & in Siciliæ regnum Henrici VI. uxorem, ejuſque filium Fridericum confirmavit, hoc tamen onere, ut Eccleſiæ in annos cenſum ſolveret, ſicut habetur ex epiſtola 408. Innocentii lib. 1. Hic vero Fridericus fuit quoque Imperator hujus Nominis ſecundus a Pontifice Imperatoria laurea honeſtatus; Innocentius namque III. ante illum Othonem IV. ad Imperii culmen evexerat. Ingratiſſimus tamen Otho dignitatem acceptam, & arma in Pontificem ipſum convertit; Nam Eccleſiæ ſtatum, Siciliæque regnum eſt aggreſſus. Sed anno ab impia vi elapſo, fuit a Pontifice excommunicatus, Imperiique ſubditi a fidelitatis juramento ſunt abſoluti. Germaniæ Optimates Pontificis auctoritatem ſequentes Imperatorem Fridericum II. Siciliæ Regem elegerunt, a quo Raynaldus refert, ſtatim edictum fuiſſe promulgatum pro libera Epiſcoporum electione in Siciliæ regno. Sed vero mortuo ejus filio Conrado, alter filius Manfredus nothus, ſine Pontificis auctoritate, in regni poſſeſſionem irruit anno 1254. Ad cujus temeritatem infringendam Urbanus IV. Pontifex inveſtituram regni Carolo Andegavenſi dedit, Ludovici Gal-
liæ

liæ Regis, fratri, qui Manfredum e regno, atque e viventibus expulit, & poſtea etiam Conradinum. Caroli tamen ſuperſtites uſque ad Ludovicum Andegavenſem ſucceſſere; cujus ſoror Joanna cum regni heres fuiſſet, Carolum alterum Ducis Andegavenſis filium adoptavit, ac deinde Alphonſum Aragoniæ Regem, qui ei ſucceſſit, Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 9. Regnarunt deinde longo ordine Reges Aragoniæ uſque ad Ferdinandum; at poſtea a Carolo VIII., & Ludovico XII. Galliarum Regibus exactum e regno, Ferdinandum, Magnus Conſalvus ſua virtute in dominatum reſtituit, Thuanus lib. 1. hiſt. cui Carolus V. Imperator anno 1516. ſucceſſit, a quo ad Hiſpaniæ Reges pervenit uſque ad Caroli II. Auſtriaci Hiſpaniarum Regis obitum, ex cujus voluntate hereditario jure hoc regnum adiit Hiſpanæ Monarchiæ ſucceſſor. Verum per aliquod tempus dominatus in eo eſt Cæſar Carolus VI. cum inveſtitura Summi Pontificis Clementis XI. ſed rediit demum ad Hiſpaniæ Reges noſtris temporibus virtute comparatum, & armis a Carolo Borbonio Rege Philippi V. Hiſpaniarum Regis, filio, qui inveſtitura accepta a Summo Pontifice Clemente XII. eo, ſumma populorum lætitia, potitus eſt. Videbitur fortaſſe Lectori, hæc Neapolitanarum rerum viciſſitudinum enarratio vel inutilis, vel impropria, vel ad eruditiunculæ famam captandam hic appoſita: ſed animadvertat quæſo, uti hæc omnia ad rem noſtram faciant. Hæ autem Neapolitani Regni vices demonſtrant non interrupto ordine uſque ad noſtram ætatem hoc regnum feudum fuiſſe Sanctæ Sedis ab omnibus & habitum, & judicatum. Immo Franciſcus I. Galliæ Rex volebat, ut Carolus V. Imperator Neapolis, Siciliæque Regis titulum ſibi non adſcriberet, ideoque Cardinalem Bibirnum Pontificis Clementis VII. Legatum in Gallia monuit, ne Pontifex id pateretur, ut Auctor eſt Loyſeau cap. 2. n. 82., quippe quia Romanæ Sedis feudum.

Idem dicas de Angliæ, Hiberniæque regnis. Cum enim Angliæ regnum fuiſſet a Joanne, poſt necem Riccardi

fratris ſui, occupatum, quo parricidio, aliiſque innumeris ſceleribus, ab Innocentio III. Summo Pontifice eſt excommunicatus: ipſe Joannes ad ſe reverſus, & ſcelerum pœnitentia ductus, humillimè veniam eſt apprecatus, Legatumque a Pontifice ad ſe miſſum, inaudita animi demiſſione, genibus flexis, facieque humi dejecta recepit, ad cujus pedes regiam depoſuit coronam, & poſt sextum tantæ humilitatis diem ab eodem Apoſtolico Legato Card. ſcilicet Tuſculano tanquam munere datam, recepit. Qua de re in regnis Angliæ, & Hiberniæ feudatarium, cum summo tributo, ſe conſtituit, reſtitutiſque rebus ablatis fuit abſolutus. Recte hinc Juriſconſulti inferunt ipſos Reges feudatarios Sanctæ Romanæ Sedis eſſe, ut a Bodino notatur lib.1. de Republ. cap.9., & a Coppino de dom. Franc. tit.1. n.11. quod confirmatur etiam a Card. Tuſch. in concluſ. 339. v. Rex Angliæ. Neque id ipſi Angli negare poterunt, cum apud omnes scriptores ſit exploratum.

Fuit etiam a scriptoribus memoriæ proditum, quod multo antea Adilulphus Rex Angliæ virtutis, ac miraculorum fama commotus S. Pontificis Leonis IV., Romam venit, ut illi obſequeretur, & benigne a Pontifice exceptus, ſe ipſum, ac ſuum regnum Eccleſiæ ſubmiſit, & feudatarium fecit, in ſingulas familias, argenti pondere, pro tributo impoſito, quod, quoniam Divi Petri ſucceſſoribus penderetur, Divi Petri pecunia dicta fuit, atque ſoluta uſque ad Henrici VIII. ætatem, Chevigni pag.122. Et ſane quisnam alius cognovit cauſam poſſeſſionis prædiorum in Anglia ſpectare ad Regem Henricum II. niſi Pontifex Alexander III.? Itaque incaſſum laborant Angli aſſerentes hujus juris probationem exilem eſſe, & enervem, quod præter acta, & Romanæ Eccleſiæ regiſtra, quæ inter feuda Pontificum Angliam, & Hiberniam numerant, quibus nulla fides hac in re eſt habenda, nullus alius adhibeatur teſtis; quapropter Camdenus eorum scriptor id, ut figmentum rejecit in Britan. cap. Hibernia, aſſerens Pontifices propriæ auctoritatis, teſtes, & Judices non eſſe habendos. Verum non-

nonnulli, quibus Camdeni ratio ſatis firma non eſt viſa, addidere, quod non potuiſſet Joannes, vel alius eorum Regum jus lædere poſterorum, & regni bona comminuere ſervitute impoſita: ſed ut a deceſſoribus receperant, ita & debuerant ſucceſſoribus relinquere. Attamen vel cœcus videt harum nullum eſſe pondus rationum: etenim quonam alio loco potuerunt melius inſcribi Max. Pontificum jura, quam in Romanæ Eccleſiæ tabulariis, quibus omnis eſt habenda hac in re fides? Accedit, quod hæc notata penes alios Auctores occurrunt, qua de re Angli ſcriptores cum Arturo Duck falluntur: & miſere hallucinantur etiam aſſerentes, non potuiſſe Joannem, aut alium eorum Regem onus ſucceſſoribus inferre. Sed hoc reſponſum habeant: penes Joannem Angliæ Regem erat omnis poteſtas in ſua regna; ideoque recte potuit eadem facere feudataria, ſeque declarare Summi Pontificis vaſſallum.

At vero ad magis magiſque firmandam venerationem, quam Britanni Majorum ſuorum temporibus erga Summum Pontificem habuerunt, liceat hic obiter apponere controverſiam a Britannicis relatam ſcriptoribus, quæ Scotorum inter, & Anglorum Reges erat de ſupremo Scotiæ dominio. Etenim Angli aſſerebant Reges ſuos directos eſſe totius Scotorum Inſulæ dominos, quoniam ejuſdem Inſulæ Reges jure beneficiario regnum habuerant, atque in feudum iiſdem a Regibus Angliæ traditum, quibus ut vaſſallos fidem, obſequiumque præſtandum juramento promiſerant. Addebant, quod cum Athelſtanus Anglorum Rex a Conſtantino Scotorum Rege homagium, ac juramentum fidelitatis recepiſſet, eidem hæc proferens verba reſtituit: *Glorioſius eſſe Regem facere, quam Regem eſſe*. Scoti autem hanc negabant ſubjectionem; dicebant enim non pro Scotiæ regno homagium dediſſe Anglicanis Regibus, verum pro Cumbria, Weſtmaria, & Huntingdinia. Sed cum vacaſſet Scotiæ regnum, hæc fuit delata ad Sanctam Sedem Romanam controverſia, & Pontificem judicaſſe referunt, in Scotiæ regno, temporalibus in rebus, neminem, Rege

ſuperiorem eſſe, ut ipſimet Britannici ſcriptores teſtantur. Utinam autem, nunc temporis, eandem Sanctam Sedem conſulerent Angli, pro rebus ad animam, & ſempiterna bona pertinentibus, atque erga ipſam renovarent exempla obſequii, quod eorum Majores reddidere.

Sed ex Anglia ad Poloniæ regnum tranſeamus. Et a principio fateor cum omnibus Juriſconſultis Reges Poloniæ nullum in ſuis dominiis ſuperiorem habere, & Dominos illius regni supremos eſſe. Memoriæ proditum tamen eſt a Bodino lib.1. de Republ. cap.9. ſupra eoſdem Reges auctoritatem Romanos aliquando Pontifices habuiſſe, licet poteſtatem omnem in Polonorum regnum jactent Imperatores: nam Boleslaum Ducem Poloniæ ab Othone III. Imperatore Regiam accepiſſe coronam teſtantur hiſtoriæ, ſicut & Franciſ. Hottoman. notavit in diſputat. feud. cap. 1. Temporibus vero Caroli Magni in omnes illas Provincias uſque ad Scythiam Imperatoris dominium fuerat, teſte Thuan. lib.28., verum tamen Otho III. Imperator uti ſocium, non autem ut Feudatarium Boleslaum, a se Poloniæ corona honeſtatum anno 1001. cognovit. Verum non ſunt quidem hac in re pro Summis Pontificibus ſpernendæ rationes. Primum. enim Benedictum IX. Pontificem permiſiſſe legitur Divo Caſimiro redire ad Poloniæ Thronum ex Cluniacenſi Monaſterio, quo ſe receperat, vitamque agebat, Civilium bellorum cauſa, magis in dies creſcentium a Buxetislai Bohemiæ Ducis tyrannide; ideoque ad ea dirimenda anno 1041. laudatus Pontifex populorum precibus inductus monaſticis votis abſolvit, eique indulſit, ut uxorem ducere poſſet, hac tamen lege, ut ejuſdem regni Nobiles certum Sanctæ Sedi ſolverent tributum, quin & capite detonſi Monachorum inſtar, procederent, ſicut ex Longini hiſt. Polon. Nat.de Alexand. refert. Sed validius argumentum pro Romanis Pontificibus eſt, quod aliquando Polonos Reges, dignitate privarint, ut exemplo eſt, Gregorii VII. Pontificis factum. A Boleslao quippe II. Poloniæ Rege interfecto Divo Stanislao Archiepiſcopo Gueſnenſi, a quo re-

pre-

prehendebatur, laudatus Pontifex non modo illum excommunicatione coërcuit, verum ei Regiam abſtulit dignitatem anno 1079., licet eamdem non per Pontificem, ſed jure ſuo duobus ante annis, eſſet adeptus, ut P. Pagi notat, ſuis acceptam referens deceſſoribus, qui ut a nobis dictum eſt ab Othone III. Imperatore habuerant. Antea enim Ducis tantum nomine cohoneſtabantur, quod perpetuum illis non fuit, nam primus inter Duces fuiſſe dicitur Lechus, verum poſtea duodecim commiſerunt regimen Palatinis, & ita eorum viciſſim arbitrio uſque ad annum 860. eos perduraſſe legitur in Cromerio de Republica Polon. lib. 1., donec Præmislaus fuit eorum Dux electus; poſt hunc vero Duces alii uſque ad Boleslaum I. ſemper ſucceſſere, qui ut docuimus Regio diademate ab Othone III. Imperatore fuit decoratus annuente etiam Divo Gregorio VII. Summo Pontifice, quod diadema deinde multis poſt annis patrati criminis cauſa Boleslao II. ab eodem Pontifice ablatum eſt. Qua de re referunt uſque, ad Lacoldum Ducis tantum habuiſſe titulum, cui a Joanne XXII. Summo Pontifice Regia dignitas fuit reſtituta, cum onere tamen annui tributi Pontificibus præſtandi, quanquam ab hoc poſtmodum, Romano Pontifice annuente ſe Reges ſubtraxiſſe referat Cromerius de rebus Polon. lib. 4. Sed ſufficiat huc uſque de Poloniæ regno dixiſſe, & ad aliorum Dominationes, in quibus Romani Pontifices jus ſuum vindicant, gradum faciamus.

Et primo quidem, quod ad regnum Hungariæ pertinet ex Dione Caſſio in lib. 49. colligitur, eoſdem ab Auguſto in Romanorum redactos fuiſſe poteſtatem, ac in eandem perduraſſe, habetur ex Chronologia Hungariæ Joannis Sambuci, uſque ad Conſtantinum Magnum; poſteaque hanc Barbari tenuere populi regionem, quæ ab Hunnis Hungariæ nomen accepit. Sed demum poſt nonnullos Reges ab Eliſabetha Alberti Auſtriaci Imperatoris uxore fuit hujus Regni corona ad Auſtriacam ſtirpem translata, Mich. Ritius lib. 1. de Reg. Hung. At non deſunt, qui referant eos, jure feudi, regnum a Romana Sede habuiſſe, cui

in

in annum debeant cenſum præſtare, Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 9., a quo etiam notatur hoc in loco, quod ex actibus ſolummodo Vaticanis, atque decretalibus Summorum Pontificum epiſtolis id confirmari poſſit; ideo Hungari putant his fidem non eſſe habendam scripturis, ſuaſque rationes ſtatuunt in illa legis diſpoſitione Cod. de teſtibus expreſſa. Sed quantum ſententia legis, diſtet a caſu noſtro quiſque videt; quinimmo nec eſſet alienationis revocatio credenda ab Honorio III. Summo Pontifice facta, quia Cironius eam infert ex cap. intellecto n. 5. de jure jurando in compilatione Honorii, quod ſcilicet Andreas Hungariæ Rex, ad Venetos pro exercitus vectura jus ſuum in Dalmatia tranſtulerat, atque exploratum eſt, hoc a laudato revocatum fuiſſe Pontifice.

Sed pauca dicamus de Luſitaniæ regno. Multi reges poſt Barbarorum dominationem illud regnum habuere, antequam ſub Hiſpanorum dominio, & poteſtate redigeretur. Etenim poſt 500. annos Philippus II. Caroli V. Imperatoris, filius, Hiſpanicis Regibus illam regionem comparavit, è quorum dominatu ſubducta eſt, Hiſpaniarum Philippo IV. Rege, anno 1640., ex quo Brabantiæ Duces jure dotium poſſident illud regnum. Verum ne hac etiam in parte aliquis credat Summorum Pontificum imminutam auctoritatem, quam antiquitus in hoc regno habuere, ideoque addere in animo eſt, quod referunt scriptores. Cum enim Alphonſus Enriquez, Ducis Burgundiæ, filius, ſtrenue contra Mauros pugnaſſet, ob hæc feliciter geſta, Alphonſus VI. Caſtellæ Rex ei in matrimonium filiam collocavit, & dotis loco ſpopondit Luſitaniæ regiones, quas Comitis nomine poſſidebat, Borellus in lib. de Catholicorum Regum præſtantia cap. 46. n. 216. Sed ante prælium cum Techeſino Saracenorum Imperatore commiſſum anno 1139., fuit a Luſitanorum ſuorum militum acclamationibus Rex Luſitaniæ ſalutatus, & in hoc conſlictu non ſolum reliquas illius regni partes acquiſivit, verum etiam quinque Saracenorum Principum vexilla, quamobrem quinque clypeis gentilitium ſtem-

ſtemma ornavit. Deinde vero poſteriori anno 1140. timens Alphonſum VII. Caſtellæ Regem, recens comparatum regnum Sanctæ Sedi vectigale fecit, teſte P. Pagi n.23., immo Calviſius, & Nat. de Alex. ſcripſere, hoc etiam fuiſſe factum anno 1144., Lucii II. Pontificis tempore. Sed demum Alexander III. Summus Pontifex, ſuis literis Alphonſo I. Regis titulum, quod a multitudine ſuorum militum ſalutantium receperat, firmavit, Coninbricenſ. in lib. de ſucceſſ. Reg. Portugall. Qua de re Itali ſcriptores, communi ſuffragio, ſtatuunt, eum cum ſuis ſucceſſoribus Romani Pontificis vectigalem fuiſſe. Uſus eſt igitur ſuo jure Innocentius IV. Summus Pontifex, cum Sancio Luſitaniæ Regi negligenti curatorem dedit fratrem ſuum Comitem Bononienſem. Sed Hiſpani, ac Luſitani ex hoc ipſo defendunt tunc neque Pontificiæ auctoritati, neque Imperatoriæ, Luſitaniæ ſubjectos fuiſſe Reges, & in ipſiusmet facti relatione inquiunt, Innocentium IV. Pontificem dixiſſe de hereditate Regni contra Regem Sancium, vel ejus filium poteſtatem ſibi non vindicare. At vero pro hujuſce rei illuſtratione, an ſcilicet hoc regnum ſui juris ſit, an Sanctæ Sedi ſubjiciatur, legendum eſt diploma Innocentii IV. Papæ apud Raynaldum anno 1253. n. 46.

Verum miſeris hiſce temporibus Romani Pontificis in Reges, & regna non floreſcit auctoritas: & in cauſa eſt Principum cupiditas, & male-ſuada auri, fames, cui cum Apoſtolo tribuimus radicem omnium malorum. Hinc enim exorta ſunt bella, quæ ſecum mala univerſa traxere; hinc jura omnia divina, & humana commixta; hinc direptiones, latrocinia, extorſiones, Urbes, Provincias, regna ipſa, turbarunt, vexarunt, perdiderunt: Qua de re nemini admirationi eſſe debet, ſi Pontifices jure ſuo hoc tempore non utantur; nam cum ipſi tanquam Regum Patres habeantur, aſſiduaſque Deo preces, atque incruenta faciant ſacrificia pro pace, & tranquillitate regnorum, taciti patiuntur ſua minui jura, dum nullum Eccleſiæ, aut leve inferant damnum, potius quam cauſas præbere diſcordiarum. Nobis vero ſufficiat

ficiat hic evidenter probaſſe auctoritatem Pontificis in rebus temporalibus, ut Prophetæ vaticinium de Pontifice intelligatur: *Conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna.*

Neque nos hic obtundant Regii juris Patroni, illud Davidis opponentes Pſalmo 2. v.6. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus*: quibus verbis Regiam Poteſtatem extollere præſumunt etiam ſupra Eccleſiam, ſaltem in rebus ad diſciplinam pertinentibus. Facilis enim eſt reſponſio: Davidem prophetico ſpiritu abreptum, Chriſtumque gerentem, illis verbis uſum eſſe. Quod vero David Chriſtum Dominum præſeferret, ipſiuſque verbis alloqueretur idem Pſalmus demonſtrat: ſtatim enim addit: *Dominus dixit ad me filius meus es tu*, *Ego hodie genui te*. Stat itaque noſtra ſententia, ſuffragio veterum Canoniſtarum firmata, Chriſtum Dominum Petro, Succeſſoribuſque ſuis omnem in Cœlo, ſimul & in terra contuliſſe poteſtatem, ex qua Pontificum in Principes ſeculares dimanavit auctoritas, Cæſares ſcilicet coronandi, Reges inveſtiendi, in eorumque controverſiis judicandi, & decidendi, ut pluribus ſuperius docuimus. Sed quia aliqui cum Almaino hanc ægrè ferunt ſupremam ejuſdem Sanctæ Sedis auctoritatem; omnia a Pontificibus uſurpata eſſe blaſphemant. Profecto hi ſoli ſapiunt, & verè dementes, vel ſtupidi fuerunt Principes, qui tanta veneratione, tantaque munificentia proſecuti ſunt Pontifices! Sed ne tot tantiſque viris ſumma virtute, & intelligentia præditis, ignorantiæ non ſolum, ſed ſtupiditatis notam tribuamus; ſtultos, & dementes, literatulos quoſdam hujus temporis dicemus, qui rem ab omni vetuſtate, & tot exemplorum copia probatam, detrectant. Sed longius quam putabamus in hac parte immorati ſumus, ad aliam, de Poteſtate ſcilicet Romani Pontificis in res ſpirituales, gradum faciamus.

Finis Primæ Partis.

DE

DE AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS

DISSERTATIO

PARS SECUNDA

De Rebus Spiritualibus.

Quamvis Galli, veluti pro aris, & focis, pro ſententia pugnent a Cramo Alexandrino Patriarcha primum excitata anno 1406., ut Natalis de Alexandro eſt auctor cap. 7. art. 2., Pontificem nempe Generalibus Conciliis ſubjici: tamen contraria opinio a quamplurimis invictiſſime ſuſtinetur. Nos vero ut ad hujus quæſtionis explanationem deveniamus, operæ pretium ducimus nonnulla præmittere, quæ facem præferent ceteris rebus omnibus, quas ſecunda hujuſce Diſſertationis parte comprehendemus.

Dementem non ſolum, ſed ſtupidum ſe venditaret, qui vellet affirmare, caput ceteris ſubjacere membris. Quiſque enim, vel plumbeus in Phyſicis, hujuſmodi ſententiam repræhenderet, refutaretque, cum a capite omnes nervi, omneſque vitales ſpiritus ortum habeant, & per corpus dimanent.

Quomodo igitur Eccleſiæ caput membris ſuis ſubjicietur, dum illa in unum coacta univerſum repræſentant corpus? Chriſtus Dominus, ut Divus Hieronymus ait, tribuit Petro Eccleſiæ ſuæ primatum, ut ipſe omnes judicaret, reſecaretque controverſias in poſterum futuras. Et quidem

 con-

controverſia de Paſchatis, ſtato tempore, celebratione, atque illa de Gentilibus non circumcidendis, licet Apoſtoli Concilia convocaſſent, fuerunt Victoris ac Divi Petri poteſtate, & ſermone deciſæ. En Actorum verba, quibus Principis Apoſtolorum judicium continetur: „ Viri fratres vos „ ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis (ſeu „ coram vobis, ut Chryſoſtomus explicat) elegit per os „ meum audire Gentes Verbum Evangelii, & credere; & „ qui novit corda Deus teſtimonium perhibuit, dans illis „ Spiritum Sanctum, ſicut & nobis; & nihil diſcrevit in„ ter nos, & illos fide purificans corda eorum: nunc ergo „ quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervices di„ ſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos porta„ re potuimus. Sed per gratiam Domini Jesu Chriſti cre„ dimus ſalvari, quemadmodum & illi. „ Quibus verbis, teſte Rabano, & Gloſſa a Petro ſuus Primatus eſt expreſſus. Quinimo cum ipſemet Petrus neceſſariam Circumciſionis inſtitutionem, eſſe credidiſſet cœleſti viſione admonitus eſt, ne hac in re erraret Eccleſiæ caput viſibile, cui Chriſtus dixerat: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Et quidem certiſſimum eſt Pontificiam poteſtatem a Chriſto immediate pendere non autem ab Eccleſia; cujus tamen conſenſus iccirco requiritur hac in re, ut veluti verum Pontificem, & cognoſcant omnes, Petri ſucceſſorem, & colant. Stultiſſime igitur recentiores Lutherani cum antiquis autumarunt hæreticis, tam ſublimem in Dei Eccleſia gradum, propria ambitione Pontifices uſurpaſſe.

Diſponit enim Deus, a quo cuncta procedunt, ut Summi Pontificis electio in illum cadat, quem ipſe ſua voluntate elegerat, cauſas ita præmovendo ſecundas, ut ne in minimo quidem humanæ libertati officiat, per præmotionem phyſicam, ut Thomiſtarum verbis utar. Sæpius enim Sanctus Auguſtinus auctoritatibus Sacræ Scripturæ inhærens præſertim Proverb. 21.: *Cor Regis in manu Domini eſt, quocunque voluerit inclinabit illud*: aſſeruit, *Deum habere cordium, quo voluerit inclinandorum Omnipotentiſſimam pote-*

poteſtatem, & Divus Anſelmus lib. 2. „ Quoniam, quod
„ Deus vult, non poteſt non eſſe, cum vult hominis vo-
„ luntatem nulla cogi, vel prohiberi neceſſitate ad volen-
„ dum, vel non volendum, & vult effectum ſequi volun-
„ tatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe,
„ quod vult Deus. „ Et eſt Sancti Thomæ, ac S. Dionyſii axioma, *quod Deus movet unumquodque ſecundum proprietatem ejus*, & Divus Auguſtinus in lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 20. *Deus*, inquit, *dominatur voluntati hominum*. Ex quo in ſequenti capite intulit: *quod agit Omnipotens Deus in cordibus humanis motum voluntatibus ipſorum, & operatur ad inclinandas eorum voluntates*, & lib.de corrept. & gratia cap.14. *Deus de voluntatibus hominum, quod vult, cum vult facit; habet enim cordium inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem*, & libro de gratia, & libero arbitrio aſſeruit etiam: *Deus facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati*; his ſimilia innumera apud Auguſtinum occurrunt contra Pelagii opinionem ſcribentem, cujus hac in re auctoritas maximi eſt habenda, quoniam ejus ſententia præſertim de Auxiliis, eſt Catholicæ Eccleſiæ doctrina, ut ex Conciliis Milevitano, & Carthaginienſi conſtat; immo ex plurimis Summis Pontificibus Innocentio ſcilicet, Zoſimo, Bonifacio, Hormiſda Clemente VIII., & Paulo V. Sed tandem nimis clara, & expreſſa ſunt Divi Fulgentii verba in lib.de incarnat. & gratia cap.29. *Ita ne*, inquit, *vero rerum ordo credi, putarive permittitur, ut Deus, qui eſt Creator hominis, valeat hominem facere, non mutare: & qui nullius eget adjutorio; ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non poſſit; priuſquam in homine ipſum velle reperit: hanc amentiam a fidelibus ſuis arceat, & ab infidelibus auferat Deus*.

Quapropter omnes ab impia deſiſtant opinione hæretici, putantes tam ſublimem gradum Pontifices uſurpare ambitione. Nam auctoritatibus Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Sanctorumque Patrum oſtendimus, Deum omnia ſuaviter

diſponere, multo magis id credere fas erit in ſui Vicarii electione, cui inerrantiam promiſit illis verbis: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Lucæ 22., & quamvis hoc Petro dixiſſe ſciamus, dum Domini confeſſus eſt Divinitatem dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Math. 14., attamen ab eo in ſucceſſores, R. Pontifices, auctoritas, dimanat: omneſque Chriſti Vicarios ſe gerunt ad quam dignitatem Divus Petrus a Chriſto fuit evectus; namque ſic Angelicus Doctor ſcripſit lib. 4. contra gentes cap. 76.: *Non poteſt autem dici, quod ſi Chriſtus Petro hanc poteſtatem dederit, quod per eum ad alios non derivetur; manifeſtum eſt enim, quod Chriſtus Eccleſiam ſic inſtituit, ut eadem eſſet uſque ad finem ſeculi duratura, ſecundum illud Iſaiæ 9. ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & juſtitia amodo, & uſque in ſempiternum. Manifeſtum eſt igitur, quod ita illos, qui erant tunc in miniſterio conſtituit, ut eorum poteſtas derivetur ad poſteros pro utilitate Eccleſiæ uſque ad ſeculi finem; præſertim cum ipſe dicat, Mathæi ultimo, Ecce Ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſeculi*, & in tract. 68. contra errores Græcorum: *Petro, ait, Pontifices indubitanter ſuccedere. Oſtenditur etiam, quod Petrus ſit Chriſti Vicarius, & Romanus Pontifex Petri ſucceſſor in eadem poteſtate, ut a Chriſto collata dicitur, cum dicat Canon Chalcedonenſis Concilii: Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad Beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ &c. Secundum claves a Domino ſibi datas*, & clariſſimis verbis hoc idem Divus Chryſoſtomus expreſſit, dum inquit lib. 2. de Sacerdotio: *Chriſtus ſanguinem ſuum effudit, ut oves illas ſibi acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri Succeſſoribus commiſit*. S. Pacianus Barcinonenſis probat, quod Petro, & Apoſtolis datum eſt, illud in eorum quoque perſona Succeſſoribus datum eſſe, Pontificibus ſcilicet, & Epiſcopis. Et Sanctus Thomas de regno Eccleſiæ, & regali Sacerdotio loquens in lib. tract. de Rege ad Regem Cypri cap.
14.

14. ſic ait: *hujus regni miniſterium, ut a terrenis ſpiritualia eſſent diſcreta non terrenis Regibus, ſed Sacerdotibus eſt commiſſum, & precipuè summo Sacerdoti ſucceſſori Petri Chriſti Vicario Domino Pontifici, cui omnes Chriſtianos Reges oportet eſſe ſubiectos, ſicut ipſi Domino Jesu Chriſto.* Immo eſt ejuſdem Doctoris ſententia omnes debere, ſi ſalutem aſſequi æternam velint, Romano ſubjici Pontifici, ſcribit enim in lib. de erroribus Græcorum cap. 71. *Oſtenditur etiam, quod ſubeſſe Romano Pontifici ſit de neceſſitate ſalutis:* quibus diſſimilia non ſunt Maximi verba in Epiſt. ad Orientales dicentis: *Coadunatam, & fundatam ſuper petram confeſſionis Petri dicimus univerſalem Eccleſiam ſecundum definitionem Salvatoris, in qua de neceſſitate ſalutis animarum noſtrarum eſt manere, & ei obedire, ſuam ſervantes fidem, & confeſſionem*, propterea ſicut a Chriſto Domino fuit Petrus electus, & ab eodem ἀσφάλειαν, plenamque accepit ſolvendi, ligandique poteſtatem, ita & omnes Romani P. ſimili modo accipiunt.

Huc uſque oſtendimus Pontifices Romanos eſſe veros Petri ſucceſſores habendos. Sed liceat hic præterea demonſtrare illos a Chriſto Domino, uti Petrus electus eſt, eligi. Et profecto id cuique attendenti Pontificis electionem primo patet. Quid enim aliud ſibi volunt preces, quas Cardinales in unum coacti Domino fundunt? Quid invocatio ſæpius Divini Spiritus, ut mentes eligentium ſuo lumine illuſtret, atque oſtendat quem elegerit? Si hæc, inquam, recte conſiderentur, clarum fit Pontificem ex hominibus aſſumtum a Deo eligi; Deus autem habet cordium quo voluerit inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem. Unum idemque itaque erit aſſerere electionem Pontificis a ſolis Cardinalibus fieri ſine Divino lumine, & nullo afflante ſpiritu, quam adhærere nequitiæ illorum hæreticorum, qui aſſerunt Mathiam fuiſſe fortuito caſu ad Apoſtolatus culmen vocatum, ſorte ſcilicet ipſi potius, quam Joſepho alteri candidato favente. Sed hæc noſtra ſententia certa, atque explorata foret etiam vulgaribus hominibus, ſi ſuarum mentium tene-
bris

bris pulſis id aſpicerent, quod ſæpius in electione evenit: namque aliquando ad Summi Pontificatus dignitatem illi a Deo vocantur, contra ſpem hominum, atque expectationem, quorum nulla mentio habebatur.

Sed vero, quod huc uſque dictum eſt, clariſſimum fit ſi poteſtatis Eccleſiaſticæ originem conſideremus. Diſcedens enim è mundo Chriſtus ſuum reliquit in terris Vicarium, qui ſuas gereret vices; ſed cum Chriſtus Divinam, humanamque naturam comprehenderet, humanitate ſolum ſimilis erat ſuo Vicario, Divinitate vero longe illum ſuperabat; quapropter Sacramentorum ei poteſtatem tribuit miniſtrandorum, quam Eccleſia conferre non poterat. Sic enim Doctor Angelicus docuit in IV. Sententiarum contra Gentiles cap. 75. *Eadem igitur ratione quia præſentiam corporalem erat Eccleſiæ ſubtracturus, oportuit, quod alicui committeret, qui loco ſui univerſalis Eccleſiæ gereret curam; hinc eſt quod Petro dixit ante aſcenſionem: Paſce oves meas*. Joan. ult., & ante paſſionem: *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Lucæ 22. & ei ſoli promiſit Mathæi 14. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, ut oſtenderetur poteſtas clavium per eum ad alios derivanda, ad conſervandam Eccleſiæ unitatem*, & cap. ſeq. *Manifeſtum, inquit, eſt enim, quod omnia Eccleſiæ Sacramenta ipſe Chriſtus perficit; ipſe enim eſt, qui baptizat, ipſe eſt, qui peccata remittit, ipſe eſt verus Sacerdos, qui ſe obtulit in ara crucis, & cujus virtute corpus ejus in altari quotidie conſecratur, & tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præſentialiter erat futurus, elegit miniſtros Eccleſiæ per quos Sacramenta fidelibus diſpenſaret*.

Quamobrem cum Eccleſiaſtica poteſtas, exiſtimanda ſit divini juris, confiteri oportet eam fuiſſe a Deo tantum traditam ſuo supremo in terris Vicario: verûmtamen miniſterii cauſa Sacramenta dicuntur Eccleſiaſtica, non autem derivationis cauſa, & inſtitutionis; quoniam Eccleſia eſſentialem nequit eorum materiam inſtituere. Quapropter Eccleſiæ viſibile caput in illa tantum jus habet, quæ non

ſunt

ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolummodo ab Eccleſia juſtis de cauſis vetita, vel ad ſollemniorem ritum diſpoſita. Enimvero lib. 1. decretalium tit. 21. de bigamis prohibetur, hos non eſſe ordinandos; ii tamen proprie ſunt, qui ante baptiſmum unam, & poſt baptiſmum alteram duxere uxorem, quamvis vulgo ſic vocentur, qui duas habuerunt uxores, vel ſaltem cum vidua matrimonium celebrarunt: licet tamen virginem ducens, etiamſi alii fuerit prius deſponſata, tanquam bigamus minime habetur ex ratione quam idem titulus dat; ſcilicet, quod matrimonium non dicitur, niſi utraque concurrat animorum conjunctio, & corporum, Domino dicente erunt duo in carne una; aliter enim non eſt conjugii inter Chriſtum, & Eccleſiam deſignati, ſimile ac per incarnationis myſterium initi, ſed tantum illi, quod conſiſtit Deum inter, & animam juſtam, ex Apoſtoli verbis 1. ad Corinth. 7., *qui adhaeret Deo unus ſpiritus eſt cum eo*, & Ambroſius *in omni*, inquit, *matrimonio conjunctio intelligitur Spiritualis, quam confirmat, & perficit conjunctorum commixtio corporis*. Sicuti apud Athenienſes Reges eorum vanae ſuperſtitionis ſacrificuli, teſte Demoſthene nullo modo uxorem, ducere poterant, niſi virginem, quae ſuae virginitatis cogebatur ſollemni juramento veritatem oſtendere; ita quoque rectius putavit Eccleſia non eſſe ad ordinationem bigamos admittendos: audiamus S. Thomam in quodlibet. IV. art. XIII. „ Manifeſtum eſt autem, quod „ bigamum non promoveri, non eſt de lege naturae, nec „ pertinet ad articulos fidei, nec etiam eſt de neceſſitate „ Sacramenti, quod patet ex hoc, quod ſi bigamus promo„ veatur, ſeu ordinetur, ordinis recipit Sacramentum; ſed „ hoc pertinet ad quandam determinationem Divini cul„ tus: unde circa hoc Papa poteſt diſpenſare, licet diſpen„ ſare non debeat, niſi ex magna, & evidenti cauſa. Sicut „ etiam poſſet diſpenſare circa hoc, quod aliquis Sacerdos „ non indutus veſtibus ſacris conſecret Corpus Chriſti, & „ eadem eſt ratio de omnibus aliis hujuſmodi, quae ex inſti„ tutione humana proceſſerunt. „ Divi Thomae doctrina

id breviſſime complectitur, quod nos de quamplurimis diſpenſationibus Pontificiis dicere poſſemus, ac de diverſis ſuper Sacramenta ſtatutis ab Eccleſia, juxta temporum varietatem, editis. Sed quoniam oratione ad hanc rem, penè nolentes dilapſi ſumus, ut magis magiſque Pontificia innoteſcat poteſtas, operæ pretium ducimus, hanc Ordinis materiam quoque brevibus expedire.

Omnes præcedit ordines tonſura, quæ antiquitus varia apud peculiares erat Eccleſias, ſed hæc varietas rituum, Catholicam Eccleſiam non offendebat, dum vera conſervabatur fides, dicente Beda lib.5. hiſt. Angl. cap.22.: *præ ceteris curare debent Clerici, ut congruentem tonſuram habeant, ſcilicet Eccleſiæ ſuæ uſui conſentaneam*. Namque alii totum habebant caput attonſum; alii medium, alii modicum, alii demum ad modum Crucis, & ad modum ſpheræ, aut coronæ. Hoc vero Apoſtoli præceptum non ſolis Corinthiis, ſed omnibus Chriſtianis factum (ad Corinth.11.) Sacri Canones ad Clericos tantum reſtrinxere exempli inſtar veteris teſtamenti, Ezechielis cap.44., cujus rei hanc Hieronymus, & Auguſtinus dant rationem; in Clericis mollitiem animi indicare, pexam & bene cultam comam. At vero hujuſmodi capitis tonſura, quæ primis Eccleſiæ temporibus ceremonialis erat, circa ſeptimum ſeculum ceteris Ordinibus præmitti cœpit.

Sed quamvis omnes ad unum fideles in Eccleſiæ incunabulis Clerici nuncuparentur, ut in Epiſt.1. Divi Petri legitur, quippe omnes conſortes, & Chriſti Domini coheredes erant: Κλῆρος enim græce, ſortem, ac hereditatem ſignificat; verum deinde Eccleſiæ auctoritate duo extitere fidelium genera, ut ex Can. *duo ſunt* 12. quæſt.1. habetur, altera eorum pars a græco λαὸς, quod populus ſignificat, laici nuncupati, alteri vero Clericorum nomen adhæſit, quin & in Cod. Theodoſ. lege 104. de Decurionib., & in lege 29. ibidem de Epiſcop. Eccleſ. & Clericis, ac ſæpius in quibuſdam Canonibus, ipſi dicuntur quoque Eccleſiaſtici, quod Eccleſiæ inſerviant. Imo ſcriptores hoc nomine Clericorum hone-

honeſtarunt aliquando laicos literatos, quod ſoli Clerici, ut plurimum, ſedulam operam ſtudiis navarent: contra vero laicos vocitari mos fuit ignaros homines, & rudes. Atque huc referendum eſt Guillelmi Neubrigenſis dictum lib. 4. rerum Angliæ: *Laici eſtis, ſi non poteſtis intelligere vim verbi*: nec abſimili modo intelligendus eſt Accurſius ad legem ſolent ff. de off. Proconſul. *Proconſulem, ait, uti debere conſilio prudentum, cum ſit laicus*.

Verum denique ordinandorum ætas varia, pro variis temporibus per Sacros Canones præſcripta fuit; nam etſi in Can. *quicunque* diſt. 77. Siricius Summus Pontifex voluit ordinibus initiatos uſque ad trigeſimum ætatis annum, ut emendati Codices habent, in minoribus eſſe ordinibus, quos inter & Subdiaconatus adnumerabatur, & deinde Diaconos ordinari, atque in sacro hoc gradu conſiſtere uſque ad annum trigeſimum quintum, donec in Presbyterorum ordinem cooptarentur; verum tamen Concilium Neocæſarienſe ſtatuit ut trigeſimum ætatis annum aliquis agens poſset Presbyter creari, nam Chriſtus Dominus hac ætate fuit baptizatus, & cœpit docere. At vero neceſſitas aliquando hujuſmodi Eccleſiæ diſciplinam emendavit, & Presbyteri inaugurati ſunt, qui vigeſimum quintum ætatis annum non excederent, ut habetur ex Can. ult. diſt. 78., quod deinde in more poſitum ab omnibus fuit poſt decretum Viennenſis Concilii, quo Clemens V. Summus Pontifex ſtatuit, ea ætate indifferenter quemlibet Presbyterum ordinandum eſſe. Et ſane Alexander III. Summus Pontifex in Lateranenſi decreverat Concilio iis Paræcialem conferri poſſe Eccleſiam, qui vigeſimum quintum attingerent ætatis annum, ut habetur ex cap. *cum in cunctis* 7. §. inferiora extra. de elect. & electi poteſtate, cui decreto ſubjunxerat Innocentius IV. Pont. Max. in Lugdunenſi Concilio, quod intra annum collationis Eccleſiæ electus, ad Sacerdotium eſſet promovendus. Cum itaque quiſque poſſet, ex Alexandri ſtatuto, Paræcialem capeſſere Eccleſiam anno vigeſimo quinto ætatis: ſicut etiam, per decretum Innocentii Presbyter

poſt annum, inaugurari: his decretis inductus eſt Clemens, ut ſtatueret in Viennenſi Concilio, quod etiam ii, qui beneficio Curato eſſent deſtituti ea ſimiliter ætate poſſent ordinari. Sed vero hæc omnia firmiſſima in Concilio Tridentino facta ſunt, in quo ſtatutum eſt ſeſſione 23. de reformat. Cap.12. Subdiaconum anno vigeſimo ſecundo, & Diaconum vigeſimo tertio Presbyterum autem anno vigeſimo quinto ætatis, ordinari poſſe, etiamſi Gelaſius Pontifex in ſuis decretis inter hos ordines quinque annorum intervallum, obſervandum cenſuerit, ut in Can.2. & 3. diſt.77. legitur, ductus ratione Innocentii I. cujus fit mentio in decretis cap. 32. ut ſcilicet Clerici in ſuo ordine diutius erudiantur, & miniſtrent.

At vero cum primitiva Eccleſia parvo fidelium numero contineretur, multis non indigebat miniſtris, & ſolis Diaconis, atque Presbyteris contenta erat: in Diaconatu vero, & Presbyteratu ceteri includebantur ordines. Qua de re gradus reliqui videntur divini juris quodammodo eſſe, quamvis nec a Chriſto Domino, nec ab Apoſtolis ſint inſtituti, ſed ab Eccleſia, ut aſſeruit Amalarius in lib.2. de offic. Eccleſ. cap.6.: *dum fidelium multitudo crevit ad miniſterii utilitatem, vel ad celebritatem tantum, & ſacrificii decorem*, ut notavit Gratianus in diſt. 21. ideo a proprio conferuntur Epiſcopo per ſimplicem benedictionem: quin & hi poſſunt ordines a ſimplici conferri Presbytero, Summo Pontifice tamen annuente, ut docet Divus Thomas in 4. diſt.7. q.3., ibi: *poteſt autem concedere ſimplici Sacerdoti, quod conferat minores ordines; quia iſti actum non habent ſupra Corpus Domini verum, vel ſupra materiam ejus; nec etiam ſupra Corpus Chriſti myſticum actum, per quem gratia confertur: ſed habent ex officio quoſdam actus Sacerdotis ſecundarios, & præparatorios*, & 3. part. q.72. art. 11. ait: *Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam, quæ ſunt ſuperiorum ordinum, committere inferioribus quibuſdam, ſicut Presbyteris conferre minores ordines, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem.*

Ve-

Verum tonſura dicitur tantum eſſe diſpoſitio, atque ad ordines præparatio, ad indicium Clericalis ordinis inſtituta, nempe ut per eam Clerici a Laicis diſcernerentur, ut Petrus Cellenſis lib.7. Epiſt.18. cap.50. : idemque aſſeruit tonſuram characterem eſſe Clericalem, qui & indelebilis videtur impreſſus, ex eo quod ſi tonſuratus uxorem duxerit, nova non eſt ei opus tonſura, ſi poſt uxoris obitum ad minores voluerit tranſire ordines. Neque minores Clerici ullum proprie habent Sacramentum ordinis, uti ſentiunt saniores Auctores, cui opinioni favere videtur Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. de reformat. cap.2. & ſeſſ.23. de refor. cap. 4. Quapropter ordinis Sacramentum in ſolo conſiſtit Presbyteratu, quia alii ordines, inquit Divus Thomas, omnes unum faciunt Sacramentum, unde analogice, & per relationem ad Sacerdotium, eodem nomine ſunt donati. Virtute autem Sacramenti indelebile imprimitur animæ ſignum, ex quo ſequitur, executionem ſolummodo, non autem ſacrificandi poteſtatem poſſe adimi, ac propterea ſcripſit S. Gregorius P. in lib. 2. regul. Epiſt. 32. in nemine eundem reiterari poſſe ordinem, ſed tantum ſupplendum, quod fuerit per ſaltum omiſſum. Verum etſi olim in hoc caſu Epiſcopi auctoritas ſatis eſſet ex Canone *ſollicitudo* diſt. 52. noſtris temporibus tamen ex Concilii Tridentini diſpoſitione, ſolus Pontifex poteſt diſpenſare. Suſcepto vero ordine, quem prætermiſerat agere pœnitentiam debet Clericus, etiamſi Pontificis gratiam acceperit, & deinde in ordine ad quem primum per ſaltum fuerat promotus miniſtrabit, ſicut Ivo Carnotenſis docet, & Lanfrancus, quanquam hic ſcripſerit auferendum eſſe ordinem inordinate acceptum, Dacherius tamen recte ſubjunxit, ſolummodo in quantum ad exercitium.

Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ab Hebræorum Patriarchis exemplum imitantes, qui utebantur manus impoſitione in librorum, Sacrorumque Miniſtrorum benedictionibus, manus extenderunt, atque ordinando impoſuere, quæ deinde manus impoſitio ab Eccleſia uſurpata eſt, & a Græcis Canonibus χειροτονία dicitur. Rectiſſimè igitur Divus Tho-

mas docet: non poſſe Pontificem committere, poteſtatem non habenti Epiſcopalem, ut sacros ordines conferat. Sic enim inquit in 4. diſt. 7: q. 3. *Non poteſt ſimplici Sacerdoti committere promovere ad perfectionem, quæ reſpicit aliquomodo Corpus Domini verum; & ideo ſimplex Sacerdos ex mandato Papæ non poteſt conferre ordinem Sacerdotii, quia oportet, quod ordines sacri habeant actum ſupra Corpus Domini verum, vel ſupra materiam ejus*. Sed hic locus eſſet illam examinare quæſtionem, quæ tamdiu Theologos exercuit: an ab hæreticis ordinati ad Eccleſiam Catholicam venientes, ordinandi denuo ſint. Verum hæc quæſtio videtur reſecari poſſe modo, a Gaſparo Juenin Comment. de Sacram. Diſſ. de Sacr. Ordinis relato: Si ſecundum Eccleſiæ formam fuerint ordinati ſola indigent reconciliatione, ut ordinis habeant executionem, ſin autem fuerit contra formam Eccleſiæ ordinatio facta, eſt reiteranda, quia quod eſt contra legis diſpoſitionem, nullum eſt.

Quod vero diſpoſitum fuit, ut ordinationes poſt ſollemne præmiſſum in quatuor anni temporibus jejunium fiant, ex illo ortum habuit, quod Apoſtoli dum Barnabam, & Paulum ad prædicandum miſiſſent orantes, & jejunantes impoſuerunt illis manus. De tempore autem conferendorum ordinum per caput 3. extra. de temp. ordinat. conſultum eſt, ut feſtivis etiam diebus poſſint conferri minores ordines: majores vero ſtatis ſolum temporibus, niſi Summi Pontificis gratia accedat. Qui vero, nulla impetrata diſpenſatione, ordinibus fuerit initiatus majoribus, & ordinem ſuſcipit, & charactere ſignatur, ſed erit ſuſpenſus donec proprio videbitur Epiſcopo, ut ex cap. penult. extr. de tempore ordinationis. At quomodo potuit Eccleſia in sacris præcipere ordinibus continentiam, quam a Deo non imperatam novimus, nam inquit Apoſtolus 1. Corinth. 7. v. 25. *de Virginibus præceptum Domini non habeo*? Potuit indirecte id imponere oneris. Voluit enim, ut qui inter sacras petunt adſcribi perſonas, obligentur in poſterum continentiam ſervare, atque libertatem abdicent contrahendi matri-

trimonium ; quapropter ſi quis Subdiaconatum ſuſcipiat nulla voluntate continendi (hac enim de re inter ſacros ordines Subdiaconatus eſt adſcriptus, quanquam aliis aliter placet) ſeu etiam cum voluntate non continendi, lethaliter propter inobedientiam peccat, atque etiam quia recipit ordinem, cui ex inſtitutione Eccleſiæ annexa eſt continentia, hanc ſervare tenetur ; quoniam Eccleſia ſacrum ordinem confert conditione quoad circumſtantias, abſolute quoad ſubſtantiam. Verum aliquantulum a Regularium continentia hæc differt, non quod ſit diverſa, quoniam uterque ſive Clericus in ſacris conſtitutus, ſive Regularis, qui Deo promiſſam caſtitatem, violat, ſacrilegio reus erit : ſed tantum quia cum Clericis majoribus initiatis ordinibus Pontifex Maximus poteſt diſpenſare, ut Divus Thomas ait in 2.2. articul.7. q.88. *Non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentiæ ordini ſacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ : unde videtur, quod per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto continentiæ ſollemnizato per ſuſceptionem ſacri ordinis.*

Age vero aliqua de confirmationis Sacramento dicamus, atque de poteſtate Pontificis in ejus Miniſtrum, & collationem. Fuit hoc Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ut S.Hieronymus contra Luciferianos probat, cum ad Cœlos aſcendit, & Spiritum Sanctum ſupra ſuos effudit Apoſtolos. Sed tametſi per manus tantum impoſitionem Apoſtolos confirmaſſe legimus., & ideo forſan Divus Cyprianus hoc manus impoſitionis Sacramentum appellat, S. Auguſtinus tamen lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. Sacramentum chriſmatis, ſimulque ait in Pſalm. 141. : ſe in fronte portare Crucem Chriſti. Et Innocentius III. Summus Pontifex inquit in cap. unico extra. de Sacramento unctionis, *per frontis unctionem deſignari manus impoſitionem, quæ alio dicitur nomine confirmatio*. Sed Divus Hieronymus de Baptiſ. cap.7. & Tertullianus afferunt, hoc antiquitus poſt baptiſmum protinus collatum fuiſſe Sacramentum, ideoque in Can.38. Illiberini Concilii fuit ſtatutum, quod baptizatus ſtatim perducendus eſſet ad Epiſcopum, ut perficiatur, ſcilicet

licet ut confirmetur, quoniam licet per baptiſmum detur Spiritus Sanctus, per confirmationem autem plenitudo ejus tribuitur, ut in fide magis, & contra hoſtes roboretur, ſicut ſacri Canones loquuntur, primus ſcilicet, & quintus de conſecratione diſt.5. & ideo Græci quoque, ac Latini hoc Sacramentum, baptiſmi perfectionem vocavere. Sed notum eſt in Canone 36. tertiæ Synodi Carthag. & in Canone 20. primæ Synodi Toletanæ, & apud Gelaſium I. Summum Pontificem in Epiſt. 9. quisnam ſit hujuſce Sacramenti Miniſter, clariſſimum vero eſt apud Innocentium I. Pontificem Max. in Epiſt. ad Decentium, ſic appoſite ſcribentem: *non ſolum Eccleſiaſticam conſuetudinem illud demonſtrare; ſed etiam lectionem actuum Apoſtolorum, ubi cum plures baptizati non dum accepiſſent Spiritum Sanctum, ideſt ejus plenitudinem non ad alios ſunt miſſi, quam ad Petrum, & Joannem, ut ſuper eoſdem manus imponerent, ſeu quod idem eſt, ut illos confirmarent.* Unde cum Epiſcopi Apoſtolorum veri ſint ſucceſſores, Eccleſiæ Romanæ ſemper ſanctiſſimus mos fuit, ut ab iis ſolis conferretur confirmationis Sacramentum: ab Eccleſia tamen Græca id non obſervatur, cujus rationes a Concilio Florentino non fuerunt penitus rejectæ, verum primitus Eccleſia Græca Innocentii Pontificis ſententiam fuerat etiam ſequuta, ut S. Dionyſius in lib. de Hierarchia Eccleſiaſt. cap. 5. §. 3. & 5. aſſeruit (Nec eſt dubitandum, quin hic liber ſit genuinus Areopagitæ fetus, ſicut & cetera ejuſdem opera, nam adverſus Novatores omnes, & Criticos aliter ſentientes, pro Dionyſio præ ceteris pugnat facultatis Sorbonicæ Pariſienſis aſſertio in cenſura contra Eraſmum: *Non verè eruditis, ſed temerariis, & novitatum ſtudioſis videtur non eſſe Dionyſius Areopagites, qui libros Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conſcripſit*) Gregorius quoque Pachimeres notat tunc temporis eandem fuiſſe Græcæ Eccleſiæ conſuetudinem, quod Zonaras ſimul ad Canonem 14. Neocæſarienſis Concilii affirmat. Sed tandem Arauſicanæ Synodi Canones, & præſertim primus, & ſecundus decrevere, quod poſſit conferri chriſma in mortis tantum diſcrimine ab

ipſis

ipſis etiam baptiſmi Miniſtris, nempe Presbyteris. Præterea Canon. 20. Toletanæ Synodi ſtatuit chriſmare poſſe Presbyterum abſente Epiſcopo, vel cum is fuerit præſens, & juſſerit, quod etiam a Martino Bracarenſi in ſua Canonum collectione cap. 51. & ſeq. atque a S. Gregorio Magno P. in lib. 3. regul. Epiſt. 26. invenimus notatum.

Verum denique Concilium decrevit Tridentinum non alium eſſe ordinarium ſacræ Confirmationis Miniſtrum, quam Epiſcopum: nam Presbyter extraordinarius eſſe poteſt ſcilicet ex diſpenſatione R. Pontificis. Et quippe poteſt Papa ex ſuæ poteſtatis plenitudine hoc ſimplici Sacerdoti ſine ulla committere cauſa ex mente Angelici Doctoris in 4. diſt. 7. q. 3. art. 1. ad 3.: *quod cum Epiſcopatus non addat aliquid ſupra Sacerdotium per relationem ad Corpus Domini verum, ſed ſolum per relationem ad Corpus Domini myſticum: Papa propter hoc quod eſt Epiſcoporum Summus, non dicitur habere plenitudinem poteſtatis per relationem ad Corpus Domini verum, ſed ſolum per relationem ad Corpus Domini myſticum. Et quia gratia Sacramentalis deſcendit in Corpus myſticum a capite, ideo omnis operatio in Corpus myſticum Sacramentalis per quam gratia datur dependet ab operatione Sacramentali ſuper Corpus Chriſti verum; & ideo ſolus Sacerdos poteſt abſolvere in foro pœnitentiali; & baptizare ex officio. Et ideo dicendum, quod promovere ad illas perfectiones, quæ non reſpiciunt Corpus Chriſti Domini verum, ſed ſolum Corpus myſticum, poteſt a Papa per plenitudinem poteſtatis Pontificalis committi Sacerdoti, qui habet actum ſummum ſupra Corpus Domini verum; non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere Corpus Domini verum; ſicut nec abſolvere in foro pœnitentiali*. Huc uſque Divus Thomas ex cujus ſententia colligitur tum Summi Pontificis poteſtas, cum differentia, quæ Epiſcopum inter & Presbyterum extat, quæ tantum Theologos, & Canoniſtas quæſtio exercuit.

Aſſerunt enim Theologi, quod Epiſcopatus ultra Sacerdotium non addat ordinem, & gradum novum propter

Altaris miniſterium,& sacrificium, pro qua opinione S. Thomas in part. 3. in addition. q. 37. art. 1. Divus Bonaventura in 4. ſentent. diſt. 24. part. 2. art. 2. q. 3. & Durandus ibidem cum aliis ſtrenuè pugnant; nihilominus tamen ex hoc non ſequitur, quod tempore Apoſtolorum; ut nonnulli perperam autumant Novatores, nulla fuerit inter Epiſcopos, & Presbyteros differentia. Etenim quod ad rem ſive ſubſtantiam pertinet certiſſimum eſt ſemper extitiſſe, ut Divus Thomas docet 2. 2. q. 184. art. 6. & ideo S. Auguſtinus in lib. de hæreſibus inter hæretica enumerat dogmata aſſerere Epiſcopum a Presbytero non differre, licet S. Hieronymus, Divus Chryſoſtomus, & Theodoretus teſtentur promiſcuè hoc Epiſcopi nomen fuiſſe etiam Presbyteris attributum in actis Apoſtolorum, atque in Epiſtolis ad Titum, & Timotheum. Sed ii, qui ex nomine inferunt realem tunc non fuiſſe inter eos differentiam, deberent etiam Marcum Tullium credere Epiſcopum fuiſſe ante adventum Chriſti Domini, namque ipſemet ad Atticum de bello civili loquens, ſic ſcripſit: *Pompejus voluit me Epiſcopum eſſe campaniæ*: quibus verbis vult ſignificare ſe munus iniiſſe ſpeculatoris, & Præfecti in campania. Græcis namque Epiſcopus dicitur ſpeculator, quo ſenſu a ſcriptoribus profanis uſurpatur. Rerum Eccleſiaſticarum vero Auctores hoc nomine illos donarunt, quibus eſt peculiaris, vel univerſalis gregis Domini pars a Spiritu Sancto aſſignata ut paſcant, ſcilicet ut proſint, & præſint; undè & ipſi invigilare ſuper commiſſo grege tenentur, eumque ſalutaribus informare doctrinis, propriamque pro illo vitam profundere juxta illud Joannis 10. v. 11. *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus*, dum neceſſitas, & tempus hoc requirere videatur, ſicut Angelicus Doctor docuit 2. 2. q. 18. art. 7.

Ad hæc addunt nonnulli genericum eſſe Epiſcopi nomen, omneſque Eccleſiæ Paſtores eo deſignari, quoniam licet omnes non obtineant æqualem gradum, eadem tamen omnes obligatione adſtringuntur, namque non minus Epiſcopi in aliqua ſunt ſpeculatores Civitate, ſive Diœceſi, a

non-

nonnullis Canonibus Paræcia nuncupata; quam Metrapolitani, ſive Archiepiſcopi, in aliqua Provincia; & in nonnullis regionibus Primates, ac Patriarchæ. Denique ſpeculator eſt in univerſo Orbe, Summus Romanus Pontifex, quamobrem hoc nomine eum honeſtarunt, Concilia Patres, & Eccleſiæ Doctores. A Petro enim Damiano opuſc. 23. cap. 1. vocatur: *Epiſcopus ſolus univerſalis omnium Eccleſiarum*, a Divo Bernardo Epiſt. 239. *Epiſcopus Patriarcharum*; a Caſſiodoro Epiſt. 15. lib. 9. *Epiſcopus Univerſalis*; a Petro Bleſenſi Epiſt. 145. *Epiſcopus Orbis*, & a Synodo Chalcedonenſi *Apoſtolus Univerſalis Eccleſiæ*, *& Epiſcopus omnium Eccleſiarum*; ac denique à Divo Thoma docetur tract. 8. contra Græcorum errores cap. 65. Pontificem inter omnes Epiſcopos primum eſſe, ac maximum: *quod enim*, inquit, *Romanus Pontifex ſucceſſor Petri, & Chriſti Vicarius ſit primus, & maximus omnium Epiſcoporum Canon Concilii expreſſe oſtendit, ſic dicens: veneramur ſecundum ſcripturas, & Canonum definitiones Sanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum, primum eſſe, ac maximum omnium Epiſcoporum: hoc autem auctoritati conſonat Sacræ Scripturæ, quæ inter Apoſtolos, Petro attribuit primum locum tam in Evangeliis, quam in actibus Apoſtolorum*. Sed alibi clarius Angelicus Doctor explicat Pontificem ſupra omnes Epiſcopos eſſe, cujus rei hanc dat rationem in 4. ſentent. diſt. 24. q. ult. art. 2. *Ubicumque multa ſunt ordinata in unum, oportet eſſe aliquod univerſale regimen ſuper particularia regitiva; quia in omnibus virtutibus, ut dicitur primo Ethicorum, eſt ordo ſecundum ordinem finium; bonum autem commune eſt divinius, quam bonum ſpeciale; ideo ſuper poteſtatem regitivam, quæ communicat bonum ſpeciale, oportet eſſe poteſtatem regitivam univerſalem reſpectu boni communis, alias non poteſt eſſe colligatio ad unum: & ideo cum tota Eccleſia ſit unum corpus, oportet, ſi iſta unitas debeat ſervari, quod ſit aliqua Poteſtas regitiva reſpectu totius Eccleſiæ ſupra Poteſtatem Epiſcopalem, qua unaquæque ſpecialis Eccleſia regitur, & hæc eſt Poteſtas Papæ.*

Sed hactenus Theologorum opinionem exaravimus aſſerentes poteſtatem Epiſcopi ultra Sacerdotium non extendi, quod ad Corpus Domini verum, pertinet; ſed ſolum quod ad corpus myſticum. Verum ſicut Presbyteri nomen eſt generale, omneſque, ut Balſamon notat in Can. 15. Ancyranæ Synodi, complectitur Clericos, ſic etiam illud Epiſcopi eſt generale omnibuſque competit, quibus eſt commiſſa gregis Domini pars, quin & ipſi Pontifici Romano, qui inter Epiſcopos primas agit, omneſque ſub ditione ſua tenet, & imperio. Neque hinc aliquis inferat, quod omnes Epiſcopi Apoſtolorum ſint ſucceſſores, omneſque Epiſcopi, non ſecus ac Apoſtoli a Chriſto eandem poteſtatem acceperint, quam Petrus accepit, ut ex Joanne colligitur; neque hinc inquam aliquis inferat Epiſcopos æquales habendos eſſe Pontifici Romano. Reſpondemus enim cum Divo Thoma in 4. ſentent. diſt. 21. ad 1. *Quod quamvis omnibus Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi, & ſolvendi, tamen in hac poteſtate, ut ordo aliquis ſervaretur, primo ſoli Petro data eſt, ut oſtenderetur, quod ab eo debeat iſta poteſtas deſcendere; propter quod etiam ei dixit ſingulariter: confirma fratres tuos, & paſce oves meas, ideſt loco mei; & ut dicit Chriſtus: Præpoſitus, & caput eſto fratrum, ut ipſi te in loco meo aſſumentes, ubique terrarum te in throno tuo ſedentem prædicent, & confirment.*

Supereſt tamen nunc Canoniſtarum de hac re videre opinionem cum Theologorum ſententia adverſis frontibus pugnantem. Et ſane Canoniſtæ aſſerunt Epiſcopatum eſſe ordinem, de cujus ſubſtantia ſit animam indelebili ſignare charactere; immo & olim ſpirituale contrahebatur connubium Epiſcopum inter, & Eccleſiam, dum erat a populis electus, ſicut notatur in cap. *quando* diſt. 64. cujus tamen loco ſucceſſit Poſtulatio, quæ hodie rata fit confirmatione, ac conſumatur conſecratione, ut Lancellottus aſſerit in inſtit. jur. Can. tit. 18. lib. 1. Ac præterea reſpectu characteris impreſſi hujuſmodi matrimonium nec per depoſitionem, nec per translationem, nec per renunciationem diſ-

diſſolvitur ; ut inquit Panormitanus in cap. *inter corporalia* de translat. Epiſcop. ; & clarè notatur in textu cap. 2. in fine de pœnis in VI., licet contrarium exprimatur in cap. relato *inter corporalia* de translat. Epiſcop. Verum Epiſcoporum translatio, ſive a prima Eccleſia ſeparatio, hic ſumitur reſpectu adminiſtrationis rerum temporalium tantum, vel ſpiritualium, dum de una ad aliam Epiſcopus transfertur Eccleſiam, quoniam ſoli Romani Pontifices eo quod univerſali præſunt Eccleſiæ, ubicumque dicuntur eſſe in ſuæ juriſdictionis reſidentia ; ut evenit a Clemente V. uſque ad Gregorium XI. per ſeptuaginta circiter annos Avenione reſidentes, ſed non idcirco deſumſere ex illa Eccleſia nomen : ſed ſemper illius Eccleſiæ retinuere, cui Petrus ab Antiochia primum, tranſtulit Cathedram, eamque voluit, eſſe univerſalis Eccleſiæ caput. Ceteri autem Epiſcopi dum ad aliam transferuntur Eccleſiam, relinquunt primi gregis commiſſi curam, ſuſcipiuntque regendum gregem illum, quem recens habuerunt. Atque ejuſmodi translationem Epiſcoporum primum utilitas invexit, licet prohiberetur Concilio Nicæno I. ob indiſſolubile ſpirituale connubium. Nunc autem quoniam in dies ab una ad aliam Eccleſiam concurſant Epiſcopi, dicendum eſt Canonem illum Nicænæ Synodi in deſuetudinem abiiſſe ; vel ſitu, ac ſqualore obſitum jacere, cum nulla de eo ratio habeatur, in Romanorum Pontificum conceſſionibus. Pontificii enim juris eſſe hujuſmodi translationes Divus Thomas ſuſtinet tract. contra impugnantes religionem art. 4. : *Illa quæ*, inquit, *Sancti Patres determinaverunt de jure poſitivo, ſunt relicta ſub Papæ diſpoſitione, ut ea poſſit mutare, vel diſpenſare ſecundum opportunitatem temporum, vel negotiorum. Sancti enim Patres in Conciliis congregati nihil ſtatuere, niſi auctoritate Romani Pontificis interveniente, ſine qua etiam Concilium congregari non poteſt.*

Quod ſi Epiſcopi ſuarum cenſentur eſſe Eccleſiarum Sponſi, quæri hic poteſt an univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus poſſit dici Sponſus ejuſdem? notum eſt omnibus verum

Sponſum Eccleſiæ eſſe Chriſtum Dominum, cujus eſt illud. Canticorum 6. *una eſt Columba mea, & perfecta mea*, ideoque Cyprianus in lib. de Unitate Eccleſiæ inquit: *non habet Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem*. Divus Bernardus in lib. de conſiderat. aſſeruit, quod Papa non ſit Sponſus Eccleſiæ, ſed Paranymphus, & Amicus Sponſi; unde Angelicus Eccleſiæ Doctor in tract. contra impugnantes religion. cap.4. egregie ſcripſit: *Quod Sponſus Eccleſiæ proprie loquendo Chriſtus eſt, de quo dicitur Joannis 3. qui habet Sponſam, Sponſus eſt; ipſe enim de Eccleſia ſuo nomine filios generat: alii autem dicuntur Sponſi, ſicut Miniſtri Sponſi exterius cooperantes ad generationem ſpiritualium filiorum, quos quidem non ſibi, ſed Chriſto generant. Qui quidem Miniſtri in tantum Sponſi dicuntur, in quantum vicem veri Sponſi obtinent; & ideo Papa, qui obtinet vicem Sponſi in tota Eccleſia, univerſalis Eccleſiæ Sponſus dicitur*. Sed ad clariorem intelligentiam deinde ſubdit: *Nec propter hoc ſequitur, quod ſint plures Sponſi unius Eccleſiæ, quia Sacerdos ſuo miniſterio cooperat Epiſcopo, tanquam principali, & ſimiliter Epiſcopus Papæ, & Papa ipſi Chriſto; unde Chriſtus, Papa, Epiſcopus, & Sacerdos non computantur, niſi unus Sponſus Eccleſiæ*. Et ipſemet Doctor pluribus probat, diverſitatem graduum eſſe in Eccleſia neceſſariam, ſic inquiens in 4. diſt.19. q.1. art.3. ad 1. quæſtiunculam. *Ea quæ circa ſingularia oportet operari non eodem modo omnibus competunt; unde ſicut præter generalia medicinæ præcepta oportet adhibere medicos, quibus præcepta univerſalis medicinæ ſingulis infirmis, ſecundum quod debent aptentur: ita in quolibet Principatu præter illum, qui univerſaliter præcepta legis tradit, oportet eſſe aliquos, qui ea ſingulis, ſecundum quod debent, aptent. Et propter hoc etiam in Cœleſti Hierarchia ſub Poteſtatibus, qui indiſtinctè præſunt, ponuntur Principatus, qui ſingulis Provinciis diſtribuuntur, & ſub his Angeli, qui ſingulis hominibus in cuſtodiam deputantur: unde ita eſſe debet in prælatione Eccleſiæ Militantis, ut apud aliquem eſſet prælatio indiſtin-*

ſtincte in omnes, & ſub hoc eſſent aliqui, qui ſuper diverſos diſtinctam poteſtatem acciperent. Cui recte conſonat, quod Hieronymus ſcripſit in Epiſt. ad Nepotian. de vita Clericorum: *Non omnia poſſumus omnes*, alius in Eccleſia oculus eſt, alius lingua, alius manus, pes, auris, &c.

His itaque hinc inde poſitis: Theologorum, & Canoniſtarum diverſa ſententia conciliatur: poteſt enim dici Epiſcopatum eſſe ordinem Sacramentalem, quia confert auctoritatem ſubſtantialem, quæ niſi Epiſcopis convenire nequit: ſed non eſſe ordinem diſtinctum a Presbyteratu, quoniam ſine hoc cōferri non poteſt, atque ideo Epiſcopatus eſt perfectio, ordinis Presbyteratus ac veluti complementum. At præterea ex Epiſcoporum ſpirituali cum Eccleſiis conjugio jam relato, ad veri matrimonii diſpenſationes, quæ a Pontificibus Max. legitime fieri poſſunt, nunc tranſeamus.

Et quidem Canoniſtarum, & Theologorum ſententia eſt, quod Summus Pontifex habeat in omnibus gradibus diſpenſandi poteſtatem, dummodo non prohibeantur jure naturæ; ordine igitur primum de hoc verba faciemus, deinde ad Pontificiam veniemus poteſtatem. Jus enim naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit; namque non eſt tantum humani proprium generis, ſed omnium animalium, quæ in Cœlo, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur; quemadmodum tres illi Viri prudentes in Juſtiniani declaravere inſtitutionib. lib. 1. tit. 2. de jur. nat. gent., & civil., atque ex hoc jacto fundamento omnem credo imaginariam ſolvi difficultatem. Quanquam enim Ariſtoteles lib. 9. de nat. animal. cap. 47., & Plinius in lib. 8. cap. 2. ac Varro de re ruſtica lib. 2. cap. 7. referant nefandos, deteſtabileſque concubitus nonnulla etiam renuiſſe bruta: attamen apud aliquas gentes, ut Arabes, Perſas invenimus nullis legibus fuiſse prohibitum quodcumque inceſtuoſum connubium, immo & apud eos fuiſse uſitatiſſimo more receptum, Alexander ab Alexandro lib. 1. Genial. dier. cap. 24. & Quintus Curtius lib. 8. Divus quoque Chryſoſtomus refert in lib. quem in Babylæ martyris laudem ſcripſit fuiſse a Stoicorum

Prin-

Principe ſtatutum quoſcumque nefarios licitos eſse concubitus: ejuſque placitum non ſolum amplexati ſunt Stoicæ doctrinæ Sectatores, ſed nonnulli alii Philoſophi, qui tenebris gentilitatis offuſi humanam felicitatem in his rebus expiſcabantur.

Sed videamus an in ſacris literis extent exempla, quibus probari poſſit inter proximiores gradus conſiſtere matrimonium potuiſſe, an vero connubia hujuſmodi fuiſſe interdicta. Et quidem matrimonia inter affines licita fuiſſe conſtat ex Geneſi 29. Jacob enim duas ſorores in uxores habuit Lian ſcilicet, & Rachel. Quod ſi Paludanus in 4. ſent. diſt.40. q.1. art.3. Scotus, Durandus, & alii ſuſtinent ſecundum quoque gradum in recta aſcendentium, vel deſcendentium linea jure naturali prohibitum eſſe, Divus tamen Thomas, & Bonaventura verius eſſe putant contrarium. Nam ſi matrimonium eſſet in primo, ſecundove gradu prohibitum apud omnes gentes, certè hoc jus ut ſacroſanctum fuiſſet habitum. Verum non minus penes barbaros populos, ſed etiam apud Athenienſes,ſine crimine,connubia,de more,inter homines in ſecundo gradu (ut dicitur) conjunctos, legimus extitiſſe. Sed vero jure meritiſſimo hujuſmodi connubia fuere legibus vetita, quapropter Paulus Juriſconſultus in lege ult. ff.de ritu nuptiarum aſſeruit: *inceſtum ex jure gentium committere eum, qui aliquam ex aſcendentium, vel deſcendentium gradu in uxorem duxerit*, quod etiam cum Hermenopoli definitione convenit in lib.1.tit.1.Quapropter aſſerendum eſt hos gradus non a jure naturali, ſed tantum a jure gentium eſſe prohibitos. Quod vero Paludanus, aliique autumarunt Romanum Pontificem non poſſe gradibus in Levitico vetitis diſpenſare; a communi, & ſaniori ſententia tum Theologorum, tum Canoniſtarum rejicitur. Summus autem Pontifex in omnibus diſpenſare gradibus poteſt, qui jure naturali non prohibentur.

At vero quoniam occurrunt nonnulli gradus ex jure Moſaico prohibiti, idcirco in his gradibus non ſe tam faciles

les præbent Pontifices, [illegible] omnibus gratiam diſpenſationis largiantur, niſi graviſſima cau[illegible] vel publica totius Catholici Orbis utilitas, aliud poſtulare, vide[illegible] prudentiſſimè actum eſt a Pio V. Pont. Max. cum Philippo II. Hi[illegible]ſpaniarum Rege, cui conceſſit, ut legitimè cum ſuæ ſororis, filia, conjugis Maximiliani II. Imperatoris, matrimonium celebraret. Atque hæc mens fuit Concilii Tridentini seſſ. 24. cap. 5. ubi ait, inter Magnos Principes ob publicam cauſam poſſe in ſecundo gradu contrahi matrimonium. Verum licet conſanguineorum conjunctiones in Evangelicis, Apoſtolicisque præceptis non prohibeantur: tamen, ut Gratianus ſcripſit, Eccleſiaſticis vetantur conſtitutionibus. Quapropter Pontifex raro in illis gradibus ſolet diſpenſare, ſicut nec etiam ſine cauſa legitima in quarto, tertiove gradu, qui jure humano Pontificio interdicuntur. Audiamus hac de re Anaſtaſium Germonium in ſuis Animadverſionibus: *Quare*, inquit, *non dubito quin ipſe Maximus Epiſcoporum poſſit in quovis gradu (uno ſorte excepto cum matre, & cum filia, quod videtur deforme nimis) diſpenſare, ſi publica poſtularet utilitas*. Nec eſt mirandum hanc penes Romanos Pontifices eſſe poteſtatem, quoniam qui populorum mores regit, ipſe & eorum concupiſcentias frænare debet. Laudanda igitur praxis eſt Pontificum, qui urgente cauſa in gradu prohibito diſpenſant, non ſolum quia Concilia nequeunt omnes caſus reſpicere, qui quandoque evenire ſolent arg. legis *neque*, ff. de legib.; verum etiam quia Pontifices neque adſtringuntur conſtitutionibus aliorum Pontificum, neque Conciliaribus ſtatutis, quanquam penitus ea derogare non debent cap. *Eccleſia* 57. de electionib. Exploratum enim eſt Pontifices superiores Generalibus Conciliis eſſe, a quibus tota repreſentatur Eccleſia ad aliquod decidendum collecta, ut ex Conciliorum definitione patet: quamobrem quid ſit Eccleſia primum oſtendemus, deinde vero ex hac clareſcet explicatione, an debeant œcumenica Concilia ſupra Romanos Pontifices haberi.

Eccleſia autem diverſo ſenſu accipitur a Theologis, quam

[illegible] cætu, fideliumque con-
quam a Canoniſtis; illi enim [illegible], hi vero pro templis tantum magregatione eam [illegible] videamus quidnam brevius de eadem Canoniſtæ ſcribant; deinde fuſius, quid de ea Theologi tradant, tanquam noſtræ materiæ magis conſonum, docebimus.

Et profecto idcirco Eccleſia materialis nuncupatur Canoniſticè ſumta, quia variæ, plurimæque de eadem Eccleſia rubricæ Decretalium ſunt congeſtæ, quarum præcipuas hic apponemus. Prima illa eſt de immunitate Eccleſiarum: namque ob summam, quæ debetur Eccleſiis reverentiam, leges, & Canones introduxere locorum immunitatem, ad quæ delictorum rei, vel æris alieni gravati, confugientes extrahi nequeunt, atrocioribus tantum caſibus exceptis, textus in cap. *inter alia* de immunit. Eccleſ. De eadem immunitate celebris extat Bulla Gregorii XIV. Pont. Max. anno 1591. edita; & antiquitus Eccleſia Matrix quadraginta paſſuum immunitate gaudebat per externum ambitum, Inferiores vero per triginta, Can. *ſicut antiquitus* 17. q. 4. verum id hodie in deſuetudinem abiit.

Sed in Sancti Iſidori lib. 15. Originum cap. 4. legitur, templi nomen genericum eſſe, omnibus quibuſcumque locis auguſtis tributum; & ideo templum publici conſilii, Curiam Romanam, Marcus Tullius appellavit; ſicut & Lucretius nomine templi Cœlum deſcribit, inquiens, *Cœli ſtellantia templa*. Melius tamen Eccleſiæ vocantur Baſilicæ, quoniam, ut idem Divus Iſidorus refert, primum hoc nomine Regia vocabantur domicilia. Quapropter lib. 2. cap. 4. Paralipomenon Salomonis templum vocatur, *Baſilica grandis .... oſtia in Baſilica, quæ texit ære*. Qua de re quis inficiabitur divina templa omnia, Baſilicas poſſe appellari, cum in ipſis Summi Regis Regum ſedes ſit? Ceterum propriè quatuor Romæ templa ſunt tantum hoc nomine Baſilicarum honeſtata, quippe, quæ regio conſtructa ſumtu fuerant, & quatuor Patriarcharum ſedes repreſentantia. Harum prima eſt Lateranenſis, quæ Cathedralis Eccleſia vocatur, cujus Capitulum Summi Pontificis eſſe dicitur, ipſaque deno-

tat Romanum Pontificem Occidentis Patriarcham eſſe, primam ſcilicet Sedem, & Patriarcharum Patriarcham Can. *loquitur Dominus ad Petrum* 24. q. 1. recte igitur a Græcis Pontifex appellatur non minus Ι'εϱαρχης, quam Πρωτογονες, quod idem eſt ac prima Sedes, & a Gregorio XI. P. dicitur in conſtit. 1. ipſa ſuperiorem Eccleſia locum habere, & caput omnium eſſe Eccleſiarum, quod fuerit prima Sedes Pontificia, & eſt Romani Pontificis Epiſcopalis titulus. At vero Divi Petri Baſilica a Nicolao V. Summo Pontifice caput omnium Eccleſiarum nuncupatur in conſtit. edita anno 1448., tum quod in hac corpus Principis Apoſtolorum, totiuſque univerſale caput Eccleſiæ fuit conditum, tum quia eſt Baſilica Apoſtolica, ut declarat Gloſſa in cap. *futuram* 12. q. 1. verbo *primæ*, & ideo appellatur caput Orbis, & Urbis, & hæc pro Sede Patriarchali Conſtantinopolitana; & pro Patriarchatu Alexandrino habetur Baſilica Divi Pauli, ſicut pro Antiocheno illa Sanctæ Mariæ Majoris: ſint autem hæc obiter dicta, & ad ulteriora procedamus.

Quamplurima apud Gentiles ipſos quoque leguntur immunitatis loca, ut Romuli Aſylum inter Palatium, & Capitolium ab ipſomet Romulo conſtitutum, teſte Livio lib. 1. Hiſt. Rom. Decad. 1. Statuæ quoque Principum pro Aſylis habebantur, hinc in Juſtiniani Codice titulus extat de his, qui ad ſtatuas confugiunt; & Deorum aræ, quas inter celeberrima quidem fuit illa Athenis Miſericordiæ dicata, ut nonnullis placet, vel potius Clementiæ ab Erculis filiis in media urbe erecta, ut patre mortuo, vitaturi inimicos in Aſyli locum confugerent, quod colligunt ex Statii verſibus lib. 2. Thebaidos. Sed hoc neque certum, neque firmum eſt: nam nonnulli aſſerunt hanc ipſam, eandemque fuiſſe aram cum illa, quæ ignoto Deo erat dicata, ideoque Apoſtolus dixit, *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*; & hanc cum quamplurimis ſuſtinet opinionem Gerſon tract. ſuper magnif. & Lyranus in cap. actorum 17.; quæ opinio nec difficultatibus omnino vacat. Namque ſic aperte in comment. Epiſtolæ ad Titum de ara

Athenienſi, inquit Hieronymus: *inſcriptio aræ non ita erat, ut Paulus aſſeruit ignoto Deo, ſed Diis Europæ, Aſiæ, & Africæ, & Diis ignotis, & Peregrinis*. Potius igitur putamus hanc fuiſſe aram a Philoſophis Areopagitis poſitam ante Chriſti patientis ætatem, non autem, ut perperam alii aſſerunt, ex eo quod Dionyſius timore correptus exclamarit: vel Auctor naturæ Deus patitur, vel machina mundi diſſolvetur, cum viderit in Heliopoli Urbe Ægypti ab hora ſexta uſque ad nonam, ut ex Math. 27. habetur, Eclypſim ſolarem tempore plenilunii, quum hebræi Paſcha celebrabant in memoriam tranſitionis Domini per Ægyptum, namque ab hebræo verbo Paſec tranſitus, hæc celebratio nomen ſumſit.

Verum, & apud hebræos Aſyla fuiſſe legimus: ii enim ſex refugii Civitates habebant inter ſe æqualiter diſtantes, & in montibus ſitæ, ut a longe quoque ab omnibus videri poſſent. Sola autem Boſor erat in plano poſita, ut Jeſue cap. 20., ubi omnes propriis ſunt nominibus notatæ, & cap. 35. num. ſic habetur: *dixit Dominus ad Moyſen de ipſis autem oppidis* (ſcil. 48. Civitates cum earundem ſuburbiis per circuitum Levitis, & Sacerdotibus deputatæ) *quæ Levitis dabitis, ſex erunt in fugitivorum auxilia, ſeparata, ut fugiant ad ea, qui fuderit ſanguinem, in quibus cum fuerit profugus, cognatus occiſi, non poterit eum occidere, donec ſtet in conſpectu multitudinis, & cauſa illius judicetur ante portam civitatis per Seniores illius loci, qui omnes erunt Sacerdotes, & Levitæ, probata innocentia fugitivi ſe ſine ſua culpa homicidium feciſſe*. Deinde explicat Civitates refugii non ſolum tanquam Aſyla hebræorum, ſed Advenarum quoque, & Peregrinorum eſſe habenda.

Altare etiam, & tabernaculum pro refugii loco habebant hebræi, ideoque legitur lib. 3. Regum cap. 2. *Fugit Joab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu Altaris*. Quapropter ex relatis apparet Aſyla hebræis jure divino fuiſſe conſtituta; quod apertius probatur ex capite 21. Exodi: *Conſtituam ei locum, in quem fugere debeat*. Sed

quo-

quotus quiſque eſt, qui neſciat jus divinum Moſaicum, quod ſolos reſpiciebat hebræos, Chriſto mortuo, ejuſque lege promulgata, abrogatum fuiſſe? Aſyla igitur Chriſtianorum ex his non deſcedunt præceptis, ſed tantum ad eorum ſimilitudinem ex humano jure, & facto Principum bene de Pontificibus meritorum, originem Chriſtifidelium Aſyla duxere, primituſque audita prope initium ſeptimi seculi Pontifice Bonifacio V. ideoque multis partibus ab illis hebræorum differunt. Etenim Judæi unicum templum a Salomone magnificentiſſimè erectum habebant, ut lib. 3. Regum cap. 6. cum ſeq. Sed Chriſtiani univerſas pro Aſylis habent Eccleſias, immo & pro omnium delictorum reis ſunt refugia, exceptis tantummodo nonnullis in celebri Gregorii XIV. Bulla expreſſis, ut in cap. *imperialia* de immunit. Eccleſ. Verum hebræis hoc ſtrictius erat, quoniam in cap. 21. Exodi legitur: *qui percuſſerit hominem volens occidere morte moriatur . . . . . Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur*. Accedit quod hebræi jure Aſyli pro involuntariis tantum homicidiis utebantur, non ita tamen Chriſtiani.

Sed quoniam huc oratione provecti ſumus, non abs re erit, aliqua notare, quibus clarum fiet Ethnicas gentes id veritatis, inter denſiſſimas tenebras eorum mentibus offuſas, cognoviſſe Eccleſiaſticas perſonas, atque earum bona immunes eſſe ab omni juriſdictione Secularium poteſtatum. Et quidem ex Tacito aperte id colligitur (ne percenſeam numerando ceteros profanæ hiſtoriæ Auctores) uti refert Jacobus Salianus in annalibus, & Cornelius a Lapide comment. cap. 18. Sed hic primum notatu digna arbitror eſſe Thomaſini verba in lib. 1. de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina de beneficiis part. 3. cap. 1. lib. 1. *tenebricoſa*, inquit, *ea erat imitatio, & decolor imago veriſſimæ religionis, ſed utcumque tamen ex ea vox naturæ exauditur, & lex deprehenditur, quam omnium pectoribus inſcripſit Summus Conditor, quæque ideo in omnes Orbis nationes, in omnes hominum*

ætates propagata eſt. Liberalitas itaque Pharaonis erga Sacerdotum bona, Auctorum curioſitatem acuit inveſtigandi quo nam ex fonte flueret. Et quanquam id nonnulli Joſephi voluntati, & benevolentiæ tribuant; tamen eſt magis veteribus conſona Patribus Joannis Menochii opinio dicentis in Biblia Maxima: *ita crediderim factum voluntate potius Pharaonis, quam ſtudio Joſeph, qui Idolorum cultoribus non eſt exiſtimandus favere, & tributa remittere voluiſſe*. Verum quoniam non eſt hujus loci, cauſas hujuſce liberalitatis a Scriptoribus relatas, examinare, ſat quidem erit apponere quantum, jure ac merito de hac re condoluerint Eccleſiæ Patres. Etenim cum juſſiſſet Pharao in ſexto celeberrimæ ſterilitatis anno, ſicut Jacobus Salianus putat ad annũ Mundi 1332. n. 4. hanc legem eſſe ferendam, ut omnis, qui tunc ſibi ſubventum vellet ex Regiis horreis, ſua venderet prædia, & bona eidem Regi, Sacerdotum prædia, quamvis ex Regia munificentia ipſis obveniſſent, excepit; En verba Geneſis cap. 47. v. 22. *Præter terram Sacerdotum, quæ a Rege tradita fuerat eis, quibus ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas*. Juſtè igitur conquerebatur Theodoretus inquiens: *venerabantur homines impii eos, qui non erant Dii; at veri Sacerdotes Dei viventis non gaudent hac immunitate*, & Divus Chryſoſtomus hom. 65. in Geneſi ſic exclamabat: *audiant, qui nunc vivunt, quantam olim Sacerdotum Idolorum curam habuerint, & diſcant, vel ſaltem parem habeant honorem, quibus omne Dei miniſterium creditum, & Sacerdotio inſigniti ſunt: ſi enim errantes illi, & tantam Idolorum curam habentes, quia ex hoc putabant idola magis coli, ſi tam eorum miniſtros colerent, quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad illorum ſpectat cultum . . . . . . ne igitur ſimus deteriores infidelibus, qui propter Idolorum errorem adhuc tantum exhibent illorum famulis. Sed quantum diſtat error, & veritas; tantum diſtant, & illorum, & Dei Sacerdotes, tam excellentem igitur obſervantiam, & honorem*

im-

impendere debemus, ut multo plures è ſupernis nobis retributiones accreſcant. Ejuſdem homiliæ verba Cornelius a Lapide commentans in hæc verba locutus eſt: *Si enim, hanc immunitatem Gentilibus ſuis conceſſit Pharao, quomodo non eam concedet Chriſtianus Rex, & Princeps Sacerdotibus Chriſti! eorum enim honos, vel contemtus ad Deum ipſum pertinet, & quod in eos confertur, Deo confertur &c.*

Verum ſi sacras percurremus literas, innumera occurrent liberalitatis ethnicorum Perſarum Principum exempla erga veros Dei Sacerdotes, interque tredecim illius Monarchiæ Reges, Aſſuerus Eſtheris vir primas tulit. Sed lis eſt inter scriptores de ſponſo Eſtheris; quapropter septem hac in re diverſas habemus opiniones, quas inter, ſatis hic erit brevitatis cauſa, illam ſolummodo Bellarmini seligere, & tanquam omnibus saniorem apponere, notatam in cap. 7. lib. 1. de Verbo Dei; quæ licet a Pererio impugnata lib. XI. in Danielem q. 4. egregiè ſuſtinetur a Sanctio, Menochio, Cajetano in lib. Eſtheris comment. verum refertur quoque a Saliano lib. 5. Annalium veteris teſtam. anno Mundi 3590. n. 10. & a Joſepho lib. 11. Antiq. cap. 6. & cum omnibus sacris literis concordat, fuiſſe ſcilicet Artaxerſem Longimanum; is enim optime ſemper de Judæis eſt meritus, eiſque ad proprios lares redire permiſit, ſimulque Nehemiam miſit ad Jeroſolimam Urbem reſtaurandam, & Eſdram ad Dei templum reædificandum lib. 1. Eſdræ cap. 7. & lib. 2. cap. 2., quod evenit, ſicut Jacobo Saliano placet loc. cit. ad an. Mundi 3595. ante noſtræ Redemp. annum 458. Sed quod majori admiratione eſt dignum, licet ipſe Gentilis eſſet, plurima Eſdræ summo Sacerdoti, & Jeroſolimitano templo largitus eſt munera, ut notatur laud. loco v. 17.: *libere accipe, & ſtudioſè eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia, & libamina eorum, & affer ea ſuper Altare templi Dei veſtri, quod eſt in Jeruſalem. Sed etſi quid tibi, & fratribus tuis placuerit de reliquo argento, & auro, ut faciatis juxta voluntatem Dei veſtri facite*: immo omnes etiam illos, qui sacro erant addicti templo, juſſit, ut ab omnibus

bus eſſent vectigalibus exempti, ut in eodem Eſdræ loco v.24. habetur: *Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus Nathineis, & Miniſtris Domus Dei hujus, & vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos*. Denique voluit, quod ſummus Sacerdos Judices conſtitueret habentes jus vitæ, & necis. Sic enim ibidem v.25. *Tu autem Eſdra ſecundum ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua conſtitue Judices, & Præſides, ut judicent omni populo, qui eſt trans flumen, his videlicet, qui noverunt legem Dei tui, ſed & imperitos docete libere, & omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ejus, vel certè in carcerem*. Miror hic Guillelmum Eſtium in ſuis literalibus commentariis in Biblia Maxima inſertis (illa nempe a Joanne de la Haye quinque primum, tandemque novendecim comprehenſa voluminibus) ita ſcribere: *Sic præcepit ille Ethnicus Artaxerſes Præfectis Provinciæ forte etiam, quia & Sacerdotes Idolorum jure gentium tali immunitate fruebantur, de qua Geneſi* 47. namque ex ſacro textu colligitur Eſdræ 7. v.23. ipſummet Artaxerſem cognitionem de Deo habuiſſe, ibi enim legitur: *Omne, quod ad ritum Dei Cœli pertinet, tribuatur diligenter in Domo Dei Cœli: ne forte iraſcatur contra regnum Regis, & filiorum ejus*. Quapropter omnes communiter Expoſitores putant propter hanc erga Sacerdotes Dei liberalitatem, diuturnum, ac felix obtinuiſſe regnum.

Ex adverſo tamen ſuam Deus in ſacrilegos potentiam oſtendit, Joſue enim legitur cap.7. *Filii Iſrael prævaricati ſunt, & uſurpaverunt de anathemate, iratuſque eſt Dominus, &c.* obſcurus quippe eſſet relatorum ſenſus verborum, niſi animadvertamus, quod verbum *anathema*, dum corripitur ſeparationem a Deo, vel etiam quandoque cædem ſignificat. Hinc juxta primum ſenſum Apoſtoli verba habemus dicentis in Epiſt. ad Rom. cap. 9. *optabam*

ego

ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Quoniam (interpretes ad l. locum) ob majorem proximi ſalutem cupiebat etiam privari divina ante tempus fruitione. Juxta ſecundam notionem, cædem ſcilicet ſignificantem, habemus Malachiæ verba cap.4. dicentis: *ne forte veniam*, *& percutiam terram anathemate*: ideſt cæde. Sed nihil hæc verbi notio ad rem noſtram pertinet; idcirco preſſius hoc nomen anathema eſt inveſtigandum. Et ſanè dum producitur diverſam continet ſignificationem, expreſſam a Juſtino Martyre in quæſt.121. ad Orthodoxos, ibi: *Anathema dicitur, quod Deo eſt dedicatum, atque deſtinatum, & in communem uſum amplius non convertitur*. Itaque juxta hanc notionem pro donario votivo uſurpatur, quod in templo ſuſpenditur in accepti a Deo beneficii memoriam, quo ſenſu ſunt Judith verba intelligenda, quæ cap. 16. leguntur: *Porro Judith univerſa vaſa bellica Olophernis, & Conopæum, quod ipſa ſubſtulerat de cubili ipſius obtulit in anathema oblivionis* (vel ut alii legunt, *oblationis*). Sed ut redeamus unde digreſſi ſumus hoc ſenſu verbum anathema accipiendum eſt in relato textu Joſue. Omne id ſcilicet, quod furto abſtulerat Achan tantum Domino devotum fuerat, non autem ipſi propriè ſacrum: pro quo furto Deus ab eo ſeveriſſimas exegit pœnas.

Horribilius eſt quidem in 2. Machab. lib. ſupplicium Antiochi Epiphanis, cujus inſaniam Daniel multo ante deſcripſit cap.8. & in illud caput, Divus Hieronymus, Benedictus Pereirus, & Jacobus Salianus ad Orbis annum 3891. n.20., is enim Rex impius ex ſecunda veniens in Ægyptios expeditione, in Judæos arma convertit, atque inter alia ſcelera templum Domini argenteis, aureiſque vaſis, aliaque ſacra ſupellectili ſpoliavit, ut ex Machabæor. lib.2. cap. 5. verſ. 21. habetur, quo patrato ſcelere, ut Divus ſcripſit Hieronymus in cap.3. Danielis v.16. mente orribilibus plena imaginibus mœrore conficiebatur. Sed quod præterea eidem accidit ab hebræo Corionide refertur, hiſtoriæ Machabæorum collectore, ideoque ab hæreticis ejus auctoritas

ritas parvipenditur a Scaligero , & Cave de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Joſeph : quoniam inter Sacræ Scripturæ Canonem hos nolunt reponere libros Eccleſiæ noſtræ Catholicæ perduelles , ut Lutherus , Calvinus , ac omnes alii eorum aſſeclæ . Verum etiamſi nobis non ſit compertum a quonam Auctore fuerint ſcripti , cum univerſæ hac in re opiniones difficillimis ſcateant difficultatibus : tamen verba uſurpabimus Sanctii proleg. 9. in libris Machabæorum ; *Multi ſunt libri in Sacris Bibliis , quorum incerti ſunt Auctores, inter quos numerari poſſunt duo iſti libri , in quibus Machabæorum continentur geſta* . Sed enunciata Sanctii verba præbent notandi cauſam , quod duo ſequentes Machabæorum libri inter Apocriphas ſint amandandi ſcripturas , etiamſi tertius liber fuerit a Can. 84. Apoſtolorum, & a Sixto Senenſi in lib. 1. Biblioth. Sanct. v. Machabæi laudatus , & quartus non minus ab eodem , quam a Genebrardo in Chronol. ad an. 3934. attamen ſolummodo illi duo fuere ab Eccleſia in Concilio primum Florentino , deinde Tridentino in Canonem Canonicorum librorum relati . Quapropter hi libri , licet Protocanonici non habeantur , ex illis ſcilicet , de quibus nunquam fuit diſputatum , & tanquam Divini in Eccleſia ſemper habiti : tamen reponendi ſunt inter Deuterocanonicos , inter illos nempe , quorum auctoritas aliquando Sanctos Patres exercuit , ſicuti legimus de his duobus Machabæorum libris Hieronymum olim dubitaſſe . Quod ad Auctorem vero pertinet horum librorum , non conſtat inter Doctos, quin emunctæ naris viri volunt, diverſum hos duos libros præſeferre Auctorem . Verum ſi fides Divo Hieronymo Orientalium linguarum callentiſſimo , ſit habenda , primus hebraice ſcriptus fuit , alter vero græce , quod fortaſſe diverſus ſtylus comprobat , & temporum computandorum diverſa ratio . Quod vero ad nomen horum librorum , Hieronymus aſſerit , illos id habuiſſe , quoniam præſertim Judæorum bella , atque res geſtæ Juda Machabæo Duce , in illis continentur . Ex dictis huc uſque patet hos duos Machabæorum libros inter ſacros habendos eſſe ; quapropter & Jo-

ſephi

ſephi Corionidis auctoritatem, Antiochi punitionem referentis in lib. 3. cap. 12. exiſtimamus, perperam Heterodoxos contemſiſſe.

Notatur quoque in secundo Machabæorum libro cap. 3. Eliodori punitio: cum enim Seleucus dictus Filopator Syriæ Rex plurima Jeroſolimitano templo fuiſſet elargitus munera, ſicut antea Cyrus, Darius, Artaxerſes fecerant, ut habetur ex lib. Eſdræ cap. 6. deinde vero Apollonio Feniciæ Gubernatore inſtigante, ſtuduit templo auferre, quæ nulli uſui sacrificiorum eſſent. Itaque hanc impiam provinciam Eliodoro ſuo Quæſtori demandavit. At hic templi infinitis divitiis conſpectis (erant quippe, teſte Divo Ambroſio lib. 2. de off. Miniſt. cap. 29. argenti talenta quadraginta, auri vero ducenta; deſunt tamen hæc verba in aliquibus exemplaribus Sancti Ambroſii, juxta PP. Benedictinorum S. Mauri notas) protinus nefario conatu, ad eas vi, atque rapinis auferendas se convertit. Hic, ſiſte, inquit summus Sacerdos Onias, cujus cuſtodiæ omnia commiſſa erant, atque a rebus sacris manus abſtine: *tunc summus Sacerdos, oſtendit depoſita eſſe hæc, & victualia viduarum, & pupillorum; quædam vero eſſe Hircani Tobiæ viri eminentis*. Mach. lib. 2. cap. 3. v. 10. Sed Eliodorus cupiditate prædæ abreptus, preces, clamores, ipſaſque minas contemnens ad rapinam sacrilegas extendit manus. At non impune abiit: nam Angelico miniſterio, flagellis percuſſus, inter verbera crepituſque plagarum ſpiritum exhalaſſet, niſi summi Sacerdotis Oniæ precibus, & sacrificiis ab Angelorum manibus ereptus eſſet. Itaque ſtatim Seleuco ſcripſit: *Si quem habes hoſtem, aut Regni tui inſidiatorem mitte illuc, & flagellatum eum recipies. Si tamen evaſerit: eo quod in loco ſit verè Dei quædam virtus*. Huc etiam referri poſſet Alcimi pœna, quam pro sacrilegio dedit, ut notatur lib. 1. Mach. cap. 9. v. 56. huc demum referri exempla innumera, quibus ſunt pleni sapientum libri, plenæ hiſtoriæ, plena vetuſtas. At nos illa prætermittimus brevitati ſtudentes: & fortaſſe in enarratis, plurimi, lectori, viſi fuimus.

At non poſſum hic ab indignatione me temperare, dum opinamentum, vel potius ſomnium conſidero Ariſtotelis lib. de Mundo ad Alexandrum cap.7. ubi auſus eſt affirmare Deum non eſſe ubique, ſed tantum in ultimo Cœlo, quaſi animam nutricem, paritate ducta, ſed nimis inſulſa, & ridicula a Rege Perſarum, qui non eſt in omnibus Regni locis, ſed tantum in urbe Regia Suſis, & ideo manus ſurſum tollimus vota concipientes. Sed Ariſtotele ipſo inſanior, ſceleſtiorque fuit Averroës, dum hanc Dei præſentiam omnibus in locis, veluti infantiæ præjudicium, deriſit. Impiiſſimæ porro ſententiæ, ſeu ſtultiſſimorum hominum deliria! quid? Deus ne immenſus, incomprehenſibilis, infinitus, brevi atque anguſto Cœli ambitu, continebitur? dicitur profecto, Deus ſpeciali modo eſſe in Cœlo, quod ibi ſuam Beatis Majeſtatem demonſtret, quapropter ideo in Pſalmo 123. dicitur: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis*. Ex fide enim habemus, quod Deus ſua immenſitate ſit ubique, ut ipſemet per Jeremiam dixit: *Cœlum, & terram ego impleo*, cap.34. v.24. Senſus Patrum, ac Theologorum eſt, quod ad ſpeciales effectus adſit etiam particulari ratione aliquibus in locis; & ideo dicitur in hominibus adeſſe juſtis, quos diligit tanquam filios, ut ex illo Chriſti *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Joan. 14. Illis etiam locis, ubi ſuæ potentiæ vires exerit, ut portenta, & prodigia operetur; ſic Jacob Patriarcha cum ſibi per viſum eſſet oblata ſcala illa pertigens a terra ad Cœlum dixit Geneſis 28. *Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam*: eodemque ſenſu dicitur in ſuis ſpeciali modo adeſſe Eccleſiis, quoniam eædem ſunt ad preces hominum deſtinatæ, ut colligitur ex lib 3. Regum cap. 9., & ideo dicuntur Domus Dei, namque ibi divina peraguntur, juxta illud Math.21. *domus mea, domus orationis vocabitur*. Quam pudet hic commemorare ab ipſis Infidelibus ſuperari Chriſtianos! Illi enim in templis ſuis, in omne argumentum modeſtiæ ſe fingunt, hi nullam in Dei Omnipotentis domo venerationem præſeferunt. At deberent mulieres præcipue intelligere, quod

quod Tertullianus in cap. 17. de Virginibus velandis, illud Apoſtoli conſiderans prima ad Corinthios 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant, non permittitur eis loqui*: in hæc verba ſcripſit: *judicabunt vos Arabæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint dimidia frui luce, quam totam faciem proſtituere.* Statuerat enim antea Apoſtolus, ut mulieres in Eccleſia velato capite ingrederentur, ut ex his colligitur verbis: *mulier velet caput ſuum; vir non debet velare caput; ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos*; ſcil. propter Sacerdotes, & Eccleſiæ Miniſtros, ut Interpretes intelligunt.

Multa de Eccleſia Canoniſtice ſumta diximus; at ea omnia poſſunt ad Pontificis referri poteſtatem, ſiquidem ea, quæ adhuc particulari ſermone de Eccleſiarum immunitate delibavimus, omnes fatentur ex Eccleſiæ capitis diſpoſitione pendere, ſecundum illam regulam: *non debet reprebenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta aliquando varientur humana*: ex quo ſequitur perſonalem immunitatem non poſſe imminui, cum ea ſit de jure divino, ut dicit gloſſa in cap. *ſi Imperator* 96. diſt. ſicut & notatur in lege *ſi qua per calumniam Cod. de Epiſcopis, & Clericis; & a Decio in cap. 2. de majorit. & obedient.* Quapropter affirmavit Baldus initio authenticæ ſtatuimus: Clericorum exemtionem non eſſe novam conſtitutionem, ſed declarationem juris divini: & Boſſius de jure ſtatuum, ſive de jure divino, & naturali Eccleſiaſticæ libertatis lib. 2. cap. 17. & cap. fin. idem probat, & in lib. 4. per totum, ubi sacræ etiam scripturæ loca adducit; ideoque nihili putamus, quod hac de re Covarruvias tom. 2. practicar. quæſtion. cap. 31. vario modo ſcripſerit, is enim fuit acerrimus juriſdictionis Regiæ defenſor. Attamen vel nolens hæc ſcripſit: *Potuit nibilominus Summus Eccleſiæ Pontifex Clericos, & eorum res a juriſdictione eximere*, & poſt pauca: *Princeps tamen Secularis utcumque summus ſit non poterit huic immunitati, aut exemtioni propriis legibus, propriaque au-*

ctoritate derogare . . . . Ergo utile quidem eſt, & denique neceſſarium ad liberius, & rectius miniſtrandum Eccleſiis, quod Clerici, & eorum res ſint a ſecularibus judicibus immunes; præſertim quod hæc immunitas maximum originem ducat a divinis veteris teſtamenti conſtitutionibus, & Sanctorum Patrum teſtimoniis, publiciſque Imperatorum quorundam conceſſionibus; ut tandem totus fere Orbis Chriſtianus in hanc exemtionem propter utilitatem publicam conſenſerit; eaque propter Summorum Pontificum auctoritate hunc tacitum, & expreſſum quandoque conſenſum habuerit. Qua de re quicquid adverſus hanc immunitatem clam oblatrant ceteri Regaliſtæ, incaſſum ſemper evadet. Poteſt vero Pontifex immunitatem reſtringere localem non ſolum quoad leviora delicta, verum & in paucioribus locis: in Gallia enim fuit a Carolo Magno probatum jus Aſyli Eccleſiarum, & receptum, ut habetur ex lib. 1. legum Francicarum cap. 134. & ibidem perduravit uſque ad Franciſci I. ordinationem anno 1539. art. 66. ob concordata cum Pontifice Leone X. ut inferius dicemus. Tunc enim primum poteſtas invaluit, reos, ſi Judici placeret, ab Eccleſiis extrahere, eoſque, ad Eccleſias pro voluntate, & decreto eorundem Judicum reſtituere; ideo exinde fuere rei cujuſcumque conditionis, eſſent, & qualibet de cauſa, extracti ab Eccleſiis, ut Boërius notat in quæſt. 109. & ſeq. Rebuff. in ordinat. tit. de immunitatib. Eccleſiaſticis art. 1. gloſ. 1. verum Galli inquiunt, reos eſſe ab Eccleſiis a Judice Laico extrahendos, ſicut ſuſtinet Boërius loc. cit. & Guido Papienſis q. 121. Melius fortaſſe alii, hoc ad Eccleſiaſticum Judicem pertinere aſſerunt: laudant pro hac ſententia Clementinam primam de pœnis, ac remiſſionibus, & clement. 1. de offic. ord. Verum ſufficiat hic pro Eccleſiæ immunitate exemplum referre Divi Ambroſii, cujus conſtantiam audiant non minus Regii, quam & Eccleſiaſtici omnes, atque memoriæ infixam habeant, illam conſtantiam inquam, & Apoſtolici animi fortitudinem, quam Valentiniano Imperatori oſtendit; dum hic vellet Eccleſiam extra Mediolani mænia conſtructã hæreticis Arianis tradere.

Ob-

Obſtitit primum Ambroſius ſumma ſua virtute Imperatoris conſilio : ſed cum Miniſtri Imperatoris dicere auſi fuere, Imperatorem jure ſuo uti ; divino pene correptus ſpiritu, laudatus Mediolani Antiſtes exclamavit : *noli te gravare Imperator, ut putes in ea, quæ divina ſunt, Imperiale aliquod jus habere ; noli te extollere, ſed ſi vis diutius imperare eſto Deo ſubditus, ſcriptum eſt : quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari, ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium jus conceſſum eſt, non ſacrorum*. Sic habetur in Epiſt. 20. edict. PP. Benedictinorum Congreg. S. Mauri ; cui Epiſtolæ hanc appoſuere notam : *Imperatoribus in Eccleſiam, reſque divinas nullum jus eſſe jam ſupra dixerat Sanctus Doctor, & infra quoque in ſuo ad Valentinianum libello denuo repetit : hanc veritatem plurimi, & ſanctiſſimi viri laboribus innumeris, & quandoque etiam ſanguine proprio tutati ſunt*. Ferunt quoque Ambroſium addidiſſe : *quod ſi certum tibi eſt me occidere, hoc in loco in me enſem, haſtamve converte, ſic enim gratiſſima mihi mors erit futura*. Sed tantummodo in exilium pulſus fuit, ut Theodoretus ſcripſit lib. 5. cap. 12.

At utinam hæc eadem virtus in omnibus Eccleſiaſticis hoc tempore floreret. Sed nunc, temporum injuria, immutata omnia ſunt : & rerum ipſa perturbatio Epiſcoporum animos quoque a prima conſtantia dejecit. Ipſi enim vel inani metu, vel neceſſitate coacti, nequiſſimæ etiam obſequuntur ætati, quæ ab externa ſpecie rerum ducitur, & inſignia, ſplendoreſque dignitatis, non dignitatem ipſam admiratur ! quæ, malum, iſta voluntaria hominum dementia eſt ? ea maximi habere, quæ primis naſcentis Eccleſiæ ſeculis vili æſtimabantur ? Et ſane olim tantummodo ſanctitatis ſplendor, homines ad Epiſcopatum evexit ; atque illi divinum munus, & dignitatem, non munificentia, vel profuſis ſumtibus ſuſtentabant, ſed virtutibus, rebuſque optime geſtis ; atque hinc erat, quod tunc Principes, & populi univerſi, Epiſcopos, veluti è Cœlo demiſſos, admirarentur. Notum quippe eſt exemplum Guilielmi Sanctiſſimi

Ro-

Roſchildenſis Epiſcopi, qui non veritus eſt è templo paſtorali baculo ejicere Regem Svenonem. Quid tum Rex? ejus conſtantiam admiratus, mutata veſte, nudus pede, omniaque veræ pœnitentiæ ſigna præſeferens ad eandem Eccleſiam venit, atque lacrymis inter pœnitentes cooptari petiit; nec ad aram accedere voluit niſi ſui ſceleris veniam eſſet exoratus. Audiant hæc Epiſcopi, & in memoria ſemper teneant; namque ad eos præcipue Eccleſias Dei defendere ſpectat. Ex huc uſque relatis clarum fit penes Epiſcopos eſſe in Eccleſias poteſtatem; ſicut notat Coriolanus in notis ad Canonem XIV. Apoſtolorum: *Omnes*, inquit, *Baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur in Epiſcopi poteſtate conſiſtunt, in cujus territorio poſitæ ſunt*. Cujus poteſtatis plenitudinem concludimus apud Romanum eſſe Pontificem, quoniam in locis ubi immunitas viget, nequeunt Rei ſine ejuſdem licentia ab iiſdem (niſi caſus exceptus fuerit) extrahi. Sed ad immunitatem realem tranſeamus.

Immunitas realis etiam ex Summi Pontificis arbitrio quodammodo pendet. Verum celebris eſt Canoniſtas inter & Theologos quæſtio, quisnam rerum ſit Eccleſiaſticarum Dominus. Sed prius quam ad hanc deveniamus quæſtionem, oportet primum harum rerum originem brevibus exponere. Compertum omnibus credo, primis Eccleſiæ temporibus omnia fuiſſe communia, nihilque fideles poſſediſſe. Etenim ii, qui ad Chriſti fidem convertebantur, ut libere Domino ſervire poſſent omnia vendebant, eorumque pretia ad communem Chriſtianorum ſuſtentationem, Apoſtolis, fide bona, tradebant, ut ex actorum cap. 4. v. 35. At vero curſu temporis, & fidelium numerus, & eorum largitiones auctæ ſunt: nam ſponte ſua muneribus Altaria cumulabant, quæ proprie Collectas in ſuis Epiſtolis Apoſtolus appellavit, quibus etiam additæ fuere oblationes illæ a publicis pœnitentibus ad obtinendam pœnitentiæ publicæ relaxationem, factæ; quoniam tunc omnes fideles ob crimina, quæ perpetrabant ad mundi, ideſt Gentilium tribunalia non deferebantur, ſed ſiſtebant ſe ad poteſtatem Eccleſiaſticam, &

Epiſcopalem Audientiam, ne Gentiles ſcandalo afficerentur, huc referri poteſt illud Pauli Epiſt. 2. ad Timotheum 2. *Servum Dei non oportet litigare*, & ideo summus tunc erat pœnitentiarum rigor in ſtationibus Eccleſiæ præfixis, perſolvendarum. Verum hic minime ſingulas earum ſpecies referre ſpectat, ſat enim erit notare hanc praxim in Eccleſia ſeculo undecimo immutari cæpiſſe, atque publicas pœnitentias cum indulgentiis plenariis fuiſſe commutatas. Quæ indulgentiæ primum conceſſæ militantibus in expeditione sacri belli fuere ab Urbano II. Summo Pontifice in celebri Claramontano Concilio convocato in Galliis anno 1095. ad recuperandam nempe e barbarorum manibus terram sanctam. His autem præmiſſis facile nunc erit intelligere, qua de cauſa, bona Eccleſiaſtica dicantur pretia peccatorum, ut Sanctus Gregorius Magnus in homilia 17. ſuper Evangelia appellat. Concilium Cabilionenſe 2. in Gallia habitum anno 658. pro Eccleſiaſtica diſciplina, ita in Canone VI. inquit: *Quia res Eccleſiæ, quibus Epiſcopi non ut propriis, ſed ut commendatitiis uti debent, pretia ſunt peccatorum, patrimonia pauperum, ſtipendia fratrum in communi viventium*, ac S. Urbanus P. *ipſæ res fidelium, quæ Domino offeruntur non debent in alios uſus, quam Eccleſiaſticos, & Chriſtianorum fratrum, vel indigentium converti, quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*: unde elucescit illud Oseæ IV. *peccata populi mei comedent*, ſcilicet pretia peccatorum. At enim, ratione huc uſque explicata non ſolum, Eccleſiaſtica bona crevere, verum & deinde mirum in modum liberalitate Conſtantini Magni, ut ſupra dictum eſt. Ceterum tractu temporis, quo omnia vel optima, in pejus ruunt, Eccleſiaſtici etiam a communi vita receſſerunt, cujus licet elaboraſſet reſtaurare exempla S. Hipponenſis Epiſcopus, attamen, quod ſuo tempori non congrueret primæ vitæ inſtitutæ ratio, ſententiam mutavit: Audiamus ejus verba quæſt. 1. Can. XII. *Certe ego ſum, qui ſtatueram nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere* (in communi vita, & menſa inſtar monachorum)

Sed

Sed ecce in conſpectu Dei, & veſtro muto conſilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia ſua, maneant ubi volunt, & ubi poſſunt: non eis auſero Clericatum: ideoque ad medium quintum seculum anno nempe 467. ſub Simplicio Papa aliud inſtitutum amplexa eſt univerſa Eccleſia, diviſit ſcilicet res Eccleſiaſticas in quatuor partes; quarum prima fuit Epiſcopis deſtinata, ſecunda fabricæ Eccleſiæ, tertia Clericis, quarta pauperibus, & hoſpitibus, ut habetur ex Simplicio P. in Canone de Præbendis Eccleſiæ; ex Gelaſio P. in Can. 27. quatuor autem; ex Divo Gregorio Magno in Can. mos eſt Apoſtolicæ Sedis; pluresque demum Canones de hac re videri poſſunt apud Gratianum in cauſa 12. q. 2.

Sed ex quatuor tamen partibus enumeratis tres ſibi retinuere Epiſcopi, propriam ſcilicet, & illas Eccleſiæ, ac pauperum; verum quarta pars, quæ obvenerat Clericis, pro ſingulorum meritis a proprio dividebatur Epiſcopo, ſic enim Divus Gregorius Magnus Cataniæ Epiſcopo ſcripſit: *volumus ut quidquid Eccleſiæ tuæ ex reditu, vel quolibet alio titulo fortaſſis acceſſerit, quartam exinde portionem ſine diminutione aliqua debeas ſegregare, atque eam ſecundum Dei timorem Presbyteris, Diaconis, & Clero, ut tibi viſum fuerit diſcrete dividere: ita ſane, ut unicuique ſicut meritum laboris exegerit, libera tibi ſit, juxta quod prævideris, largiendi licentia*. Hæ portiones tamen fuere ſtipendia, ac volativa honoraria appellata; namque in epiſtola 34. Cypriani ad Clerum, & plebem, ſic legitur: *ut & ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur*. At quoniam non unus idemque mos omnium Eccleſiarum erat, namque ſtipendia alibi per ſingulos dies, alibi per menſes, Clericis dividebantur, ut colligere eſt ex laudato Cypriani loco, ideo ſportulæ fuerunt dictæ non minus diurnæ, quam menſurnæ.

Ceterum non omne Clericorum genus a communi vita cum Epiſcopo, & menſa receſſit: namque nonnulli primævam vitæ inſtitutionem retinuerunt, & hi deinde fuere Canoni-

nonici appellati, cujus nominis hanc dat rationem Ivo Carnotenſis in Epiſtola 93.: Quia regulas, & horas Canonicas ſe arctius obſervare velle promiſerint; quapropter duplex Clericorum genus ſurrexit.

Verum aliquo poſt tempore Clericos ab aliis ſegregatos puduit per ſingulos dies, vel per menſes ſtipendia quærere ab Epiſcopo, videbantur enim non partem quærere, ſed ſtipem mendicare, iccirco hoc in deſuetudinem abiit, eorumque portiones fuere cum præbendis commutatæ, cum certis ſcilicet, redditibus, quibus ipſi pro arbitrio utebantur, tanquam proprio peculio, ſine ulla Epiſcopi auctoritate, ſed habebant tamen injunctum onus illi Eccleſiæ inſerviendi, cui erant incardinati. Circa annum 810. hæ Clericorum præbendæ fuerunt univerſaliter in Eccleſia beneficia Eccleſiaſtica appellatæ, ut habetur ex Moguntino Concilio eodem anno celebrato, & credimus hoc nomen eaſdem obtinuiſſe ex feudorum uſu, quæ primitus beneficia appellabantur. Vide fuſius de origine beneficiorum Thomaſinum in ſua diſciplina, Bernardum Van-Eſpen part. 2. juris Eccl. tit. 18. & Duarenum de ſacris Eccleſ. Miniſteriis, & Beneficiis.

Notatum hic velim, quod omnes illi Clerici, qui a ſui Epiſcopi menſa ſe diviſere, ſicut antea dicebantur fratres ſportulantes, ex ſportulis ad ſtipendii receptionem delatis, ita & deinde a beneficiis beneficiati appellati ſunt. Nec prætereundum eſt, quod antiquitus parvus erat Eccleſiaſticorum numerus, tum quod ſolum ordinabantur ex Eccleſiarum neceſſitate quibus addicebantur; cum etiam ad titulum beneficii Eccleſiaſtici, ut de Altari vivere poſſent, cui ſerviebant, quoniam tunc in quacumque Eccleſia unum erat Altare. Prorſus inaudita tunc temporis erat ordinatio ad proprii patrimonii titulum, & nonniſi ad finem XII. ſeculi cæpit audiri. Etenim cum quidam Archiepiſcopus Biſuntinus in Galliis titulo patrimonii ordinare Clericum voluiſſet, veluti de re prorſus nova Pontificem Innocentium III. conſuluit, quoniam ejuſdem licentia, ac declaratio præcedere debebat, ut habetur ex cap. *tuis quæſtionibus*

23. de præbendis; immo quod diximus, gloſſa ſuper eodem confirmat, ubi tanquam de re nova ſic legitur; *nota quod quis poteſt ordinari ad titulum proprii patrimonii*. Sed nunc tamen ex Tridentino Concilio in ſeſſ. 21. cap. 2., hoc confirmatum habetur, poſſe ſcilicet proprium patrimonium Eccleſiaſtici beneficii defectum ſupplere.

Ex huc uſque dictis in comperto eſt, Epiſcopos onus ſubiiſſe Eccleſiæ ſuſtinendæ, pauperumque alendorum, quoniam, ut diximus, has duas quoque ipſi portiones in ſuam retinuere cuſtodiam, juxta verba Apoſtoli 1. Corinthiorum 9. *diſpenſatio mihi credita eſt*. Quibus & illa Divi Gregorii Magni concordant appoſita in Canone fratrem diſtinct. 86. *Qui largam manum non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet*. Sed ſublata poſtmodum illa quadripartita diviſione, alia rerum Eccleſiaſticarum diviſio invecta eſt, in tres ſcilicet partes. Etenim pauperum portio fuit quidem adaucta Epiſcoporum, & beneficiatorum portionibus, ac propterea non minus hi, quam illi ſanctiſſimum onus ſubeunt ex ſuperabundantibus redditibus,iis detractis ſolum,quæ ad uſum vitæ ſunt, pauperes alendi, dicente Hieronymo in principio diſtinctionis 44. *Tibi o Sacerdos de Altari vivere permittitur, non luxuriari*. De hac enim nova tripartita diviſione Duarenus conqueritur lib.2. de ſacris Eccleſiæ miniſteriis, & beneficiis, ubi de primæva quadripartita diſtributione ſublata mentionem faciens, de hac nova tripartita pro Epiſcopo ſcilicet, pro Eccleſia, & pro Clericis, ſic ait: *quam partem abſtulerint pauperes in hoc, ut dicam familiæ erciſcundæ judicio*, quapropter rectiſſime aſſeruit Divus Hieronymus in Canone *quoniam* 16. q. 1. *Quid quid habent Clerici pauperum ſunt, & ideo domus illorum omnibus debent eſſe communes*, & clare Bernardus in Epiſtola 42. ſic eos redarguit: *clamant nudi, clamant famelici neceſſitatibus noſtris ſubtrahitur, quid quid vanitatibus veſtris accedit*, & alibi: *Clamant nudi, conqueruntur, & dicunt noſtrum eſt, quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod in aliter expenditur*, & in Canone 1. diſt. 82. Clericis im-

imponitur, quantum fieri poterit veſtitus, ac victus in pauperes largitio. Epiſcopatuum itaque, & beneficiorum fructus ſunt tanquam patrimonia pauperum habendi, ut ſæpius SS. Patres vocavere, eorum originem ſpectantes. Quam originem (niſi mea me fallit opinio) nihil animadvertunt illi, qui beneficiorum fructus cum aliis rebus confundunt, ſacra profanis miſcentes.

Nam etſi Duarenus in lib. 2. de ſacris Eccleſiæ Miniſt. & benef. aſſeruit eoſdem eſſe temporales, ſolum quia non perdurant ſemper in eodem ſtatu, cum res proprie ſacræ nulla vi temporis ruant; conſiderare tamen debuiſſet, quod S. Thomas dixit: videlicet res ſacras quadruplicis eſſe gradus, primum enim locum Sacramenta, indulgentiæ, ac ſacræ preces ſibi requirunt; ſecundum locum occupant templa, ſacrataque vaſa, ut Calices, quos aliqui volunt ligneos fuiſſe uſque ad Zefirinum Papam, qui primus juſſit vitream adhibendam eſſe patenam; attamen Baronius contendit Calicem Domini quoque vitreum fuiſſe ſub Apoſtolis, de quo Bonifacius Martyr, & Hieronymus fecere mentionem. Sed Urbanus tandem, & Callixtus Pontifices juſſerunt, ut utraque hæc vaſa argentea, vel aurea eſſe deberent, vel ſaltem Calix, ſi pauperrimus fuerit Clericus ex ſtamno fundendus, ut habetur ex Canone 45. de conſecrat. diſt. 1. Sed tertio inſuper loco inter res ſacras, Sacerdotum veſtes, atque alia Eccleſiarum ſupellex reponenda ſunt; & quarto demum reditus, poſſeſſiones, prædia omnia ad ipſarum uſum deſtinata. Hoc autem confirmatur a Stephano I. Summo Pontifice in Epiſtola 2. licet hæc, quæ in Iſidori Mercatoris collectione extat tanquam apocripha a recentioribus Criticis expungatur, Cardinalis tamen Bona ſuſtinet nihil falſi in ea inſeruiſſe Auctorem, ſic igitur ex relato habetur Pontifice loco citato: *nam quid quid in ſacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſte agitur pro ſacrilegio reputabitur, quia ſacra ſunt, & violari a quoquam non debent*: ac præterea in Canone 6. Moguntini Concilii habiti anno 847. ſic legitur: *Quis quis faſtu ſuperbiæ elatus Domum Dei ducit contem-*

tibilem, & *poſſeſſiones Deo sacratas*, *atque ad honorem Dei, ſub Regiæ immunitatis defenſione conſtitutas inboneſtè tractaverit*, *vel infringere præſumſerit*, *quaſi invaſor*, & *violator Domus Dei excommunicetur*. At ſi vellemus huc omnes congerere Canones hanc rem decernentes, pene infinita noſtra narratio eſſet, ideoque eos prætermittimus. Ad majora enim properamus.

Quod vero ad dominium pertinet rerum Eccleſiaſticarum, aliis placet eſse penes totum Eccleſiæ corpus; nonnullis vero ad peculiares pertinere Eccleſias, quibus ſunt addictæ; plurimis pauperum eſse; non paucis quoque nullius. Qua de re Ivo Carnotenſis ait Epiſt. 3. *Res enim Eccleſiaſticæ ſicut teſtantur ſeculi leges*, *quia divini juris ſunt*, *in nullius bonis ſunt*: quibus & Divi Petri verba reſpondent: *non es mentitus hominibus ſed Deo*, dum Ananiam, & Saphiram reos ageret fraudis in pretio agri venditi, qua fraude, ſubita morte non ſolum correpti ſunt, ſed etiam æterna vita privati, juxta Baſilii, atque Auguſtini opinionem, quanquam Hieronymus, Dionyſius Chartuſianus, & Petrus Damianus pœnitentiæ ſpatium eos habuiſse credant. Sed tamen putavere multi ad ſolum Romanum Pontificem tanquam Eccleſiæ caput, Eccleſiaſticarum rerum dominia pertinere. Sic enim ſenſit Egidius Romanus quæſtione de utraque poteſtate art. 3. Vincentius Gigaldi, Petrus Cardinalis de Alliaco lib. de Eccleſiæ auctoritate, Joannes de Pariſiis de poteſtate Regia, & Papali. Sed nimis aperta eſt ſanctio Concilii Generalis Lateranenſis v. ſeſſ. 9. de reformat. Curiæ Pontifice Leone X., convocati, his verbis: *Cum fructuum Eccleſiarum Cathedralium*, & *Metropolitanarum*, *Monaſteriorumque*, & *aliorum quorumcumque beneficiorum Eccleſiaſticorum*, *plenaria diſpoſitio*, & *adminiſtratio ad nos*, & *Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem*, & *alios etiam*, *qui ejuſmodi Eccleſias*, *Monaſteria*, & *Beneficia jure*, & *Canonice obtinent ſolum pertineant*. Plenaria enim diſpoſitio ex eo confirmatur, quod aliquando ad certum tempus Pontifices ſecularibus conceſſere Principibus aliquid

de

de Eccleſiaſticis exigere rebus juſta, urgentiſſimaque de cauſa, cujuſmodi illa fuit de bello sacro (nomina autem Pontificum, qui hujuſmodi veniam Principibus dedere ſuo loco notabimus) Ceterum harum adminiſtratio rerum, Pontificis eſſe Romani ex quotidiano uſu quiſque noſcere poterit. Enim vero, niſi ipſe annuat, bona Eccleſiæ nullo modo diſtrahi poſſunt, ut ex celeberrima Pauli Papæ II. bulla Ambitioſæ de rebus Eccleſiæ non alienandis, habetur. Sed demum ne lectorem pluribus diſtineamus huic rei, modus ſit; atque de Eccleſia Theologice ſumta nunc loquamur.

De illa Eccleſia hic sermo inſtituitur, quæ Chriſti ſponſa dicitur, namque eam indiſſolubili ſibi vinculo conjunxit, Oseæ 2. 19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*: immo peculiaria quidem, ac ſimul præcipua ſuæ conceſſit ſponſæ privilegia; eſt enim Virgo, ut ex illo 2. ad Corinth. 11. 2. *Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*; eſt itidem fecunda, ut ex illo ad Galatas 4. 31. Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ; ex Chriſti latere progenita, Joan. 19. 34. *Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua*: in quem locum ſic inquit Auguſtinus ſuper Pſal. 126. *Cum dormiret Adam coſta illi detracta eſt, & Eva facta eſt, ſic & Dominus cum dormiret in Cruce, latus ejus lancea percuſſus eſt, & Sacramenta effluxerant, unde facta Eccleſia. Eccleſia enim conjux Domini facta eſt de latere, quomodo Eva facta eſt de latere: Sed quomodo illa non eſt facta niſi de latere dormientis, ſic iſta non eſt facta niſi de latere dormientis*: idem expreſſit in lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 2. ubi ſic concludit: *Percuſſum eſt enim ejus latus, ut Evangelium loquitur, & ſtatim manavit sanguis, & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta; aqua in qua eſt ſponſa purificata: Sanguis ex quo invenitur eſſe dotata*. Quoniam, ut inquiunt Theologi, potuit gutta sanguinis redimere mundum, ſed voluit unda ut ſuis theſaurizaret filiis; de hoc Eccleſiæ theſauro quidem infinito ex Mediatoris operibus theantricis (ita enim a Theologis, ac Patribus Chriſti Domini nuncupantur actiones, ideſt Dei

viri-

viriles) quibus ſunt conjuncta etiam Sanctorum, Beatæque Virginis merita, plenam ſuo in terris Vicario diſpoſitionem commiſit, ut dum ipſi, ac quomodo videbitur fidelibus diſpenſaret, atque etiam, quam pœnam purgatorio igni eluenda eſſet divini illius ærarii pretio, redimeret; iſtæ autem diſpenſationes, propriè dicuntur indulgentiæ, ut clare explicavit Clemens P. VI.. in extravaganti. *Unigenitus Dei Filius*, de pœnitentiis, & remiſſionibus, ibi: „ Chriſtus in
„ ara Crucis, innocens, immaculatus non guttam sangui-
„ nis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum
„ pro Redemtione totius humani generis ſuffeciſſet, ſed
„ copioſe veluti quoddam profluvium noſcitur effudiſſe,
„ ergo ne ſupervacanea, inanis, aut ſuperflua tantæ effu-
„ ſionis miſeratio redderetur; theſaurum militanti Eccle-
„ ſiæ acquiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis pius Pater.
„ Quem quidem theſaurum non in ſudario depoſitum, non
„ in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum Cœli cla-
„ vigerum, ejuſque Succeſſores, ſuos in terris Vicarios com-
„ miſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & propriis, & ra-
„ tionabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali re-
„ miſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam ge-
„ neraliter, quam ſpecialiter, pro ut cum Deo expedire co-
„ gnoſcerent vere pœnitentibus, & confeſſis miſericorditer
„ applicandum. Ad cujus quidem theſaurum, cultum Bea-
„ tæ Dei Genitricis, omnium Electorum a primo juſto, uſ-
„ que ad ultimum, merita ad miraculum præſtare noſcun-
„ tur; de cujus conſumtione, & minutione non eſt aliqua-
„ liter formidandum, tam propter infinita Chriſti, ut præ-
„ dictum eſt, merita, quam pro eo, quod quando plures
„ ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis
„ accreſcit ipſorum cumulus meritorum: „ huc uſque laudatus Pontifex; verum nos ut ad ulteriora gradum faciamus, hic non ſiſtimus, nec diſputamus de triplici ratione, qua indulgentiæ nomen intelligi ſolet, primo ſcilicet pro peccatorum remiſſione, quoad culpam & pœnam æternam, & hæ indulgentiæ Sacramento Pœnitentiæ donantur; ideoque

que

que hoc in loco nonnullorum propoſitiones ab Alexandro VIII. Summo Pontifice anno 1690. damnatas de hodierna praxi in modicis inferendis pœnitentiis, vanaſque ſimul Janſeniſtarum turbas prætermittimus. Sicut ne verbum quidem unum pronunciamus de ſecundo modo, quo indulgentia ſumitur, ideſt pro pœnitentiæ publicæ minoratione ab Epiſcopis facta ad fidei Confeſſorum preces; aut de tertio denique, quo accipitur pro pœnæ temporalis relaxatione, quæ poſt pœnitentiæ Sacramentum ſupereſt. Verum quo tempore, quave de cauſa hic ultimus indulgentiarum theſaurus in Eccleſia profundi cæperit, jam ſupra notavimus: ſed de eodem multo ante divino percitus ſpiritu, locutus fuerat Propheta Pſal. 129. *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*, & Divus Chryſoſtomus hæc Pauli verba ad Rom. 5. commentans: *lex ſubintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*; ſic inquit, *multo plura quam debeamus Chriſtus pro nobis ſolvit; & tanto plura quanto guttulam exiguam excedit pelagus immenſum*. Perperam igitur Lutherus, & Calvinus credidere theſaurum indulgentiarum eſſe novum excogitatum in Eccleſia a Pontifice; ideoque in indulgentias oblatrare auſi ſunt, fidelibuſque univerſis perſuadere in fraudes conductos iri, ſi illas credidiſſent Eccleſiamque eſſe reformandam, atque his novis opinionibus purgandam. Apage has ineptias. Quis enim non videt quantum illæ ab inerrantia Eccleſiæ noſtræ diſtent? nam ſicuti nec ulli ſponſæ ſimul id obtigit, quod de vera Chriſti ſponſa exaravimus, ſcilicet eſſe fecundam, Virginem quoque, & ex latere ſponſi progenitam; ita etiam characteres, qui Eccleſiæ noſtræ competunt, nec olim hebræorum Synagogæ, aut nunc heterodoxorum reformatæ Eccleſiæ conveniunt, ſed liceat hic ad gloriam Eccleſiæ Catholicæ ejus characteres exponere.

In Theologicis facultatibus traditur tanquam ſignum Chriſti Eccleſiæ eſſe unam juxta illud Canticorum 6. *Una eſt columba mea, & perfecta mea*; hæc unitas tamen dupliciter

citer conſideratur, tum quod debet eſſe capiti, quod eſt Chriſtus, unita, ejuſque pro tempore, Vicario, tum quod habere debeat fidei unitatem, ac doctrinæ, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ.4. v.5. *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma*, & hoc paſſim a SS. Patribus, ſcripturis, ſymboliſque fidei confirmatur; quapropter omnes ii, qui ex hac perfecta unitate recedunt, hæretici nuncupantur, inter quos ne minima quidem unitas invenitur; nam Lutherani a Calviniſtis diſſentiunt non ſolum in Canone ſcripturæ, in Sacramentorum ritibus, in fidei articulis; verum & a Mathia Hoë Lutherano uſque ad ſeptemdecim numerantur non parvi ponderis diſſentiones in ſuo libello Lipſiæ edito; quis igitur ex his non inferat eos inter ſe diſtractos eſſe, ſecumque in diviſione ipſa pugnare, atque hancobrem membra unius Chriſti Eccleſiæ non poſſe dici? inurantur igitur jure ac merito hæreticorum nota, ſicut & palam a Lutheranis ſunt Calviniſtæ inuſti.

Inſuper Eccleſia Chriſti multiſque rationibus dicitur Sancta, quoniam etſi non omnes fideles actus ſuos, ad ſanctitatem, uti par eſſet, dirigant, hoc tamen ſanctitati Eccleſiæ nihil officit: namque hic non intelligenda oratio eſt de ſanctitate ſubjectiva, quæ perſonis refertur, ſed de objectiva, ſcilicet doctrinæ, & profeſſionis, qua vel ſanctiſſimus fuit Salomon, ſicut in ſacris libris ab ipſomet ſcriptis noſcitur: eximias enim continet regulas ejus liber Proverbiorum, tam erga Dei pietatem, quam proximi amorem; in Eccleſiaſtis libro rerum mundi vanitatem perfecte oſtendit, ad cujus imitationem inquiunt Eccleſiaſticum fuiſſe a Jeſu filio Sirach compoſitum; Cantica autem Canticorum continent Aſceticam, ſeu Myſticam Theologiam, & miris modis mutuum Chriſti Eccleſiæque amorem deſcribunt, immo Divus Hieronymus advertit, haud licuiſſe hebræis hunc legere librum ante trigeſimum ætatis annum. Denique liber ſapientiæ in tres partes diſtributus; nam uſque ad ſeptimum caput ſuadet ſtudium, ſcientiamque diligendam; atque ab eo uſque ad decimum ſcientiæ originem

inve-

inveſtigat ejuſque fructus, & effectus demonſtrat;harum Sacrarum cauſa Scripturarum jure credimus Salomonem ſanctitatem habuiſſe objectivam (ſic Theologi ſanctitatem doctrinæ appellant) non autem ſubjectivam ſcilicet perſonæ, namque in Sacris Scripturis ejus ſcelera, idololatriæ, ceteraque impiiſſima facta notantur, ex quibus nonnulli in dubium revocarunt ejus æternam ſalutem, ut Beda in quæſtionibus ſupra librum 3. Regum cap.6. in hoc enim sacro libro legitur cap.XI. v.4. *Cumque eſſet Senex depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum coram Domino Deo ſuo.* Quapropter Abbas Bonæ Spei de ejus ſcripſit damnatione: quanquam de ejuſdem ſalute Auguſtinus Calmet diſſertationem integram exornarit, & Nicolaus Serarius de ejus pœnitentia ſcripſit. Quapropter etſi omnes fideles ſuos patiantur manes, & juxta illud Exechielis 24. *nemo mundus a ſordibus*, & ſicut Concilium Arauſicanum 2. in Canone 22. expreſſit: *nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*; ex hoc autem non infertur, quod Eccleſia noſtra sanctitatem non habeat objectivam, quæ (ut ſupra dictum eſt) inſtitutis, legibus, & ſana doctrina continetur: namque doctrina ejus, non minus ac omnia inſtituta cerimoniæ, & Sacramenta ſunt ad ſanctitatem diſpoſita, & ideo in eadem nonnulli magnum ſanctitatis augmentum fecere; immo extra illam nulla poteſt haberi ſanctitas, quæ a Sacramentis dimanat. Omnia enim, & ſingula Sacramenta fuerunt a Chriſto Domino ad humani generis ſalutem inſtituta, Eccleſiæque ſanctæ, quod ad corpus conſideratæ, ſingula ſunt, ac omnia nimirum neceſſaria; verum non ita reſpectu ipſius Eccleſiæ membrorum, Eccleſiæ enim membris, ideſt fidelibus, quinque neceſſaria ſunt, ſcilicet Baptiſmus,qui dicitur,in Eccleſiam intrantium; Confirmatio, quæ eſt pugnantium, noſtra enim Eccleſia dicitur militans juxta illud Pauli ad Epheſ. 6. *Nobis eſt colluctatio adverſus Principes, & Poteſtates*. Eadem appellatur ratione triumphans illa Beatorum, ad quam ſine ulla macula eſt perveniendum, ideoque licet fuerint culpæ remiſſæ,

quiçquid pœnæ relictum eſt,igne eſt eluendum,propterea locus purgatorius, dicitur Eccleſia purgans; itidemque fideles Sacramento uti debent Pœnitentiæ, quod eſt reſurgentium. Illud Euchariſtiæ autem, proprium illorum eſt, vires reſumentium; ſicut & extremæ Unctionis, quod exeuntium dicitur. Reliqua vero duo,Ordinis nempe,& Matrimonii, quæ miniſtrantium, & introducentium ſunt dicta, ad arbitrium Chriſtianorum ſunt: verumtamen ex quinque relatis duo ſunt abſolute, & ſimpliciter neceſſaria de neceſſitate ſalutis, ſeu medii, ut Theologi loquuntur: Baptiſmus ſcilicet, & Pœnitentia, quæ mortuorum quoque Sacramenta nuncupantur, quia sanctificans gratia eſt animæ vita, quæ in eadem nequaquam reſidere poteſt, dum ibi originale, vel actuale reſidet peccatum. Alia tamen ſunt conditionate neceſſaria, data nempe opportunitate, ob præcepti neceſſitatem, & Sacramenta vivorum appellantur, quoniam in anima gratiam præſupponunt sanctificantem, quæ ab iiſdem augmentatur, & proprie dicitur a Theologis gratia ſecunda. Aliquando autem hæc vivorum Sacramenta cauſant per accidens gratiam primam, sanctificationem ſcilicet animæ peccati labe inquinatæ. Verum etſi olim nonnulli putarent, nullam conferre Sacramentum matrimonii, gratiam; fuit tamen a Concilio Tridentino ſeſſ. 7. Canone 6. decretum anathematis pœna propoſita; omnia ſeptem Sacramenta gratiam conferre non ponentibus obicem: in quam ſententiam deſcendunt Divus Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 2. ad 6. & alibi, Navarrus cap. 22. num. 3. Sotus in 4. diſtinct. 1. q. 3. art. 1., ac ſequentibus. Concilium quoque Tridentinum eſſe de fide decrevit,Sacramenta a ſolo Chriſto Domino fuiſſe inſtituta, ſic in ſeſſ. VII. Can. 1. inquiens: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta &c. anathema ſit*. Quod non ſolum ex jure antiquo habetur, ut in cap. *ad abolendam* de hæreticis; ſed etiam ex Sanctis Patribus, Divo Ambroſio nempe lib. 4. de Sacramentis cap. 4., Divo Auguſtino lib. de vera religione, aliiſque omnibus. Demum

Eccleſia Pontificia dicitur ſancta non modo, quia ejus doctrina, & Sacramenta, ut oſtendimus, ſunt ad ſanctitatem ordinata: verum etiam, quod Chriſtus Dominus eſt Eccleſiæ caput, ac ſponſus, cui ſimul ac Patri, æternoque Spiritui debitum latriæ cultum humillime præſtamus. Sanctos vero ejus famulos, noſtroſque interceſſores duliæ cultu cum Eccleſia colimus. Virginem autem Matrem, perpetuamque noſtram Auxiliatricem hyperdulia veneramur. Ex adverſo tamen Eccleſia heterodoxorum reformata nullo quidem modo poteſt dici ſancta, quoniam doctrinam ſanctitati repugnantem, & ſupponentem Decalogi præcepta nullo modo obſervari poſſe, tradit, quod eſt contra Chriſti verba dicentis: *jugum meum ſuave eſt*, & *onus meum leve*. Ad hæc, inquiunt, Deum eſſe peccati auctorem, nullumque patrari poſſe peccatum, niſi Deo impellente, & inſtigante; bonaque opera nullius eſſe meriti apud Deum. Verum aliis eorum impiis dogmatis relictis; hinc noſcitur, hæreticorum doctrinam longiſſime a ſanctitate diſtare, hominesque potius præcipites agere in interitum liberis moribus, univerſiſque cupiditatibus, ac vitiis, ut ipſimet heterodoxi fatentur. Propterea ne ullum quidem habent Sacramentum; namque etſi Baptiſmum, & Euchariſtiam retinent heterodoxi, neque hanc habent conſecrationis defectu, & illum diverſo conferunt modo, quapropter non conferunt Sacramentum, vel ſi conferant juxta Eccleſiæ Chriſti ritum: dicendum tunc eſt, hæreticos non proprium Sacramentum conficere, ſed ab Eccleſia noſtra mutuari. Age vero quinam fuere eorum Magiſtri tanta doctrina, & virtutibus præditi, qui Sanctorum Patrum præcepta maledictis inceſſere auſi ſunt, & Eccleſiam Chriſti reformare? Lutherus, & Calvinus. Qui viri! qui doctores! Ii profecto, in quibus nulla ſanctitatis ſpecies, nulla virtus, nulla miraculorum gratia relucet. Quid? quod infamia notati ambo fuerint? nam Lutherus cum Moniali ſacrilegas fecit nuptias, quamobrem etiam Imperatorio jure fuit infamis per legem *quid ergo* ff. de his, qui notantur infamia; Calvinus vero propter averſam venerem pu-

blico judicio igni damnatus fuit, licet deinde extremum ſupplicium, candenti ferro notatus, evaſerit. Jure igitur, ac facto infamis. Quin ut Hieronymus Bolſecus Lugdunenſis Medicus in ejus vita notat ſibimetipſe infamis viſus, proprii nominis puduit. Atque hi viri fuere heterodoxorum Eccleſiæ capita, quapropter ejuſdem proprie infamia debet eſſe ſpecialis differentiæ nota, in qua tam præſtantes eximiique ii fuere, qui præſumſerunt reformare Eccleſiam noſtram, cui ſolummodo ſanctitas competit ob ſanctitatem ſui Capitis, doctrinæ, ac Sacramentorum, multiſque aliis de cauſis.

Eccleſia Chriſti dicitur etiam Catholica, atque hac peculiari nota non minus ab hebræorum Synagoga, quam ab Eccleſia heterodoxorum reformata differt, namque Catholica idem ſonat, ac univerſalis. A Theologis triplex in Eccleſia ſtatuitur univerſalitas. Prima eſt reſpectu loci, vel diffuſionis, juxta Chriſti præceptum Marc. 16. v. 15. *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Qua de re ab hebræorum Synagoga differt, quæ ſolis Paleſtinæ finibus continebatur. Differt quoque ab Eccleſia reformata, quæ non ſolum diffuſa non eſt in Aſiam, Africam, vel Americam, ſed nec etiam ad omnes Europæ partes pervenit, & in aliquibus Germaniæ latebris imperium ſuum jactat; Chriſti vero Eccleſia inter ipſas perſecutiones per univerſum mundum eſt propagata, quapropter hæc una eſt Catholica nuncupanda. Quæ quidem notio illi competere poteſt alio ſenſu, quod ſcilicet perdurabit donec mundus ipſe ſtabit, juxta Danielis prophetiam 2. 44. *Suſcitabit Dominus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur*, & Oseæ 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in fide*: & Chriſtus inquit Math. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi* (ideſt hæreſes) *non prævalebunt adverſus eam*, & cap. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſumationem ſeculi*. Nec Synagogæ hebræorum idem competit, nam uſque ad certum tempus perduravit, & in Chriſti morte fuit compoſita, dicente Apoſtolo ad Galatas

5. *Ego*

5. Ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit. Verum nec etiam reformatæ heterodoxorum Eccleſiæ convenit Catholicæ nomen, ſecundum propoſitam notionem, namque ex Chriſti verbis habetur Math.12. v.25. *Omne regnum diviſum deſolabitur, & omnis Civitas, vel domus diviſa contra se non ſtabit*, & ex Gamalielis reſponſo actorum 5. 36. novimus, *quod conſilium, aut opus, quod non eſt ex Deo, ſed ex hominibus diſſolvetur*, cui Pſalmi 126. verba conſonant: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*. Quod clariſſimè patet attendenti Eccleſiam heterodoxorum, quæ varias ſubiit vices breviſſimo temporis intervallo. Dum vixit enim Lutherus, multi ſunt eum ſectati, ſed ipſo mortuo in varias abiere ſectas; & demum ejus Aſſeclæ evanuerunt, cum pauci nunc temporis Lutheri genuina dogmata ſectentur. Deinde ab inferis parvo poſt tempore, erupit Calvinus ſuiſque falſis doctrinis ad perditionem traduxit innumeros; ſed eo e vivis ſublato, diſperſi ſunt; Calviniſtæ autem nunc ſunt potius Athei, quam Calvini ſequaces. Dicitur quoque Eccleſia Chriſti Catholica, ſeu univerſalis ratione ſalvandorum; nam nullus extra eam ſalvus fieri poteſt, quot quot enim ſalvi fiunt in viſibili Eccleſia fiunt ſalvi, juxta communem SS. Patrum doctrinam. Et ſane nimis aperte Sanctus Gregorius P. lib.14. Moralium cap.2. inquit: *Sancta univerſalis Eccleſia prædicat ſalvari veraciter, niſi intra ſe non poſſe: aſſerens, quod omnes, qui extra ipſam ſunt minime ſalvabuntur*, & Divus Auguſtinus Epiſt.4. ad Bonifacium Comitem: *Eccleſia Catholica ſola eſt corpus Chriſti, cujus ille caput eſt Salvator corporis ſui; extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus . . . . non habent itaque Spiritum Sanctum, qui ſunt extra Eccleſiam*, & in Epiſt. 152. ad Donatiſtas: *Quis quis ergo ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod a Chriſti unitate disjunctus eſt non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*, & demum in lib. de unitate Eccleſiæ cap.19.

ad

ad ipſam vero ſalutem, ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum, habere autem caput Chriſtum nemo poterit, niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt Eccleſia. Non ita tamen erat in hebræorum Synagoga, quia extra illam potuerant nonnulli etiam ſalvari, teſte Auguſtino Epiſt. 99. ad Evodium: *præter progeniem Jacob, alii fuerunt credentes in Deum, ſicut Job, ſicut Civitas Ninivæ, & ſi qui alii ſunt, qui vel apparent in ſcripturis, vel in genere humano latent*. Quapropter hæc ſpecialiſſima nota unius Eccleſiæ Chriſti propria eſt, nam ſicut hebræorum Synagogæ non convenit, ita nec etiam Eccleſiæ reformatæ; quamplurimos enim extra Eccleſiam reformatam per mille, & quingentos annos veneramur Sanctos. Accedit, quod in Eccleſia reformata nullus ſalvari potuerit; fatentur autem proprio ore reformatores, ſemetipſos fraudibus plenos eſſe, ac perfidia, ſepteniſque diabolis obſeſſos; ideoque damnationis eſſe participes, non autem gloriæ. Calvinus enim in cap. 11. Danielis v. 34. ſic inquit: *In exiguo illorum numero, qui ſe ab idolatriis Papatus ſubduxerunt, major pars plena eſt perfidia, & dolis, præclarum zelum ſimulant: ſi tamen intus excutias reperies plenos eſſe fraudibus*, & Lutherus, qui hæc eadem dicere, vel nolens, coactus eſt in poſtilla dominica: *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior, jam homines ſinguli ſeptenis diabolis obſidentur, cum antea unico obſeſſi fuiſſent, diabolus jam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam ſplendida Evangelii luce ſint avariores, callidiores, injuſtiores, crudeliores, protervìores, quam prius in Papatu fuerant*: hæc audiant quæſo proteſtantes, & ſuam animadvertant ignominiam, ut tandem confuſi illuminentur potius teſtimonio domeſtico, quam illo Auguſtini, de ſe in libro contra Manichæi epiſtolam, loquentis cap. 4. „ Multa ſunt, quæ in Eccleſiæ Catholicæ „ gremio me juſtiſſime teneant; tenet conſenſus populo- „ rum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoa- „ ta, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet „ ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt

„ re-

„ reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præ-
„ ſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum: tenet po-
„ ſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa in-
„ ter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut
„ cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint; quærenti
„ tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur,
„ nullus hæreticorum, vel baſilicam ſuam, vel domus au-
„ deat oſtendere, iſta ergo tot, & tanta Chriſtiani nominis
„ chariſſima vincula recte hominem tenent credentem in
„ Catholica Eccleſia, etiamſi propter noſtræ intelligentiæ
„ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas non dum ſe aper-
„ tiſſime oſtendat: apud vos autem, ubi nihil horum eſt,
„ quod me invitet, aut teneat ſola perſonat veritatis polli-
„ citatio.

Inſuper Eccleſia Chriſti appellatur Apoſtolica, quia fuit ab Apoſtolis fundata: huc Hieronymi verba ſunt referenda in fine Dialogi contra Luciferianos: *Brevem tibi, & apertam animi mei ſententiam proferam: in illa Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata uſque in hanc diem durat*, & ſane Apoſtolica dicitur, quod longe ab iiſdem fuit lateque diffuſa, nam in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Accedit quod eorum ſequitur doctrinam, & Epiſcoporum ſucceſſionem. Egregie enim ſic perduelles Eccleſiæ redarguit Tertullianus lib. de præſcriptionibus adverſus hæreticos cap. 32. „ Edant origi-
„ nes Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum
„ ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut
„ primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſto-
„ licis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, ha-
„ buerint Auctorem, & Anteceſſorem: hoc enim modo
„ Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrneo-
„ rum Eccleſia habens Polycarpum, a Joanne collocatum
„ refert, ſicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum
„ edit: proinde utique, & ceteræ exhibent, quos ab Apo-
„ ſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis tradu-
„ ces habeant: confingant tale aliquid hæretici „ & in

cap. 20.

cap.20. & ſeq. ipſam cum hæreticis introducit Eccleſiam ſic loquentem . „ Qui eſtis ? quando , & unde veniſtis : quid „ in meo agitis, non mei ? quo jure Marcion ſylvam meam „ cædis ? qua licentia Valentine , fontes meos transvertis ? „ qua poteſtate Apelles , limites meos commoves ? mea eſt „ poſſeſſio , olim poſſideo , prior poſſideo ; habeo origines „ firmas ab ipſis Auctoribus , cujus fuit res : quid hic cete- „ ri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis ; Ego ſum „ heres Apoſtolorum , ſicut caverunt teſtamento ſuo , ita „ teneo ; vos certe exheredaverunt ſemper , & abdicarunt , „ ut extraneos . „ Hæc mirabiliter Tertullianus, & ex ejuſdem colligitur verbis Eccleſiam reformatam non eſſe Apoſtolicam , namque a Luthero , & Calvino initium habuit , & ex eorum Aſſeclis eſt propagata , non autem ab Apoſtolis ; quid ? quod ab iiſdem non minus rejiciuntur Apoſtolorum præcepta , quam traditiones , a nobis ſanctiſſime ſervatæ ex præcepto Apoſtoli 2. Theſſal.2. v.14. : *Itaque fratres ſtate , & tenete traditiones , quas didiciſtis ſive per ſermonem , ſive per epiſtolam noſtram* . Qua de re ſic ſcripſit Divus Chryſoſtomus cap. 2. epiſtolæ poſterioris ad Theſſal. hom.4. *Hinc patet , quod non omnia per epiſtolam tradiderint, ſed ſimul etiam ſine literis , eadem vero fide digna ſunt tam illa , quam iſta* , & Auguſtinus diſt. 11. cap. Eccl. *Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcripturis, quaſdam vero Apoſtolica traditione per Succeſſores in miniſterio confirmatas accepimus ; quibus par ritus , & idem utriſque pietatis debetur effectus* . Sed tandem liceat concludere cum Baſilio lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Dogmata* , ait , *quæ in Eccleſia prædicantur quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione, quorum utraque parem vim habent ad pietatem* . Atque hinc ſequitur Eccleſiam reformatam , quæ traditiones , Apoſtolicamque doctrinam rejicit pſeudoapoſtolicam potius, quam Apoſtolicam eſſe appellandam .

Hæc tamen digreſſio , materiæ , quam tractamus videri non debet aliena , namque huc eam ſpectare autumavi-

mus ,

mus, ut heterodoxi ſempiterna notentur ignominia, Pontificia vero Romanæ Eccleſiæ poteſtas floreſcat quotidie magis. Heterodoxi enim omnes ingenii vires, infelici ſane eventu, intendunt, ut hanc noſtram, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, demonſtrent, Pontificemque Antichriſti nunc præſeferre perſonam; nobis autem, quantum noſtri inſtituti ratio ferret, adlaborandum erat, ut eam ipſam Eccleſiam, quæ a Chriſto, ejuſque adjutoribus Apoſtolis, eſt condita, ad noſtram uſque ætatem apud nos, & ad sæculi finem perdurare firmaremus, Romanumque Pontificem Chriſti vices gerere in terris. Sed audiamus tamen quo pacto Novatores fabulam defectionis Eccleſiæ narrent. Non una omnium eſt sententia, ſed in varias opiniones abeunt circa tempus, quum res hæc evenerit: nam David Chytreus in cap. 9. Apocalypſis voluit Eccleſiam noſtram a fide defeciſſe ad sexcenteſimum Chriſti annum tempore Divi Gregorii Magni Pontificis; Lutherus tamen in ſupputatione temporum, & Raphaël Eglinus in duplici Elencho hanc defectionem factam autumant anno sexcenteſimo sexto tempore Phocæ Imperatoris; Henricus Bulingerus præfatione in Apocalyp. anno ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio tempore Pipini Regis; Wolfangus Muſculus in locis, titulo de Eccleſia ſupponit circa annum milleſimum ducenteſimum poſt Divi Bernardi tempora. At hæc ſunt meræ impoſtorum nugæ. Neque nobis minimum faceſſit negotium Albertus Cranvverus, qui tot sententiarum inter ſe diſſidentium cauſam aſſignare contendit, nam & ipſe ſibi in ſuis ratiociniis non conſtat. Juvat igitur uno impetu, omnia maleferiatorum hoſtium machinamenta, evertere, verba Domini opponendo firmitudinem in fide, Eccleſiæ, ejuſque Pontifici deſpondentis; quorum verborum ἀσφάλειαν ipſe quoque omnium ſceleſtiſſimus, aperte confitetur Lutherus, ſic inquiens contra Regem Angliæ. *Quicquid ultra Verbum Dei producitur, hoc noſtri ſit arbitrii credere, non credere, damnare, probare*. Eundemque ſenſum continent ibidem illa, vel iniquiſſima verba: *Ego vero adverſus dicta Patrum*

hominum, Angelorum, dæmonum, pono Evangelium . . . hic ſto, hic ſedeo, hic triumpho, hic inſulto Papiſtis. Sed nec verbum Domini ſcriptum intellexit, nec traditum credidit, nec definito acquievit; quoniam aliter neque Eccleſiam Chriſti, neque ejus Pontificem contemtui, per ſummum ſcelus, habuiſſet; Math. enim 28. v. 20. Dominum dixiſſe legimus: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*, & his eſt uſus verbis Auguſtinus in Donatiſtas, Eccleſiam ita cum Chriſto loquentem introducens: *Quid eſt, quod neſcio, qui recedentes a me, murmurant contra me? Quid eſt, quod perditi me periiſſe contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum; annuncia mihi exiguitatem dierum meorum? quandiu ero in iſto ſæculo? annuncia mihi propter illos, qui dicunt, fuit, & jam non eſt: apoſtatavit, & periit Eccleſia de omnibus gentibus; & anuunciavit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Sed ſi hæc hæretici parvi pendunt, audiant quæſo Math. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſum eam*: & Petro Chriſtus inquit: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Atque hæc promiſſio ad veros Succeſſores quoque extenditur, ut conſtans traditio tenet a Philippo Presbytero in Concilio Epheſino tom. 2. cap. 16. expreſſa: *nulli dubium, immo ſæculis omnibus notum eſt, S. Petrum Apoſtolorum Principem, & caput, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, per Succeſſores ſuos huc uſque ſemper vivere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe; hujus itaque ordinarius Succeſſor Papa Cœleſtinus nos ad hanc Synodum miſit*. Quapropter ſi fides Chriſti prioribus ſæculis in Eccleſia non defecit, ut ipſi fatentur hæretici, in eadem fide, Pontificia Romanaque Eccleſia uſque ad finem ſæculorum ſtabit. Quæ vero apud heterodoxos Eccleſia eſt a multis erroribus, ut ipſi aſſerunt reformata; nec Eccleſia vera eſt, & infinitis potius erroribus eſt deformata. Et ſane viſibilis capitis, noſtræ Eccleſiæ gradus, & dignitas qua nulla major exiſtere poteſt SS. Patri-

tribus fuit cognita, invictiſſimiſque argumentis probata. Præ ceteris enim Divus Bernardus, ſcripſit in lib. 2. de conſideratione ad Eugenium Papam cap. 8. *Age indagamus adhuc diligentius, qui ſis, quam perſonam geras in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Princeps Epiſcoporum, Heres Apoſtolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noë, Dignitate Aaron, Poteſtate Petrus; Tu es, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii gregum Paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto differentius præ ceteris nomen hereditaſti: habent illi aſſignatos greges ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti ſunt; nec modo ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor.*

Huc uſque a nobis demonſtratum eſt Eccleſiam eſſe Sponſam Chriſti, peculiareſque ejuſdem characteres, qui apertæ reformatæ, deformatæve Eccleſiæ falſitates patefaciunt, & Pontificis Romani exornant, atque extollunt dignitatem, nam ut inquit Hieronymus, eſt Eccleſiæ caput, vel ut Chryſoſtomus, fidei baſis. Videndum nunc eſt quidnam ſibi velit Eccleſiæ nomen. A græco ἐκκαλέω, latine evoco, Eccleſiam manare exploratum omnibus eſt: quapropter duplicem Eccleſia notionem habere poteſt. Sumitur enim pro templis, in quibus ad divina peragenda fideles vocantur, quæ quoniam ſaxibus conſtructæ, dicuntur Eccleſiæ materiales, & mortuæ; accipitur itidem pro fidelibus ad Chriſti fidem vocatis, ipſique per Baptiſmum conjunctis; juxta illud Pauli 2. ad Corinth. 6. *Vos eſtis templum Dei vivi*. Cætus enim fidelium Eccleſia viva, ac templum animatum nuncupatur; verum & in hoc differt a Synagoga, quæ a græco συνάγω ethimon ſumſit, quod congrego ſignificat; qua in re hanc adnotavit Divus Auguſtinus differentiam: *in Synagoga*, inquit, *populum Iſraël accipimus, noſtram vero Eccleſiam Apoſtoli nunquam Synagogam dixerunt: ſed ſemper Eccleſiam, ſive diſcernendi cauſa, ſive quod inter congregationem, unde Synagoga, & convocationem, unde Eccleſia nomen accipit diſtet aliquid, quod ſcilicet congregari, & pecora ſoleant, convocari autem magis*

eſt utentium ratione; *ſicuti ſunt homines*. Hoc ſenſu Eccleſiam ſumſit Divus Petrus, dum inquit in epiſt. 1. cap. 5. v.13. *Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta*, & *Marcus filius meus*. Quo incubuere heterodoxi ad perperam probandum illum nunquam Romæ commoraſſe, ut eum ab Eccleſiæ primatu deturbarent; verumtamen ſic venerabilis Beda relata Petri verba explicavit: *Babylonem typice Romam dicit*, *videlicet propter confuſionem multitudinis Idololatriæ*. Vel autem tropice Romam Babylonem nominavit, ut Euſebius ſcripſit lib.2. hiſt. cap.15., vel tandem ut Baronius notavit ad annum Chriſti 45. n. 19. *Petrum*, ſcilicet, *non eſſe uſum proprio nomine urbis in ſua epiſtola*, *quod Jeroſolymis lapſus e carcere*, *ubi ageret*, *non ab omnibus percipi vellet*. Sed quocumque modo ſe res habeat, hoc eſt hodie adeo notum, ut Joannes etiam Clericus ignotæ religionis homo, temerarius eſſe vocat omnes in dubium revocantes Petrum Romam veniſſe anno Chriſti 42. ut Fleury, omneſque fere ceteri adnotarunt. Et quidem de tempore nonnulli diverſimode ſcripſere. Baronius enim aſſerit anno 44. ſed ſibimetipſe aperte contradicit; quoniam idem ſtatuit, id anno 2. Claudii eveniſſe; atque juxta Valesii, Pagiique opinionem ex Apoſtolorum actibus clare noſcitur non conſtare Baronii notationem. Ex iiſdem enim colligitur ſemper Petrum uſque ad ultimum Agrippæ annum ex Ariſtobulo geniti, in Syriam, vel Judæam commoraſſe; is enim obiit anno 4. Claudii. Immo ſi Alexandriæ Chronico fides eſt adhibenda, sexto Claudii anno fuit Jeroſolymis celebratum tertium Concilium Apoſtolorum, quippe quia non adhuc ipſi erant per orbem diſperſi, ubi & Petrus interfuit, atque ibi, quæ per viſum ei acciderant nimis quæſtioni agitatæ conſona, retulit; ab eoque Petro, lite reſecata de circumciſione, Synodica epiſtola his verbis concepta eſt: *Viſum eſt Spiritui Sancto*, & *nobis nihil ultra imponere vobis oneris*, *quam hæc neceſſaria*, *ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum*, & *ſanguine*, & *ſuffocato*, & *fornicatione*, *a quibus cuſtodientes vos bene agetis*. Sed antea tamen duo alia

Con-

Concilia Jeroſolymis congregata fuere, primum ſcilicet anno 34. ad novi Apoſtoli electionem in Judæ locum proditoris ſuffectum, ut ex actis Apoſtolorum cap. 1. in fine. Alterum vero ut ſeptem Diaconi deſignarentur, qui ſacras, temporaleſque res adminiſtrarent, ut inquit S. Leo P. in ſermone de S. Laurentio, & eodem coactum eſt anno. Sed tertium denique fuit celebratum anno 51. ut notat Julius Marcelli in ſuo memoriale Chronologico hiſt. Eccleſiaſt., gallice ſcripto. Sed eorum Canones ſunt ab Auctore Conſtit. Apoſtol., quæ D. Clementi adſcribuntur, in fine octavi libri notati. Quos omnes Canones 94. etſi recentiores critici Apocriphos eſſe ſupponant ex Divi Gelaſii Pontificis decreto dicentis: *liber Canonum Apoſtolorum Apocriphus*: dubitatur tamen quonam ſenſu id ſumendum ſit; an quod ab incerto Auctore ſint ſcripti; an quod hæretici, vel impii homines aliquid falſi in eos inſeruerint; an demum, quod dubium ſit quot nam fuerint, quod eſt probabilius, quoniam nonnulli in generalibus Conciliis commemorantur, ut in Nicæno 2. citatur Can. 8. ſimiliterque a Franciſco Turriano e Societate Jeſu in lib. contra hæreticos Magdeburgenſes ad Canonum Apoſtolorum tuitionem, atque Epiſtolarum Summorum Pontificum decretalium, perplurimi, Panphili Martyris auctoritate, in breviſſimam redacti formam, referuntur: inquit enim eos ſe in Origenis Bibliotheca ſic inveniſſe. Sed de hac re conſulendi ſunt Cotelerius, & Beveregius, nos vero ad Petri adventum redeamus. Ex ſuperius dictis in comperto eſt omnes ſcriptores aſſerentes Petrum Claudii tempore Romam veniſſe, debere itidem aſſerere, iterum rediiſſe Romam Nerone regnante, vel primo anno ejuſdem juxta P.Pagi opinionem, vel ſequenti anno, ut ſentit Natalis ab Alex.; ipſo enim imperante ſe Simoni Mago oppoſuit, ac Martyrii Coronam accepit. Inter tempora vero, quum Princeps Apoſtolorum commoratus eſt Romæ, fuit tertium Jeroſolymitanum Concilium, ut demonſtravimus, interpoſitum, ubi & Petrus tanquam caput omnium præfuit. Verum doctiſſime a Patre Pagi quoque confutatur ſtatuam

a Se-

a Senatu fuiſſe Romæ Simoni Mago erectam, ſimulque oſtendit quomodo hac in re ſint hallucinati ſcriptores ad an. 42. §. 6. Sed antequam ad ulteriora tranſcurrat oratio, animadvertamus quæſo, quo pacto heterodoxi ne toti ictibus pateant, ad clypeos confugiant, ex iiſque teſtudine veluti facta Scripturarum, Sanctorumque Patrum tela in eos intorta pro inerrantia, ac firmitudine Eccleſiæ noſtræ, in Chriſti fide, vitare ſtudeant. Cum enim Sanctorum Patrum, & Scripturæ verba aperte teſtantia eandem ſemper fidem in Catholica Eccleſia duraturam, videant; Eccleſiam diſtinguunt in inviſibilem, quam inquiunt ex ſolis juſtis, ac prædeſtinatis eſſe compoſitam, & viſibilem, nempe Romanam ex juſtis, & peccatoribus ſimul coadunatam; atque de eà narrant ſcripſiſſe Lutherum in libro de Servo Arbitrio: *Eccleſia Spiritu Dei regitur, & Chriſtus cum Eccleſia ſua manet uſque ad conſummationem ſeculi*. Verum nos ſupra Domini verba laudavimus, quæ evidentiſſime ad Romanam Pontificiamque Eccleſiam diriguntur, cujus capiti ſolummodo dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, & alibi: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*; ex quibus verbis quis non videt infeliciſſime a Novatoribus Eccleſiæ diſtinctionem eſſe excogitatam? verum hic, ſi fide bona, agendum ſit, non inficias ibimus, aliquam Eccleſiæ partem poſſe in fide errare, non autem univerſam Eccleſiam ſecundum omnem ſui extenſionem, ut omnes docent Theologi. Eccleſia autem diſtinguitur ab aliquibus in activam, & paſſivam, hæc ſcilicet ad credendum pertinet, illa autem ad decernendum. Et ſane primo intelligitur modo prout eſt diffuſa in totum terrarum orbem, Divo Cypriano ſcribente lib. 4. Epiſt. 9. *Eccleſia eſt Plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo Grex adhærens*. Secundo tamen prout repreſentatur a Romano Pontifice, vel in œcumenicis adunata Conciliis, & ſic eſt Eccleſiæ nomen ſumendum quum in fidei controverſiis dicitur ejus falli, & fallere neſcium requiri judicium. Hanc igitur Eccleſiam Concilia repre-

repreſentant Generalia a ſuis compoſita Miniſtris, quæ ſcriptores omnes ſuſtinent Galli, eſſe ſupra Pontificem habenda. Verum ſi hunc conſideremus tanquam univerſalis Eccleſiæ caput, vel tanquam ſponſum ejuſdem, eo quod vices veri ſponſi agat: neſcio an Galli ſuam tueri sententiam poſſint; nullum quippe Concilium pro se producere ipſi poſſunt: quin imo ſi Conciliis ſtandum ſit, contraria ex iis sententia ſtatuitur. Producant Galli pro se Conſtanſienſe Concilium, nos autem pro noſtra sententia Concilia generalia univerſa producemus, eorumque ope facillimum erit oſtendere Pontificiam Poteſtatem uſque a naſcentis Eccleſiæ incunabulis, Conciliis ipſis superiorem fuiſſe. Et profecto dum iiſdem Conciliis non potuit Pontifex Eccleſiæ caput, præſidere, ut Petrum ſcripſimus feciſſe in Apoſtolorum Conciliis, ob perſecutionum, aliarumve rerum cauſas, inferius notandas, illuc miſit Pontificios Legatos; licet quandoque, & hi aliqua de cauſa defuerint. Verumtamen ut Conciliorum ſtatuta firma, rataque eſſent, neceſſe fuit ſemper, ut a summo probarentur Pontifice, tanquam Eccleſiæ capite a Patribus in generalibus Conciliis repreſentatæ, alioquin inter Conciliabula, utplurimum, amandata ſunt. Sed ut clarius hac in re procedamus hic omnia Oecumenica, ſeu Generalia Concilia breviter, atque ex ordine diſcutiemus.

Primum igitur Generale Concilium fuit Nicænum, ſic ex Urbe dictum Nicea Bythiniæ a tercentum octodecim Epiſcopis celebratum anno 325. Conſtantini Magni temporibus, a quo auctoritate præſidii, non autem regiminis congregatum fuit, ut docti inquiunt, ac ſub Sylveſtro Romano Pontifice, qui illuc miſit ſuos legatos, Oſium ſcilicet, Vincentium, & Victorem, uti Pontificis perſonam gererent, omnibuſque Patribus præſiderent. Hoc in Concilio Ariana hæreſis cum Sacræ Scripturæ norma proſcripta fuit; namque ut Bellarminus ſcripſit lib. 2. de Conciliis cap. 12.: *Concilia non habent, neque ſcribunt immediatas revelationes, aut verba Dei, ſed tantum declarant quodnam ſit Verbum Dei ſcriptum, vel traditum, & quomodo intelligi debeat; &*

pro-

propterea ex eo per ratiocinationem deducunt concluſiones: itidemque cum Nicænum Concilium definivit Chriſtum eſſe homouſion Patri, deduxit concluſionem ex ſcripturis, in quibus diſerte continetur, unum eſſe Deum, & Patrem eſſe Deum, ac filium eſſe Deum: ex quibus ſequitur neceſſario Patrem, & filium ejuſdem eſſe ſubſtantiæ, & Divinitatis. Et profecto infinitas pene hæreſes ex Sacræ Scripturæ verbis perperam intellectis erupiſſe novimus, iccirco cum Ariani abſolute Joannis 14. v. 28. verba intelligerent: *Pater major me eſt* opus fuit ut laudata Joannis verba ab Eccleſia explicarentur, hoc pacto, Chriſtum Dominum ſecundum humanitatem tantum eſſe minorem Deo Patre, ſecundum vero Divinitatem eſſe æqualem. Miror hic Baronium ſummæ eruditionis virum incaute eſſe hallucinatum; aſſerit enim a Nicæno Concilio Arium haud fuiſſe damnatum, ſed tantummodo, ut ipſe inquit, ſuſceptum; quod tamen ſecundum Valeſii notas ad Sozomenum lib. 2. cap. 16. fuit a Concilio Hieroſolymitano factum, ſed Nicæni Patres eum ex nomine, modeſtiæ cauſa, non condemnavere, ſed generaliter eos, qui Arii falſa ſequerentur dogmata, atque ab Imperatore impetrarunt, ne in exilium mitteretur, ſicut fuerunt miſſi Epiſcopi Arium credentes innocentem eſſe, ſcilicet Euſebius Nicomediæ, ac Teognius Niceæ Epiſcopus, qui tantum ſymbolum, non autem condemnationem ſubſcripſere. At nec ab exilio, ad proprios lares rediere, niſi ſcriptis declaraſſent, ſe Concilii Sanctiones approbare, atque ſanctiſſime in poſterum ſervaturos. Præter Arii proſcriptionem, hoc quoque in Concilio, compoſitum fuit Symbolum fidei, quod omnes Græcorum recepere Eccleſiæ, ut ſe ab Arianis diſtinguerent. Sed celebris eſt quoque hujuſce Concilii Canon ſextus, qui jus Alexandrini Epiſcopi Patriarchale, videtur cum R. Epiſcopi jure æquare, ex quo tot turbæ inter Eruditos excitatæ ſunt. At vero inter tot ejuſdem Synodi Canones, ne verbum quidem unum de œcumenici Concilii, univerſalem repreſentantis Eccleſiam, auctoritate, ſupra Romanum Pontificem legimus; quam quæſtio-

ſtionem, alioquin pulcherrimam, ſcituque digniſſimam reſecaſſent profecto tam ſapientes, frequentiſſimique Patres; aut inter tot Sanctiones, Eccleſiæ veluti regulas oblatas, ad mores fidelium dirigendos, ſanctum quoque hoc fuiſſet, quod Gallos religioſiſſimos homines, perplexos nunc detinet. Verum ne longius in re clariſſima immoremur, ad ſingula Concilia examinanda pro noſtri inſtituti ratione procedamus.

Secundum Generale Concilium fuit Conſtantinopolitanum, a Theodoſio seniore anno 381. convocatum: quamobrem primum ut Generale non habuere, nec in eo Pontificis Damaſi intervenerunt Legati, ut ex Epiſtola Divi Leonis Papæ colligitur ad Anatolium miſſa. Verum aliis prætermiſſis rationibus a Nat. ab Alex. allatis, aſſerendum cum eodem eſt, hoc e tribus Conſtantinop. Conciliis fuiſſe compoſitum, quod Macedonianos damnavit Spiritus Sancti Divinitatem negantes, illud Pauli perperam intelligentes 1. Corinth.2. v.10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*; ex hoc enim illi inferebant, *qui ſcrutatur quærit: qui quærit dubitat: qui dubitat ignorat: qui ignorat Deus non eſt; quapropter Spiritus Sanctus non eſt Deus*. Sed diverſa Eccleſiæ de illis verbis ſententia eſt, omnia ſcilicet penetrat, & comprehendit, ſicut & illud 1. Paralipom. 28. v.9. intelligitur: *Omnium corda ſcrutatur Deus*: ſcilicet Deus Pater omnia penetrat.

Epheſinum autem primum, fuit habitum anno 431. adverſus Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolit. affirmantem in Chriſto Domino duas fuiſſe naturas humanam nempe, & Divinam duabus perſonis humana nempe, & Divina; informatas; attamen licet hoc fuiſſet Generale Concilium antecedenti indictum anno ab Imperatore Theodoſio, inſtante Neſtorio, ſine Cœleſtini Summi Pontificis intelligentia, ut a Patre Pagi hoc in anno notatur num.2. & a Nat. ab Alexandro ſeculo 5. diſſert.7.q.1. is Pontifex tamen illuc ſuos miſit Legatos, ut Pontificium ipſi in hac cauſa decretum executioni mandarent, ut ex ſuo conſtat commonitorio

edito a Balutio,qui ſimiliter adverſus Launoyum probat Cyrillum ibi præſediſſe tanquam Sedis Apoſtolicæ Vicarium.

Deinde Chalcedonenſe fuit habitum anno 451. adverſus Eutychen,& Dioſcorum dicentes ante unionem hypoſtaticam duas fuiſſe naturas in Chriſto Divinam, & humanam, & poſt unionem duas in unam coaluiſſe, & ex duabus unam factam eſſe; ſed de hac re vide Gabrielem Vaſquez tom.1. in 3.part.Divi Thomæ diſput.14. Nam cum Epheſinum 2. in conciliabulum evaſiſſet anno 449. quod ſimiliter ſanguinolentum, & latrocinium Epheſinum fuit appellatum; Leo Papa primum ſuos Conſtantinopolim Legatos miſit, ut in enunciato lapſos conciliabulo ad communionem reciperent. Sed Martianus Imperator Generale Concilium Niceæ primitus indixit, ideo alios Pontifex, ut ſuo nomine ibi præſiderent, Legatos miſit, qui, Concilio Chalcedoniam translato, illuc quoque tranſiere. Temere quidem nonnulli ſcripſerunt in eodem Pulcheriam adfuiſſe Auguſtam, cum ipſemet Imperator, nec ante ſextam illuc eſt ingreſſus actionem, declarans ſe ad confirmandam fidem, non ad potentiam oſtendendam magni exemplo Conſtantini, hanc in Synodum ingredi. Ab hoc itaque Concil. illi fuerunt hæretici damnati, qui duas admitterent in Chriſto naturas, ſed non inconfuſe, inconvertibiliter, & indiviſibiliter, ut ſuſtinebatur a Catholicis juxta epiſtolam Leonis Papæ ad Flavianum Patriarcham Conſtantinop. miſſam. Nunquam, ut ex ejuſdem Pontificis epiſtola 54, vel 78. apparet, conſenſit Pontifex, ut Conſtantinopolitanus Patriarcha aliis ſui præcederet ordinis, vel plurimum Cæſare inſtante. Qua ex re noſcitur Conciliorum ſtatuta a Pontificibus Romanis firmitatem recipere. Immo non eſt prætereundum, quod Canon 28. ſtatuens, Conſtantinopolim jus privilegiorum cum Roma par habere, clandeſtinus, & ſurreptitius haberi debeat, nec a Pontificiis unquam Legatis probatus fuerit, ſicut a Baronio notatur tom.6. Annalium circa Chriſti annum 451. & a Bellarmino lib. 2. de Pontifice cap.18. Age vero, quæ inſtant agamus, & ſilentio prætereа-

reamus reliqua hujus Conlicii ſtatuta, quæ videri poſſunt apud Nat. Alex. ſecul. 5. cap. 3. art. 13. §. 17.

Quintum autem Concilium œcumenicum fuit habitum anno 553. Conſtantinopoli contra Neſtorianos, Origeniſtas, alioſque hujus furfuris hæreticos. Pontifex tamen Vigilius ibi non interfuit, ſicut apparet ex ejus conſtituto, ſed ſtatuta Concilii approbavit eodem anno, ut præ ceteris, teſtis omni exceptione major eſt Natalis de Alex. ſecul. 6. diſſert. 3. art. 3.

Sextum vero Generale Concilium fuit quoque Conſtantinopoli coactum anno 680. ubi ſummo honore excepti ſunt Agathonis Papæ Legati, fuitque in S. Sophiæ templo, proprieque ſub ejuſdem Trullo celebratum. Verum non parvas turbas dedere Pontificis Vigilii Epiſtolæ ad Juſtinianum, & ad Theodoram miſſæ, eo quod Monothelitæ eas interpolaverunt, ut melius ſuam hæreſim probarent, unam in Chriſto Domino ſtatuentes voluntatem, ut auctor eſt Combefiſius diſſertat. Apolog. pro actis ſextæ Synodi. Sed Monothelitæ, artibus, infelici eventu, adhibitis, damnati ſunt cum ſuis aſſeclis; namque a ſexta actione Synodum Epiſcopi proſecuti ſunt. Verum quoque Honorium damnarunt Pontificem, non quia fuit Monothelita, ſed ſolum, quod hanc neglexit hæreſim protinus extirpare, ut nonnulli aſſerunt, ſed de Honorii damnatione legendus eſt Bellarminus. At vero quanquam lectorem ad Bellarminum remittere omnino poſſemus, ne in longum narrationem noſtram produceremus: attamen inferius ejuſdem Bellarmini rationes adducemus, ut delicatis quibuſdam laborem minuamus eaſdem rationes ex fonte ipſo hauriendi. Quod hoc loco a nobis factum eſſet, niſi Conciliorum narratio, noſtram operam univerſam aripuiſſet: quapropter inferius quoque referemus in ſacris fuiſſe poſitum Catalogis Vitaliani Summi Pontificis nomen, atque ex iiſdem deletum, inſtantibus Monothelitis apud Conſtantinum Imperatorem Conſtantii II. Filium, ut Natalis de Alexandro notat ſecul. 7. diſſert. 2. cap. 2.

Septimum œcumenicum Concilium fuit Nicænum II. habitum in Baſilica S.Sophiæ an.787. licet tamen alii proximis ſequentibus notant fuiſſe celebratum annis, quo Iconoclaſtæ damnati ſunt a tercentum quinquaginta Epiſcopis, præſidibus Adriani I. Papæ Legatis.

Octava Synodus œcumenica fuit Conſtantinopoli congregata anno 869. Adriano II. Summo Pontifice; hanc tamen Photiani rejiciunt schiſmatici, ejuſque loco ponunt Concilium Florentinum, quod octavum œcumenicum appellant, namque in Conſtantinop.Concil. fuit Photius Græcorum schiſmatis Auctor merito damnatus, ut refert Nat. de Alex.ſec.9.& 10.p.2.diſ.11.

Sequuta ſunt Generalia quatuor Lateranenſia Concilia anno ſcilicet 1122. ſub Calixto II. 1139. ſub Innocentio II. 1179. ſub Alexandro III. 1215. ſub Innocentio III. PP. ob diverſas, plurimaſque habita cauſas; primum nempe ob Eccleſiæ pacem, & Sanctæ Terræ expeditionem; ſecundum adverſus schiſmaticos, & ad bona Eccleſiæ ſervanda; tertium contra hæreticos, illiuſque etiam temporis schiſmaticos; & quartum denique in Albigenſes.

Poſtmodum duo Lugdunenſia celebrata ſunt: primum nempe anno 1245. Innocentio IV. Pontifice adverſus Fridericum II. Imperatorem, & ob belli sacri cauſam. Secundum vero anno 1274. ſub Gregorio X. P. ad S. terram adipiſcendam, Græcorumque cum Latinis concordiam.

Præterea Conſtanſienſe habitum anno 1414. inter Generalia numeratur, difficillimo schiſmatum tempore congregatum, cujus ſtatuta nonnulli producunt, ut probent Romanum Pontificem Generali Concilio eſſe ſubjectum, ſed a nobis inferius explicabuntur.

Verum inter Generalia enumerat quoque Julius Marcelli Concilia, Viennenſe anno 1311. Clemente V. Pontifice Templariorum cauſa, aliarumque hæreſum congregatum: & Florentinum Pontifice Eugenio IV. anno 1439. perverſo oppoſitum Baſileenſi (quod Baſileenſe neſcio quomodo Vallemontius notat fuiſſe 17. Concilium Generale) ſed

ſed Florentinum tandem fuit Ferrariam translatum.

At inſuper fuit Lateranenſe V. ſub Julio II., poſteaque ſub Leone X. PP. habitum anno 1512. (quanquam a nonnullis perperam hoc generale fuiſſe negatur) idque fuit Piſano oppoſitum conciliabulo, quod novem habuere Cardinales anno 1511., ut obſequerentur voluntati Galliæ Regis Ludovici XII., & Imperatoris Maximiliani I. Summum Pontificem deponere volentium. Quapropter Julius II. P. non modo enunciatum convocavit Generale Lateranenſe Concilium, verum etiam eoſdem e gradu dejecit, atque excommunicavit Cardinales cum Civitate Florentinorum univerſa, quod tantum ſcelus permiſerant. Sed ipſimet Auctores Galli inter conciliabula, hoc quoque reponunt: non ſic autem aliud Piſanum habitum anno 1408. pro ſchiſmatis cauſa, quod Eccleſiæ pacem tunc temporis ſummopere turbabat. Sciendum enim eſt, quod Bonifacio IX. Pontifice e vivis ſublato anno 1404. eſt in ejus Sedem ſuffectus eodem anno Innocentius VII., qui pro ſchiſmate delendo abdicare ſe Pontificatu volebat, unde Romæ Generale convocavit Concilium. Sed Benedictus XIII. Antipapa adſentire noluit, atque in ſuam ſententiam Piſanos traxit. Verum inter tot rerum perturbationes Innocentius moritur anno 1406. atque legitime eligitur Gregorius XII., qui itidem, ut Nierembergius ſcripſit lib.3.cap.12., ſe facilem præbuit ad ſupremum gradum abdicandum. At cum nonnulli confugiſſent Piſas Cardinales, & Pontifex Concilium Generale indicit congregandum apud Ravennam, Cardinales tamen Principibus literis datis, jampridem a se dixerunt indictum fuiſſe Piſis, ibique Pontificem Gregorium XII. vocarunt, & Benedictum Antipapam, qui protinus Genua in Cathaloniam confugit iras Galliæ Regis timens, unde Cardinales ſui aſſeclæ ſe cum illis conjunxere Piſis, commorantibus. Verus autem Pontifex non ſolum juſte renuit illuc ire, ſed ſua uſus eſt auctoritate, & legitimum denuo indixit Concilium, omneſque Cardinales dignitate privavit, obſtinato animo in contrariam ſententiam

per-

perdurantes. Pontifex autem inter tot turbas ad pacem Eccleſiæ conciliandam, ſigna non parva dedit impoſitam dignitatem abdicandi.

His igitur ita ſe habentibus, ex ſcriptorum omnium ſententia, neſcio certe quomodo Galli inter legitima Concilia hoc Piſanum adſcribant conciliabulum, quod ex effectibus quoque ſuis, potius a ſchiſmaticis novimus fuiſſe compoſitum, quam a legitimis Eccleſiæ membris. Clarum enim eſt Piſanos Patres a Pontificis obedientia ſe ſubtraxiſſe, de cujus legitima electione dubitare non potuerant, maximopere ſtudentis hoc conciliabulum diſſolvere. Quapropter ſchiſma ab eis potius auctum, quam deletum eſt; quoniam poſt ſententiæ promulgationem de Pontificis, & Antipapæ depoſitione factæ, eligere quoque perperam putarunt Alexandrum V., quem omnes Galli inter legitimos reponunt Pontifices, eo quod ſupponunt hanc Piſanam Synodum fuiſſe legitimam, indeque ſequitur juxta eorum opinionem potuiſſe legitimum etiam deponere Pontificem, quem Conciliis volunt eſſe ſubjectum. Sed breviter a nobis demonſtrata Piſanæ Synodi invaliditate, ut pluribus etiam probabimus in Pontificum ſerie, Gallorum opinio, nulli niſa fundamento, corruet.

Reſtat ultimum Generale Concilium, nempe Tridentinum, convocatum Paulo III., Julio III., Paulo IV., & Pio IV. PP., quod quidem cæptum anno 1545. perduravit uſque ad annum 1563., habitum eſt ad Lutheranorum, Calviniſtarum, aliorumque hujus furfuris hominum errores convellendos, nec non ad mores Chriſtianæ Reipublicæ reformandos.

Sed vero hæc univerſa Generalia Concilia evolvat, qui velit, & quantum velit, nunquam Canonem in eis offendet, quo Conciliorum auctoritas ſupra Pontificem probari poſſit; quinimo in illis omnibus (ſolis demtis Concilii Conſtanſienſis ſtatutis) multis in locis oppoſitum potius intuebitur. Sed bene docti norunt qua de cauſa Sanctiones Conſtanſienſes ſint factæ, & quo modo ſint accipiendæ, ac de iis

inſe-

inferius ſermo redibit. Nec ſatis firmum argumentum ad Gallorum opinionem ſtatuendam miniſtrat Conſtantinopolitanum III. Sextumque œcumenicum ob relatam Pontificis Honorii I. damnationem. De hac enim re legi poteſt Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 9. de Honorio I. loquens ubi exponit Nilum in lib. de primatu Rom. Pont. notaſſe Honorium hæreticum Monothelitam fuiſſe, idemque non minus Magdeburgenſes aſſerere in cent. 7. cap. 10. in vita ipſius, & cap. 11. col. 553., quam Melchiorem Canum lib. de locis cap. ult. Pro ſua ſententia adverſus eundem, ſeptem exacuerunt argumentorum tela, quæ ab eodem ſunt relata Bellarmino loco citato; verum hic ſolummodo eſt ejuſdem reſponſio notanda in ſecundum argumentum, quippe quæ una ad rem noſtram facit. Hæreſim Honorii probare ſtudent ex VI. Synodo, actione 13., ubi proſcribitur Honorius tanquam hæreticus, & igni damnantur ejus epiſtolæ, at deinde ſequentibus actionibus omnibus, repetitur ejus damnatio. Quapropter relatus Cardinalis primum probat egregie, Honorium nunquam lapſum fuiſſe in hæreſim Monothelitarum, poſteaque de damnatione verba facit hoc modo. ,, Ad primum ergo reſpondeo dupliciter, 1. forte
,, taſſe illas epiſtolas eſſe confictas, & inſertas Concilio Ge-
,, nerali ab hæreticis; quod enim hoc non temere dicatur,
,, patet ex eo, quod conſtat in V. Synodo fuiſſe a ſimilibus
,, hæreticis inſertas epiſtolas fictitias Vigilii Papæ Romani,
,, & Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitani: id quod de-
,, prehenſum fuit in VI. Synodo act. 12. & 14. dum relege-
,, rentur acta V. Synodi. Sunt enim inventi tres quaternio-
,, nes ab hæreticis inſerti, & in iis iſtæ epiſtolæ. Quid ergo
,, mirum, ſi iidem Artifices idem fecerunt in VI. Synodo?
,, Secundo dico in Epiſtolis iſtis Honorii nullum contineri
,, errorem. Honorius enim in his epiſtolis confitetur, quod
,, ad rem attinet, duas in Chriſto voluntates, & operatio-
,, nes: & ſolum prohibet nomina unius, vel duarum volun-
,, tatum, quæ tunc erant inaudita, idque prudentiſſimo
,, conſilio. Quod rem ipſam confiteatur patet ex illis ver-

,, bis

„ bis 2. epiſtolæ: utraſque naturas in uno Chriſto unitate
„ naturali copulatas, cum alterius communione operantes,
„ atque operatrices confiteri debemus. Et divinam quidem,
„ quæ Dei ſunt operantem, & humanam, quæ carnis ſunt
„ exequentem: non diviſe, neque confuſe, aut converti-
„ biliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum
„ converſam edocentes, ſed naturarum differentias integras
„ confitentes, &c. Hæc confeſſio Catholiciſſima eſt, & Monothelitarum hæreſim protinus deſtruens.

Nec ſola hac reſponſione contentus Bellarminus, ultra progreditur, atque demonſtrare contendit, quod Honorius Pontifex prudentiſſimo conſilio prohibuerit unius, vel duarum operationum nomina, inquit enim: „ Nam tunc
„ initium erat hujus hæreſis, nec ab Eccleſia aliquid de his
„ nominibus erat definitum. Tunc enim primum Cyrus
„ Alexandrinus cœperat prædicare unam in Chriſto opera-
„ tionem: e contrario vero Sophronius Hieroſolymitanus
„ opponens ſe Cyro prædicabat in Chriſto duas operationes.
„ Retulit Cyrus hanc contentionem ad Sergium Conſtanti-
„ nopolitanum, & uterque ad Honorium Romanum. Ho-
„ norius igitur metuens id, quod poſtea evenit, ne iſta con-
„ tentio in grave aliquod ſchiſma creſceret, & ſimul vi-
„ dens, ſine his vocibus poſſe fidem eſſe ſalvam, voluit
„ conciliare utramque opinionem, & ſimul tollere de medio
„ ſcandali, & contentionis materiam: itaque ſcripſit in epi-
„ ſtola 1. ideo debere abſtineri a vocabulo unius operationis,
„ ne videamur cum Eutychianis unam naturam ponere in
„ Chriſto: & rurſum a duarum operationum vocabulo, ne
„ videamur cum Neſtorio duas perſonas ponere. Ne, in-
„ quit, aut duarum operationum vocabulo offenſi, Neſto-
„ rianos ſectantes nos veſana ſapere arbitrentur: aut certe
„ ſi rurſum unam operationem fatendam eſſe cenſuerimus
„ ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam,
„ fateri putemur. Deinde in epiſtola 2. docens modum lo-
„ quendi, & concilians opiniones: auferentes ergo, inquit,
„ ſcandalum novellæ adinventionis, nos oportet unam, vel

„ duas

„ duas operationes definientes prædicare ; ſed pro una ,
„ quam quidam dicunt , operatione , oportet nos unum ope-
„ ratorem Chriſtum Dominum in utriſque naturis veridice
„ confiteri : & pro duabus operationibus , ablato geminæ
„ operationis vocabulo , ipſas totius duas naturas , ideſt di-
„ vinitatis , & carnis aſſumtæ in una perſona unigeniti filii
„ Dei Patris inconfuſe , indiviſe , atque inconvertibiliter
„ nobiſcum prædicare propria operantes . Hæc ibi ; quæ
„ certe non niſi laudari poſſunt : ita Bellarminus .

Quomodo igitur eſt credendum , quod ejus epiſtolæ fuerunt in hac sexta œcumenica combuſtæ Synodo , ſi fidem nec ad minimum lædunt ? immo & poſtrema hujus ſecundæ epiſtolæ verba nec diſſonant ab illis a Leone Pontifice in ſua appoſitis epiſtola ad Flavianum Patriarcham Conſtantinopolitanum , ut ſuperius in Chalcedonenſi notavimus Synodo . His igitur veluti fundamento poſitis , Honorii damnatio ſuppoſita tantum dicenda eſt . Atque iccirco in hanc rem mihi mirum in modum placet hæc Bellarmini reſponſio (licet ceteræ ejuſdem validæ rationes , nec etiam ſpernendæ ſint) quæ ſic ſe habet : „ Sine dubio Honorii nomen inter
„ eos , qui damnantur a sexta Synodo , inſertum eſſe ab
„ æmulis Romanæ Eccleſiæ , & ſimiliter quicquid aliud ibi
„ dicitur contra Honorium : hoc probo primo , quia hoc
„ teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria ſua ex Theo-
„ phane Iſauro Græco . Secundo quia erat conſuetudo Græ-
„ corum fere ordinaria corrumpendi libros ; nam (ut dixi-
„ mus) in hac ipſa VI. Synodo art. 12. & 14. deprehende-
„ runt plurimas corruptiones ab hæreticis factas in v. Con-
„ cilio . Et Leo in epiſtola ad Palæſtinos conqueritur de
„ Græcis , quod epiſtolam ſuam ad Flavianum , ſe adhuc
„ vivente , corruperint . Gregorius lib. 5. epiſtola 14. ad
„ Narſem , aſſerit Conſtantinopolitanos corrupiſſe Syno-
„ dum Chalcedonenſem , & idem ſe ſuſpicari de Epheſina ,
„ & addit , codices Romanorum longe eſſe veraciores , quam
„ Græcorum , quoniam , inquit , Romani ſicut non acumi-
„ na , ita nec impoſturas habent .

Adverſus Honorium Pontificem ſcripſere Tharaſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Patriarchas, quæ habetur in VII. Synodo art. 3. Theodoſius Epiſcopus Hieroſolymæ in epiſtola Synodica, quæ habetur in eadem VII. Synodo art. 3. Epiphanius Diaconus Catholicus in diſputatione cum Gregorio hæretico, quæ habetur in VI. art. VII. Synodi, tom. 2. Pſellus in Carmine de septem Synodis, Beda de sex ætatibus in vita Conſtantini IV. Imperatoris, & liber Pontificalis in vita Leonis II. Attamen pro eodem se se exercuere Albertus Pighius lib. 4. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. 8. Hoſius lib. 2. contra Brentium, Joannes a Lovanio in lib. de perpetua Cathedræ Petri protectione, & firmitate cap. 11. & Onuphrius in annotatione ad Platinam in vita Honorii; quorum Auctorum rationes multo ſunt efficaciores, quam adverſariorum, ut ex Bellarmini ponderatione apparet. At ſufficiant in re tam nota, quæ huc uſque, diximus, nec Honorii cineres amplius conturbemus. Quæcumque enim argumenta ad ſatietatem uſque in hac materia afferri poſſent, nunquam firmam probationem facient, nec perſuadebunt Honorium fuiſſe hæreticum, ac damnatum a VI. œcumenica Synodo; ideoque nec etiam ex hac clarum fiet, auctoritatem Conciliorum ſupra Pontificem eſſe habendam.

Ex Conciliorum igitur Generalium ſtudio, quiſque cognoſcere poteſt nullum ex iis argumentum erui poſſe, quod Pontificiam, ſupremamque Poteſtatem infra Concilium detrudat, quin imo multa in Conciliis ſunt, quæ contrariam sententiam validiſſime firmant. Ideoque Auctores Galli, quoniam ex his validas nequeunt ſibi ſumere rationes, ſuſtinent Piſanum, ex quo aliquid ponderis ſuæ sententiæ accedit, legitimum fuiſſe Concilium, ſed toto cœlo errant, ut ſupra a nobis demonſtratum eſt.

Sed nec manus dant Galli, atque nullam ſperantes ſalutem ruunt in media arma, vel morituri ad extremum, vel victuri. Et ſane ad triarios res eſt redacta, veniunt ad Conſtanſienſis Concilii decretum, quo nihil firmius, nihil validius,

dius, nihil denique in quo magis triumphum, & victoriam canant. Victoriam canunt Galli ante prælium: conſiderare enim debuiſſent, quod hujus Concilii ſtudium huc ſpectavit, ut ſchiſma, quod per triginta novem annos Eccleſiam vexaverat evelleretur: ſicuti jam, cum bono Deo, extirpatum fuit Martini V. veri Pontificis electione. Hoc tanti momenti opus, ut facilius perficeret Concilium, decrevit ſupra Pontificem eſſe ſchiſmatis tempore generalia habenda Concilia, quod fuit ſummopere tunc opportunum, nam licet verus extaret Pontifex ob Chriſti promiſſionem; attamen quiſnam eſſet, a fidelibus, tam diuturni ſchiſmatis cauſa, ignorabatur, atque hinc fuit, quod Concilium, nulla eorum habita ratione, citavit Baldaſſarem Coſcia, Angelum de Corrario, & Petrum de Luna, tunc dictos, Joannem XXIII., Gregorium XII. & Benedictum XIII. Nullum itaque ex hoc facto, argumentum deſumi poteſt ad inferendum Pontificem ſubeſſe Concilio: Nam quod tunc ſchiſmatis tempore factum eſt, nunquam antea a Generalibus uſitatum fuit Conciliis. Quapropter rectiſſime infertur, quod cauſa tam diuturni non minus, quam trium capitum ſchiſmatis, a nonnullis dubitabatur quiſnam ex eis verus eſſet Pontifex: ideoque hac poſita hæſitatione, inquiunt ſcriptores, licuiſſe, ſine ullo ſupremæ Pontificiæ auctoritatis detrimento, Concilio Conſtanſienſi omnes citare. Etſi enim exploratum ſit, quod declaravit hæc Synodus, ut Generalis Concilii auctoritas ſupra Pontificem quoque haberetur; nihilominus tamen eſt incertum quidnam ſtatutum fuerit in hujuſmodi declaratione a Conſtanſienſi Concilio, an de Papa abſolute, & ſimpliciter hæc Sanctio intelligenda ſit, an de dubio, & ſchiſmatis tempore. Accedit, quod amplum dubitandi locum dat, quod ſeſſio IV. quarto habita Kalendas Aprilis an. 1415. itidemque V. ſeſſio, octavo idus Aprilis ejuſdem anni celebrata, quibus Concilium totam aſſumit ſupra Pontificem, auctoritatem, pro certo, atque explorato non eſt, an ſint conciliariter factæ; quoniam Martinus V. Summus Pontifex nil aliud ex hujuſce Concilii geſtis approbavit, niſi ea,

quæ conciliariter fuerant definita. Verum cum hoc quatuor perduraſſet annis Concilium, putarunt decernere Patres, in aliud tempus eſſe proſequendum; quoniam etſi jam fuerat ſchiſma extinctum, hæreſim quoque Joannis Hus, & Boëmorum penitus evellere in animo erat. Sed ne his difficillimis temporibus ſine Paſtorum cura greges manerent, ad oves ſuas quiſque rediit, & Concilium fuit Ticinum translatum Inſumbriæ Urbem, quo Martinus V. Pontifex Prælatos miſit, ut illud inciperent ſuo nomine, & peſte graſſante fuit deinde Senam translatum. Neque in hac Urbe perfecta res eſt, namque per Alphonſum Regem Aragoniæ ventilata eſt, quaſi flabello, Benedicti Antipapæ ambitio, ut denuo majores vires ſumeret (is enim a Conſtanſienſe Concilio, loco in quem ſe intruſerat, exturbatus, ad Paniſcolam Aragoniæ arcem venerat, ubi vitam adhuc agebat, cum ſolo nomine Benedicti XIII., quod uſque ad ultimum vitæ ſpiritum deponere noluit). Hac perverſa voluntate Aragoniæ Regis, qui Senam quoque Oratorem miſerat, ut Patres in ſuum traduceret conſilium, per Pontificem cognita, prudentiſſime ab eo Concilium ſolutum eſt, aliudque ad Baſileam indictum, atque hoc pacto Martinus V. P. cornicum oculos, ut ajunt, & artem arte ſefellit.

Sed ſi ex Conſtanſienſi Concilio nullum, vel ſaltem infirmum depromi poteſt argumentum de Conciliorum auctoritate ſupra Pontificem, ex Baſileenſe vero prorſus nullum eruitur teſtimonium. Quis enim eſt, qui neſciat hoc Concilium, in conciliabulum evaſiſſe? liceat hic breviter narrare quomodo ſe res habuit. Maleſana Patribus Baſileenſibus cupido inceſſerat explicandi Concilii Conſtanſienſis determinationem, eamque protrahere ultra fines, ut jus, judiciumque Concilii eſſet ſupra Pontifices, non ſolum tempore ſchiſmatis, verum etiam ſemper, & quacumque de cauſa. Ex quo inferebant, malemoratum Pontificem alioquin verum, & legitime electum, poſſe deponi, ſi Eccleſiæ peſſimo exemplo eſſet. Eugenium IV. interim Summum Pontificem Martini V. Succeſſorem citarunt, ut Concilio ſe ſiſteret. At

hic

hic verus legitimuſque Pontifex optime cauſæ inſtructus, cur hoc olim Patribus Conſtanſienſis Concilii facere licuerit, quod tunc dubius, inter tres, qui ſibi dignitatem adrogarant, Pontifex eſſet; non ſolum citationi non obtemperavit, verum & uſus, qua pollebat, auctoritate, indicendi, transferendi, & diſſolvendi Concilia, Baſileenſe diſſolvit. Patet hinc poſteriora Baſileenſis Concilii conſulta eſſe vana, futilia, nullius ponderis, quippe quæ nulla legitima auctoritate facta. Perperam igitur Conciliabulum illud Eugenium Pontificem contumacem declaravit, in eumque depoſitionis pœna, animadvertit; non animadverſurum ſane, ſi Epiſcopi eo coacti tantillum, hac in re, ſapere voluiſſent Theologicæ facultatis. Compertum enim eſt, omnes unanimiter Theologos, & præ ceteris Cardinalem de Turrecremata, & Cardinalem Cajetanum in tract. de Auct. Papæ, & Concil. cap. 17. uſque ad 23. docere Pontificem, uno excepto hæreſis caſu, nullo humano ſubeſſe judicio. Sed ad Conciliabulum redeamus, quod tandem novo ſchiſmate vexavit Eccleſiam Antipapæ electione. Hinc fortiſſimum depromunt argumentum Galli ad demonſtrandum Concilia Generalia eſſe ſupra Pontificem. Sed ſi attentius hujuſce Concilii conſideremus acta, ea potius Pontificis, quam Conciliorum probant auctoritatem. Porro Concilium decrevit malemoratum deponi poſſe Pontificem, & Eugenius IV. P. huic maleſanæ opinioni se se oppoſuit, factæque ad comparendum citationi reſtitit. Ad hæc; rerum exitus probavit, deciſionem Baſileenſis Concilii futilem fuiſſe Pontificis vero Eugenii IV. conſtantiam laude dignam. Felix enim V. primum nomine Amedeus Dux Sabaudiæ a Baſileenſe Concilio Pontifex electus, ut Antipapa eſt habitus, Eugenius autem, ut verus Pontifex ab omnibus exiſtimatus: quæ conjectura nos ad affirmandum ducit, acta Concilii legitima non fuiſſe. Ex dictis etiam patet a vera ſententia aberrare illos, qui Baſileenſis Concilii poſteriora acta firma, rataque habent, nam ab Eccleſia non probantur. Eugenius enim IV. omnes Baſileenſes Sanctiones abrogavit, præſertim factas poſt indictionem

nem

nem Concilii, vel translationem Ferrariam. Fateor quidem Gallos hac in parte nulla nota eſſe inurendos, nec Eccleſiæ Catholicæ ullam inferre injuriam, cum eorum opinio de Conciliis ſupra Pontificem ne ad minimum quidem religionem offendat. Sed tamen (dicendum eſt, quod ſentio) controverſia hæc homines pacis, & tranquillitatis amantes lædit, cum vident Gallorum ingenia ad ſublimia quæque facta, diſputatione diſtenta, quæ non ſolum pacem inter Catholicos non nutrit, ſed diſcordias alit, & ſimultates. Quid! quod ipſi diſputandi cupidine abrepti, quocumque vel judicii præcipitantia, vel anticipatio eos ferat, ſequuntur, nihilque, dum vincant, bonam mentem curant! & profecto quis unquam, qui recta ratione utatur, non cognoſcit quam futilia ſint argumenta ex ipſis Conciliis depromta? Si Piſanum conſideretur non fuit legitimum, ſi Conſtanſienſe, hoc de ſolo ſchiſmatis tempore decreviſſe dicendum eſt, & tantum abeſt, quod hæc poſſit deciſio ad alios detrahi caſus, quantum a recta via aberravit Baſileenſe Concilium, cui hæc cupido inceſſit, unde ex Concilio in conciliabulum mutatum eſt.

Sed quoniam Galli non ſolum ex tribus relatis Conciliis, ſed etiam ex Patribus, aliiſque exemplis argumenta deſumunt operæ pretium erit hæc quoque adducere, & refutare. Sed primum ſi placet videamus, qua ratione Baſileenſe conciliabulum tam firmiter Gallorum mentibus adhæſit, ut iis vel ſacroſanctum habeatur, vel loco ſit tutiſſimi armamentarii, ex quo firmiſſima rationum tela depromant: nulla alia re hoc eveniſſe fertur, niſi quod cum ex eodem diſceſſiſſet Concilio Cardinalis Cæſarinus Pontificis Eugenii IV. Legatus, qui Hungariam profectus eſt ad bellum contra infideles, ubi glorioſiſſime occubuit, ejus loco Ludovicus Alemannus Cardinalis natione Gallus, Concilio præfectus fuit. Hic vero Pontifici infenſiſſimus, credidit exemplo Conſtanſienſis Concilii Pontificiam deprimere poteſtatem; ſed cum ei, ex ſententia, impii conatus non ſucceſſiſſent, ſtuduit ſaltem hac opinionis labe ſuam informare

re-

regionem, ſuoſque Gallos imbibere. Acceſſit, quod ſchiſmatici Patres Baſileæ in relata Pontificis Eugenii IV. depoſitione, gratiam a Carolo VII. Galliæ Rege inire cupiebant, atque hic ad enunciati conciliabuli acta firmanda eodem anno 1438. celebrem emanavit in Congregatione Bituricenſi Pragmaticam Sanctionem, quæ licet longo poſt tempore fuerit abrogata, ut mox a nobis dicetur, ex eo tamen pullulavere quandoque pravæ ſententiæ, veluti peſſimi ſurculi ex arbore mala: ſicut & nonnullæ fuerunt a Gallicano Clero propoſitiones editæ, atque Pariſiis Regio edicto firmatæ anno 1682. in Innocentii XI. Pontificatu, quas Pater Arsdekin in Theolog. tripart. tom. 1. refert, pro ut Venetæ editiones habent; hæc autem erat Gallicani Cleri de Pontificis auctoritate, ſententia. Verum omnes ii, qui hanc ſubſcripſerant nec unquam a Sancta Romana Sede Bullas obtinuere in Epiſcopatuum electionibus, niſi primum de ſequentibus rebus ſe retractarent.

„ Eccleſiæ, dicebant, Gallicanæ decreta, & libertates „ a majoribus tanto ſtudio propugnatæ, earumque fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur: nec deſunt, qui earum obtentu, primatum Beati Petri, ejuſque Succeſſorum Romanorum „ Pontificum, a Chriſto inſtitutum, iiſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sediſque Apoſtolicæ, in qua „ fides prædicatur, & unitas ſervatur Eccleſiæ, reverendam „ omnibus gentibus Majeſtatem, imminuere non vereantur. „ Hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam poteſtatem, qua pax Eccleſiæ continetur, invidioſam, & gravem Regibus, & populis oſtentent, iiſque fraudibus ſimplices animas ab Eccleſiæ Matris, Chriſtique adeo communione diſſocient. Quæ ut incommoda propulſemus, „ Nos Archiepiſcopi, & Epiſcopi Pariſiis mandato Regio „ congregati, Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, una „ cum ceteris Eccleſiaſticis viris nobiſcum deputatis diligenti tractatu habito; hæc facienda, & declaranda eſſe „ duximus. Primum Beato Petro, ejuſque Succeſſoribus

„Chri-

„ Chriſti Vicariis; ipſique Eccleſiæ rerum ſpiritualium, &
„ ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium,
„ & temporalium, a Deo traditam poteſtatem, dicente Do-
„ mino: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & iterum:
„ *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei*
„ *Deo*. Ac proinde Apoſtoli illud: *Omnis anima pote-*
„ *ſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas*
„ *niſi a Deo: quæ autem a Deo ſunt, ordinata ſunt: ita-*
„ *que qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Reges
„ ergo, & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ po-
„ teſtati Dei ordinatione ſubjici, neque auctoritate Clavium
„ Eccleſiæ directe, vel indirecte deponi, aut illorum ſubdi-
„ tos eximi a fide, atque obedientia, ac præſtato fidelitatis
„ Sacramento ſolvi poſſe. Eamque ſententiam publicæ tran-
„ quillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ, quam Impe-
„ rio utilem, ut Verbo Dei, Patrum traditioni, & Sancto-
„ rum exemplis conſonam, omnino retinendam.

„ Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi, ac Petri Succeſſori-
„ bus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſta-
„ tem, ut ſimul valeant, atque immota conſiſtant Sanctæ
„ œcumenicæ Synodi Conſtanſienſis, a Sede Apoſtolica com-
„ probata, ipſoque Romanorum Pontificum, totius Eccle-
„ ſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua
„ religione cuſtodita, Decreta de auctoritate Conciliorum
„ Generalium, quæ ſeſſione quarta, & quinta continentur:
„ nec probantur a Gallicana Eccleſia, qui eorum decreto-
„ rum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minus approbata,
„ robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Conci-
„ lii dicta detorqueant &c.

„ Hinc Apoſtolicæ Poteſtatis uſum moderandum per Ca-
„ nones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia
„ conſecratos: valere etiam regulas, mores, & inſtituta a
„ regno, & Eccleſia Gallicana recepta, Patrumque termi-
„ nos manere inconcuſſos: atque id pertinere ad amplitu-
„ dinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta, & conſuetudines
„ tantæ Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmatæ pro-

„ priam

„ priam ſtabilitatem obtineant.
„ In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Ponti-
„ ficis eſſe partes; ejuſque decreta ad omnes, & ſingulas
„ Eccleſias pertinere: nec tamen irreformabile eſſe judi-
„ cium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.
„ Quæ accepta a Patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas,
„ atque Epiſcopos Spiritu Sancto Auctore præſidentes, mit-
„ tenda decrevimus: ut id ipſum dicamus omnes, ſimul-
„ que in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.

Inſuper hæc omnia fuerunt ſic Regio firmata Edicto.

Prohibetur cunctis ſubditis, & exteris, qui intra regnum, ſecularibus, ac regularibus cujuſcunque ordinis, congregationis, vel ſocietatis docere in ſuis domibus, Collegiis, & Seminariis, aut ſcribere aliquid contrarium doctrinæ contentæ in declaratione præcedenti; ordinatur, ut qui deinceps erunt electi ad docendam Theologiam in quovis Collegio ſingularum Univerſitatum, ſive ſeculares illi fuerint ſive regulares, dictæ declarationi ſubſcribant Greſfariis facultatum Theologiæ antequam munus hoc in Collegiis, aut domibus regularium, & ſecularium obire poſſint. Præterea ut ſubmittant ſe ad eam profitendam doctrinam, quæ expoſita ibidem eſt, atque Theologiæ facultatum Syndicis Ordinariis locorum, & noſtris Procuratoribus Generalibus dictarum ſubmiſſionum exemplaria per Greffarios earundem facultatum, ſignata nominibus tradent.

Ut in Collegiis omnibus, ac domibus dictarum Univerſitatum, in quibus Profeſſores plures fuerint, ſive ſeculares ii ſint, ſive regulares uni eorum, annis ſingulis, incumbat doctrinam dicta declaratione contentam tradere; in Collegiis autem in quibus unus tantum Profeſſor fuerit, tenebitur is uno, eam ex tribus conſequentibus annis, profiteri.

Syndicis Theologiæ facultatum injungitur, ut annis ſingulis ante lectionum initium Urbium, in quibus eæ prælegunt; Archiepiſcopis, aut Epiſcopis, uti & Procuratoribus noſtris Generalibus, eorum Profeſſorum tradant nomina, quibus doctrinæ illius tradendæ cura fuerit demanda-

ta. Profeſſoribus vero ipſis, ut iiſdem Prælatis, dictiſque Procuratoribus Generalibus oſtendant ſcripta ſua, cum ſcilicet petitum hoc fuerit, quæ ſcholaſticis ſuis ſunt tradituri.

Nolumus, ut quis deinceps Bachalaureus, ſive ſecularis, ſive regularis, tam Theologiæ, quam juris Canonici creetur Licentiatus, aut in Doctorem admittatur, niſi ante in una ſuarum theſium, quam iis, quibus in Univerſitatibus gradus illos conferendi jus eſt, oſtendet; dictam doctrinam propugnarit.

Attamen huc uſque enunciatæ Gallicani Cleri propoſitiones Regaliæ omnino faventes, atque idcirco Regio firmatæ edicto, quantum ponderis in ſe habeant quiſque videt, ſi eas comparabit cum ſequenti Pontificis Bonifacii VIII. Conſtitutione notatu quidem, ac memoria digna: atque eccam.

Unam Sanctam Eccleſiam Catholicam, & ipſam Apoſtolicam, urgente fide, credere cogimur, & tenere. Noſque hanc firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, extra quam nec ſalus eſt, nec remiſſio peccatorum, Sponſo in Canticis proclamante: Una eſt Columba mea, perfecta mea: Una eſt Matri ſuæ, electa genitrici ſuæ: quæ unum corpus Myſticum repreſentat, cujus caput Chriſtus; Chriſti vero Deus. In qua unus Dominus, una fides, unum Baptiſma. Una nempe fuit diluvii tempore Arca Noë, unam Eccleſiam præfigurans, quæ in uno cubito conſummata, unum (Noë videlicet) Gubernatorem habuit, & Rectorem, extra quam omnia ſubſiſtentia ſuper terram, legimus fuiſſe deleta: hanc autem veneramur, & unicam; dicente Domino in Propheta: *Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam*: pro anima enim, ideſt pro ſe ipſo capite ſimul oravit, & corpore: quod corpus unicam ſcilicet Eccleſiam nominavit, propter Sponſi, fidei, Sacramentorum, & Caritatis Eccleſiæ unitatem, hæc eſt tunica illa Domini inconſutilis, quæ ſciſſa non fuit; ſed forte provenit. Igitur Eccleſiæ unius, & unicæ; unum corpus, unum caput,

non

non duo capita, quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, Petrique Succeſſor: dicente Domino ipſi Petro: *Paſce oves meas*: meas, inquit, & generaliter, non ſingulariter has, vel illas: per quod commiſiſſe ſibi intelligitur univerſas: ſive ergo Græci, ſive alii ſe dicant Petro, ejuſque Succeſſoribus non eſſe commiſſos; fateamur neceſſe eſt de ovibus Chriſti non eſſe: dicente Domino in Joanne; unum Ovile, & unicum eſſe Paſtorem. In hac ejuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet, & temporalem Evangelicis dictis inſtruimur, nam dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo hic: in Eccleſia ſcilicet, quum Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus nimis eſse, ſed ſatis. Certe qui in Poteſtate Petri temporalem gladium eſse negat, male attendit Verbum Domini proferentis. Converte gladium tuum in vaginam; uterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum, & militum, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium eſse ſub gladio, & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati. Nam quum dicat Apoſtolus: Non eſt poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt: non autem ordinata eſsent, niſi gladius eſset ſub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in ſuprema. Nam ſecundum Beatum Dionyſium, lex Divinitatis eſt infima, per media, in ſuprema reduci. Non ergo ſecundum ordinem univerſi omnia æque, ac immediate, ſed infima per media, & inferiora per ſuperiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem & dignitate, & nobilitate terrenam quamlibet præcellere poteſtatem, oportet, tanto clarius nos quanto ſpiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione, & benedictione, & ſanctificatione, ex ipſius poteſtatis acceptione, ex ipſarum rerum gubernatione claris oculis intuemur. Nam veritate teſtante ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem inſtituere habet, & judicare ſi bona non fuerint: ſic de Eccleſia, & Eccleſiaſtica poteſtate verifica-

ficatur vaticinium Hieremiæ: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & Regna, & cetera, quæ ſequuntur. Ergo ſi deviat terrena Poteſtas, judicabitur a Poteſtate ſpirituali, ſed ſi deviat ſpiritualis, minor a ſuo ſuperiori, ſi vero ſuprema a ſolo Deo, non ab homine poteſt judicari; teſtante Apoſtolo: Spiritualis homo judicat omnia, ipſe autem a nemine judicatur. Eſt autem hæc (& ſi data ſit homini, & exerceatur per hominem) non humana, ſed potius Divina, ore Divino, Petro data ſibique ſuiſque Succeſſoribus in ipſo, quem confeſſus fuit petra firmata; dicente Domino ipſi Petro: Quodcunque ligaveris, & cetera. Quicunque igitur huic poteſtati a Deo ſic ordinatæ reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, niſi duo (ſicut Manicheus) fingat eſſe principia, quod falſum, & hæreticum eſſe judicamus: quia teſtante Moyse; non a principiis ſed in principio cœlùm Deus creavit, & terram. Porro ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis, &c.

Sat quidem eſſet hæc conſtitutio, attamen non defuerunt nonnulli, qui perperam judicarunt Bonifacium male interpretaſſe Lucæ verba 22. v.38. *Ecce duo gladii hic*, de duplici poteſtate Regia ſcilicet, & Pontificia. Sed quouſque tandem abutuntur noſtra patientia? quotus enim quiſque eſt, qui neſciat præter ſenſum literalem, ſive hiſtoricum Scripturæ ineſſe quoque ſpiritualem, ſive myſticum, qui ſenſus vel ad fidem, & Eccleſiam militantem pertinet, vel ad caritatis officia, morumve inſtructionem, vel ad vitam æternam, iccirco primus ſenſus allegoricus, ſecundus tropologicus, ſive moralis, & tertius anagogicus vocatur; veruntamen non ſunt Apoſtoli verba ad literalis ſenſus excluſionem accomodanda dicentis 11. Corinth.3. *Litera enim occidit, ſpiritus autem vivificat*. Namque per allegata verba literalem Apoſtolus non damnavit ſenſum, ſed tantum Judæos perſtringere putavit, qui nudæ adhærentes literæ nihil de Chriſto ex ipſa Sacra Scriptura colligere potuerant, atque hinc volebat myſticum quoque ſenſum ex eadem eſſe

per-

percipiendum. Quapropter non quadruplicem, ut aſſerimus, & ex ipſa Scriptura, divinaque colligitur traditione; ſed unicum cum impio Kemnitio ſenſum admittant, neceſſe eſt, qui inquiunt Bonifacium male uſum fuiſſe relatis ſcripturæ verbis. Nam quid aliud eſt, ſenſus myſticus, quam verborum Scripturæ a literali diverſus, quem ſenſum, præter literalem, etiam dari de fide ſemper Eccleſia tenuit Catholica, non autem ut Abulenſis inquit in quæſt.73.cap.6. *Senſum myſticum nihil aliud eſſe, quam ſomnia Concionatorum*. Sed præterea a nonnullis datur etiam ſenſus accomodatitius, qui licet non ſit proprie intentus a Spiritu Sancto Sacrarum Scripturarum Auctore, ut ad Divinam ſpectare poſſit Scripturam, uſurpatur tamen rectiſſime a Theologis, non minus quam a Concionatoribus, nec alius eſt quam verborum Sacræ Scripturæ accomodatio ad res alias nulla falſitate, repugnantia nulla. Quæ cum ita ſint videamus an hæc cadant in Bonifacii interpretationem. Certum quidem, exploratumque eſt, quod gladius ſit poteſtatis ſignum, ſicut olim circumciſio ſignaculum erat pacti inter Deum, & Abraham; hæc autem poteſt uſurpari pro ipſo pacto, ut ex Gineſi 17., ita & gladius poteſt ſumi pro ipſa poteſtate, immo hic non ſolum pro gladio accipitur corporali, verum etiam pro ſpirituali, ut Epheſ.6.v.17. Ad rem igitur Bonifacius, poteſtatem temporalem, & ſpiritualem per duos expreſſit gladios, quoniam, & eſt indubitatum, per duas claves a Chriſto Domino duplicem deſignatam fuiſſe poteſtatem claudendi, atque aperiendi, ſcilicet ligandi, & ſolvendi. Præterea illa duo luminaria magna, de quibus loquitur in Geneſ.1. v.16. rectiſſime, ſecundum myſticum ſunt applicata ſenſum, ad duos majores Orbis Chriſtiani Principes, ad Pontificem nempe, & Imperatorem, namque ille ſpiritualibus præeſt rebus, quæ ſunt inſtar diei, ſicut & inſtar ſunt noctis temporalia, quæ is regit. Quapropter exactiſſima fuiſſe videtur relata Bonifacii applicatio, namque nec repugnantiis, nec ullis eſt falſitatibus involuta. Ceterum, fuit magni nominis quidam ex celebri ordine, Theologus inter Sorbonæ Doctores

coo-

cooptatus, qui, forſan hac de re, eſt auſus dicere hujuſce applicationem Scripturæ: *Spiritualis homo judicat omnia, ipſe autem a nemine judicatur*: temere fuiſſe a Bonifacio factam ad Romani Pontificis primatum, *quapropter eſſe verba non Bonifacii definientis, ſed Bonifacii male ratiocinantis*. At ſolis iniquis venditare, is potuit ſuam ſententiam; vel ſcriptis ſuis regaliſtarum gratiam inire cupiit. Novimus enim hunc magni nominis Theologum, nimium obſequentem ſe Gallicano Regi oſtendiſſe. Obſtructum eſt, tamen os loquentium iniqua Leonis X. P. decreto in publica Generalis Concilii Lateranenſis ſeſſione ſollemniter approbato anno 1516., quod incipit *Paſtor æternus gregem ſuum &c.* ad quod decretum lectorem remittimus.

Ex laudato Leonis Papæ X. decreto cognoſcet profecto lector æquus, quantum ſupra Generalia Concilia fuerit ſemper Summi Pontificis Romani auctoritas habita; ad cujus poteſtatem abſolute pertinet eadem indicendi, transferendi, & approbandi non minus, quam & diſſolvendi, ut in enunciato legitur decreto. Quod ſi res ita non ſe haberet, nec fuiſſet utique a quinta Lateranenſi Synodo approbatum, adverſus illas propoſitiones Pragmaticæ Sanctionis a Bituricenſi Congregatione factæ anno 1438. ut ſupra retulimus, quam rectiſſime Pontifex ſæpius corruptelam vocat, quoniam eædem propoſitiones a Baſileenſi conciliabulo fuerunt depromtæ, ut ipſiusmet Leonis decretum refert. Namque cum Pontifex Eugenius IV. Baſileenſe Concilium diſſolvere vellet, renuentes habuit nonnullos ejuſdem Concilii Patres, qui in tertia ſeſſione ſtatuerunt: *diſſolutionem Concilii nullatenus fieri poſſe*, & dum pro hac opinione, veluti pro aris, & focis ipſi pugnarent, a Gallicano Clero, & Carolo VII. Galliarum Rege Pragmatica Sanctio in Urbe Bituricenſi anno 1438. editur, Baſileenſibus omnino conſona decretis a ſummo reprobatis Pontifice. Sed quanquam deinde Rex Ludovicus XI. Succeſſor eam ſuis revocaverit literis anno 1469. ut Papirius Maſſonius notat lib. 4. Annal. nihilominus tamen mordicus ipſam retinuere Parlamenta, multoque

ma-

magis cum ad Galliarum ſolium evectus fuit Ludovicus XII. anno 1498. Caroli VIII. Succeſſor. Sed vero, eodem Regnante, fuit ad Petri Sedem Julius II. ſublimatus, Pragmaticamque ipſam omni conatu abolendam curavit, ac pro ejuſdem abolitione primum, enunciatis literis fuit uſus Ludovici XI., deinde vero Lateranenſe Concilio approbante, juſſit, ut citarentur omnes Pragmaticæ fautores. Sed è vivis ipſo ſublato, in ejuſque locum Leone X. ſuffecto, Legati a Ludovico Galliæ Rege venerunt, cum facultate declarandi se, libenter Piſanum abdicare Concilium(de quo etiam ſuperius mentionem fecimus) immo & iidem Regio Nomine ſpoponderunt, quod legati quoque miſſi forent ad Lateranenſe Concilium a Leone continuatum. Sed Franciſcus I. cum poſtmodum Ludovico ſucceſſiſſet, perſpectamque habuiſſet Pontificis, & Concilii deliberationem, cum Pontifice ipſo colloqui de re tanti momenti, judicavit; itaque ſe Bononiam contulit, ibique inter Eos, rerum capita tranſacta ſunt: nam poſt eorundem diſceſſum, reliqua fuerunt a Regis Cancellario cum delegatis Cardinalibus terminata. Atque hinc ortum habuit illud celebre Concordatum anno 1515., quod poſt nonnullas ambarum partium difficultates diſcuſſas, fuit in eodem inſertum Concilio, tanquam validæ scripturæ norma, juxta quam Galli in beneficiariis, Eccleſiaſticiſque rebus in poſterum se se dirigerent, ut ex hiſt. ejuſdem Pragm. habetur Lutetiæ edita anno 1652. apud Sebaſt. Cramoisy.

Sed neſcio an fuerint penitus eſtirpatæ hujuſmodi corruptelæ radices, cum, hac noſtra, vel patrum noſtrorum ætate, & vireſcere illas, & in altum ramos edere, ſenſimus, ut ſuo videbimus loco. Sed adverſus eaſdem Clementis XI. zelus, ignem applicavit, namque cum is Maximus Pontifex celebrem *Unigenitus* bullam emanaſſet anno 1713.; pro ejuſdem acceptione eodem habita fuere anno a Gallicano Clero, Comitia, in quibus Archiepiſcopus Lutetiæ cum multis Galliæ Epiſcopis illam renuit accipere, multaſque quæſivit modificationes, ne in præjudicium evaderet privilegiorum illius Regni. Quas explicationes Rex ad Pontificem mi-

miſit, ut probarentur ſi ita ei viſum fuiſſet. At Summus Pontifex dignas autumavit non ſolum reprobatione ſed igne, ut clarius in Pontificum Serie demonſtrabimus. Pontifex quoque Innocentius XI. adverſus ſuperius enunciatas propoſitiones a Gallicano Clero in comitiis Lutetiæ habitis anno 1682. factas, Regioque firmatas edicto, nullis pepercit laboribus, ut delerentur: inſuperque Alexander P. VIII. contra eaſdem emanavit Bullam anno 1691., penitus enunciatas Gallorum propoſitiones deſtruentem.

Verum etſi magnopere Alexander VIII. Summus Pontifex pro hac re totis viribus laboraſſet, brevi tempore Pontificatum obtinuit, iccirco hoc negotium perfectum eſt a Succeſſore Innocentio XII., quo Pontifice hanc Gallicani Epiſcopi ſubſcripſere formulam: *Ad pedes Sanctitatis veſtræ provoluti nos vehementer, & ſupra id, quod dici poteſt, ex corde dolemus ſuper rebus geſtis in præfatis comitiis, quæ Sanctitati veſtræ, ejuſque Deceſſoribus valde diſplicuerunt: ac proinde quod ibidem circa Eccleſiaſticam, & Pontificis auctoritatem, in præjudicium Eccleſiarum, quod a mente noſtra prorſus alienum eſſe teſtamur, deliberatum, decretumque eſt, pro non decreto, ac non deliberato habemus, & habendum eſſe declaramus.*

Ex dictis clare patet origo, & pondus opinionis illorum, qui ſubſtinent Pontificem eſſe Generalibus ſubjectum Conciliis, quæ opinio ſi vera foret (quod ad hominem confutamus) poſſet ex ea inferri Pontificem ex se eſſe ſemper errori obnoxium. Sed hanc inſaniam inferius eſſe potius elleboro, quam ratiociniis curandam, oſtendemus: præſtat hic diverſas ponderare opiniones. Et a principio quidem ſunt conſideranda Concilia, ut Bellarminus, Melchior Canus, Juvenin, ceterique obſervant Theologi, tanquam regnorum comitia, Magiſtratuum ſcilicet, vel Procerum in unum congregata, ut maturius de univerſalibus pertractent rebus, quæ tamen non ſunt ideo dicenda Regibus ipſis eſſe ſuperiora, qui abſolutam in regnis habent dominationem, non vero limitatam, ut in aliquibus novimus eſſe regio-

regionibus, & proprie illis in regnis Monarchicum dicitur eſſe dominium, ut eſt illud quoque Eccleſiæ capitis habendum, ut alibi a nobis probabitur. Quapropter dum Epiſcopi in unum congregantur locum, ad res decernendas, vel definiendas, dici non poteſt eorum comitia eſſe ſuperiora Pontifici. Et quidem quatuor ſunt genera Conciliorum diverſis inſignita nominibus. A Diœceſi Diœceſana dicuntur; a Provinciis Provincialia; a Natione Nationalia; ab univerſa Eccleſia, Univerſalia, vel Generalia.

Diœceſana Synodus eſt, quæ a Presbyteris unius Epiſcopatus celebratur, ubi tanquam ſuperior præeſt ejuſdem Diœceſis Epiſcopus.

In Provincialibus Synodis unius ſolummodo conveniunt Provinciæ Epiſcopi, ipſis autem Archiepiſcopus præſidet.

Nationalia autem Concilia ſunt ex unius Regni, Nationiſve Epiſcopis, ac Metropolitanis compoſita, Primate tamen, vel eorum Patriarcha præſidente.

Ad Generalia tandem Concilia totius Orbis Epiſcopi convocantur, quibus præſidet Romanus Pontifex, tanquam univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, & caput, vel ipſius nomine Legati. Quod ſi nullus unquam ſomniavit Epiſcopos, Metropolitas, Primates, vel Patriarchas ſubjectos eſſe Diœceſanis, Provincialibus, vel Nationalibus Synodis, quomodo univerſalis Epiſcopus poterit univerſali ſubeſſe Concilio? Nec juvat, ad maleſanam ſubſtinendam opinionem, perperam ſupponere Generalia Concilia ſimpliciter, & abſolute in Dei Eccleſia eſſe neceſſaria. Novimus enim, niſi in Eccleſiaſtica hiſtoria plumbei ſumus, integram Chriſti fidem ſervatam per tot annos fuiſſe, ſola ope vel Provincialium, vel Nationalium Conciliorum. Multæ exortæ ſunt ante Nicænum primum Generale Concilium, hæreſes, ſchiſmata multa; & quis inter Eccleſiæ tempeſtates, inter perſecutiones, & Tyrannorum immaniſſimas cædes, nomen Generalis Concilii audivit, aut tacitus ſecum exoptare potuit? Reſecatæ igitur hæreſes ſunt, avulſa ſchiſmata, ſine Generalibus Conci-

liis. Quod ut clarius fiat ſex cauſas œcumenicæ convocandæ Synodi a Bellarmino enumeratas, hic examinare oportet.

Et primum quidem Bellarminus duas cauſas conſiderat hanc inducentes neceſſitatem, novæ hæreſis ſcilicet damnandæ, vel schiſmatis extirpandi. Verum & hæc ſine Generalibus fieri poſſunt Conciliis, ut ex Eccleſiaſticis colligitur hiſtoriis. Nam etſi ſeptem hæreſes, a ſeptem Generalibus fuerint jugulatæ Conciliis, nihilominus tamen non eſt inficiandum, quod multas alias, vel particularium ope Conciliorum, vel Apoſtolica Sedes auctoritate ſua, nullo cooperatore, Concilio nullo, damnavit, proſcripſit, delevit; & pro uno schiſmate, quod per Conſtantienſem Synodum extirpatum eſt, quot alia ſine Generalibus Conciliis obtruncata ſunt? Tertia vero cauſa, quæ Concilium flagitare videtur, eſt pro communi Eccleſiæ hoſti reſiſtentia; & quis unquam, Bone Deus! major Diocletiano, vel aliis perſecutoribus, hoſtis Reipublicæ Chriſtianæ extitit, aut exiſtere potuit? atque his inquam peſtibus, ſtrenue ſine Conciliis reſtitit Eccleſia. Quod igitur aliquando ipſa Eccleſia fecit se duce, se milite, cur virtute, atque auctoritate ſua perficere ſemper non poterit? Quarta cauſa eſt dum aliqua adeſt ſuſpicio de Pontificum doctrina, & vita; ob hanc cauſam, ſi quando adfuerit, Provincialia, vel Nationalia ſolummodo ſunt celebrata Concilia. Namque Summus Romanus Pontifex citra hæreſis caſum, ut omnes fatentur Theologi, nullo humano ſubeſt judicio, ideoque nec ab ullo poteſt judicari Concilio. Nec placet hic Bellarmini ſententia; hoc ſcilicet poſſe fieri dummodo, ab ipſo Pontifice, poteſtatem obtinuerit Concilium, ejus judicandi cauſam, & decretum quoque ferendi non coactivum, ſed tantum diſcretivum. Ad hanc enim ſententiam amplectendam, diſperato conſilio adactus eſt Bellarminus, ex Marcellini Pontificis facto, quod verum, atque indubium poſuerat.

Quintam vero aſſerit cauſam, dum nequeunt Cardinales, vel nolunt Romanum eligere Pontificem, quod morali-

raliter fieri nullo modo poteſt, ut experientia duce, demonſtratur ideoque nullius ponderis eſſe hanc cauſam, putamus, non minus quam ſextam, quæ eſt de abuſuum, vitiorumve emendatione, hoc autem per ſolas Pontificum leges fieri ſemper potuit. Quapropter ex iiſdem relatis cauſis, clare infertur; Concilia Generalia nequaquam eſse abſolute neceſsaria, ſed utilia quidem, & quodammodo oportere, nempe ut ſuavius, ac publicitus aliquid determinetur. Eorum enim utilitas non minus ex Domini promiſſione infertur Math. 18. *Ubi duo, vel tres congregati in nomine meo illic ſum in medio eorum*, quæ de Conçiliis eſſe intelligenda Chalcedonenſes Patres in Epiſtola ad Leonem Pontificem ſtatuere; verum etiam ex Eccleſiæ praxi, quæ per Epiſcoporum Concilia res conſuevit explicare dubias. Atque hanc divinamur, non autem abſolutam neceſſitatem voluiſſe Bellarminum notare, namque is fuit Pontificiæ auctoritatis acerrimus defenſor, immo præ ceteris aſſeruit Pontificem non ſolum ſicut Papam, ſed nec etiam ut privatum falli poſſe; quanquam hujuſce ſecundæ partis aſſumtum plurima probatione egeret, namque ex Divina promiſſione, inerrantia non donatur, qui tanquam privatus Doctor decernit, ſed tantum cum ex Cathedra, uti Pontifex, definit. Accedit quod ſententia Pontificis, ut poſſit dici infallibilis, atque ex Cathedra pronunciata, quatuor in ea conditiones requiruntur; prima ut ſit in materia fidei, vel morum; altera ut ipſa ſit univerſalis, omnes videlicet Chriſti fideles comprehendens, Dei Eccleſiam componentes, nam his ſtantibus conditionibus, Divini Numinis afflatus Pontifici promiſſus eſt, ut nec alios fallat, nec fallatur; at vel una deficiente conditione, neque ex Cathedra loqueretur, nec falli & fallere neſcius eſſet. Si vero prævia oratio, vel Cardinalium conſultatio, Theologorumque examen (quæ ſunt alteræ duæ conditiones) deſiderarentur, Pontificis inerrantia nullum detrimentum caperet. Requiruntur enim non neceſſitate, ſed ob facti diſcuſſionem, ut omnibus noteſcat rem fuiſſe plane diſcuſſam a Pontifice, & ideo in percelebri illa ſuperius enun-

ciata Bulla *Unigenitus*, qua anno 1713. pravas damnavit propoſitiones Summus Pontifex Clemens XI. Vir maxima atque æterna dignus laude, hæc quoque inſeruit verba: *Auditis itaque tum voce, tum ſcripto nobis exhibitis S.R.E. Cardinalium, & Theologorum ſuffragiis, Divinique in primis Luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio, &c.* At vero nonnulli perperam putavere rem hanc omnibus partibus non fuiſſe diſcuſſam, atque immerito de illa ſententiam latam: unde ut maturius examinaretur a Pontifice ad futurum Concilium appellarunt, tanquam ſi aſphalia eſſet non Pontificis, ſed examinis; non Cathedræ, ſed Concilii. Sed hujuſmodi appellationes ſunt effugia Novatorum vitare cupientium Pontificis ictus, & fulmina ex Cathedra falli, & fallere neſcia, intorta; cum ex huc uſque diſputatis clarum ſit auctoritatem Summi Pontificis, Generalia Concilia vincere, ac ſuperare. Nullus itaque ſanæ mentis crediderit poſſe legitime a Pontifice ad Concilia appellari, quæ vim omnem, & auctoritatem ex illius approbatione ſuſcipiunt.

Probatum a nobis uſque adeo eſt, nullam inducere neceſſitatem abſolutam Conciliorum, a Bellarmino relatas cauſas, ac propterea nec inferri ex iis poſſe Concilia eſſe ſupra Pontificem; diſcutiendæ nunc ſunt illationes ex Patribus deſumtæ, ut nihil hac in parte relinquatur, quod dubitandi aditum aperiat.

Et quidem nonnulli conantur Conciliorum Generalium neceſſitatem ſtatuere ex Divi Auguſtini verbis lib.1.de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.7. & cap.18. & lib.2. cap.4. ibi: *Quæſtio illa celebris, & antiqua, num nempe eſſent rebaptizandi ii, qui ab hæreticis fuerant baptizati? nunquam finiri potuit, nec per plures Conciliorum particularium definitiones, nec per Apoſtolicæ Sedis ſententiam, uſque dum non acceſſit ſententia, & definitio Plenarii Concilii.* Sed meridiana luce clarius eſt hic loci, Auguſtinum non loqui de abſoluta Conciliorum neceſſitate, quod certis momentis probatur. Hoc enim Plenarium Concilium (de quo

Au-

Auguſtinus verba facit) non fuit Nicænum primum, quod multo poſt tempore relatæ controverſiæ fuiſſe celebratum novimus, ſed Arelatenſe I. contra Donatiſtas habitum anno 314. quod cum fuiſſet a bis centum Patribus compoſitum, Plenarium dictum eſt ex ſententia Sirmundi in præfat. ad tom. 1. Conciliorum Galliæ, Joannis Launoi in Opuſculis contra Joannem Nicolaï, & Davidem; Petri de Marca, Jacobi Sambovi, Philippi Labbè, & Gaſparis Juvenin in Dogmat. Hiſtoria de Sacram. diſſert. 2. de Baptiſm. quæſt. 6. §. 5. concl. 3. quoniam de Generalibus Conciliis, eorumque conditionibus tunc nec minima habebatur cognitio. At præterea omnes Epiſcopi, qui cum Cypriano Carthaginienſi Epiſcopo in ſententia de rebaptizandis hæreticis convenerunt ante hoc univerſale Concilium, ſicut refert Divus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, contrarium protulere decretum; ideoque Africani Epiſcopi, Divi Stephani Pontificis ſententiæ, acquieverunt. Fieri igitur potuit, ut eadem determinatio poſteriore Concilio celebrior fieret, niſi dicere velimus eandem controverſiam denuo ſurrexiſſe, unde Arelatenſes Patres autumarunt eandem determinationem his in Conciliis renovare, cum ante eorundem celebrationem, omnes ad unum Africani Epiſcopi, occubuiſſent. Quapropter hic fortaſſe ſenſus Auguſtini fuit, quem ſimiliter in Epiſtola 48. ad Vincentium dubitaſſe colligitur, quin Cyprianus ſuam retractaſset ſententiam, ac propterea ante Arelatenſe Concilium, recte infertur, litem finitam fuiſse. Utcunque tamen fuit, tantæ controverſiæ cum Divo Stephano Pontifice, Cyprianus effuſo ſanguine ſub Valeriano maculam abluit, anno 258., vel ut perperam Baronius notat 261. caſtigatus hac in re a Tillemontio. Atque hinc apparet multum ante primum Generale Concilium, eum deceſſiſse, ideoque prius quam hoc celebraretur, fuit ipſamet controverſia terminata. Sed concedamus adverſariis controverſiam Cypriani cum S. Stephano Pontifice non fuiſſe ante Arelatenſem Synodum reſecatam. Quid hinc ab iis infertur? id evenisse defectu auctoritatis Sanctæ Sedis?

Apa-

Apage tantum ſcelus. Sed dicendum eſt Sanctos voluiſſe Pontifices magis opportunum expectare tempus pro abſoluta illius quæſtionis determinatione, & ideo fuit ad Concilium remiſsa Arelatenſe; quocunque itaque ſenſu intelligatur Auguſtinus, nunquam ex eo neceſſitas Conciliorum eruetur, vel vi extorquebitur.

Stat igitur, quod Concilia Generalia non ſunt abſolute neceſsaria, nec ob Patrum doctrinam, nec ob conſuetudinem Eccleſiæ, nec ob cauſas a Bellarmino relatas; ſtat ſimul non eſse Concilia ſupra Pontificem, ſicut Diœceſana, Provincialia, & Nationalia, non ſunt ſupra Epiſcopos, Metropolitas, Primates, vel Patriarchas; itidemque eadem in Eccleſia haberi, ſicut in Regnis Magiſtratuum, Procerumque Comitia, quæ tantum ex abſoluta Eccleſiæ capitis determinatione dependent; ut ea ſolummodo probentur, quibus nihil deficit ex iis, quæ ad verum requiruntur Generale Concilium; e contra vero reprobentur, ac veluti illegitima damnentur illa, quæ conditionibus ad verum Concilium flagitatis, deſtituuntur. Quapropter ſi ex ſe auctoritatem, ac vim non habent, ſed ex alio, qui abſolute ea indicere, transferre, & non minus diſſolvere, quam approbare poteſt, fatendum erit Romanum Pontificem, ex quo confirmata decreta Concilii ſunt, majore auctoritate pollere; atque idcirco Illum eſſe Conciliis Generalibus ſuperiorem.

His ſtatutis, nullo animo maledicendi, ſed ſola voluntate diſputandi cum Gallis, primis ſane Reipublicæ literariæ ornamentis: operæ pretium ducimus rejicere quoque opinionem Joannis Gerſon ſuſtinentis ſupra Pontificem eſſe Generalia Concilia habenda, atque etiam vanas demonſtrare rationes Nicolai Cuſani, Cardinalis Cameracenſis, Panormitani, & Abulenſis eandem cum Academia Pariſienſi, & Cracovienſi opinionem ſuſtinentium.

Putat quidem Solier, adhibita diſtinctione, hanc totam componere controverſiam, ſcilicet quod Pontifex in iis, quæ poſitivi ſunt juris, quia caput eſt Eccleſiæ ſit ſupra Concilium,

lium; quoniam ipſi fuit Eccleſia tanquam capiti tradita, ex quo in totum corpus, & motus, & ſpiritus dimanant cap. *ita Dominus* diſt. 19. & in his tollere, ac mutare poteſt Concilii ſtatuta, ut in cap. *ſtatutum*, de reſcriptionibus in VI. Verum in iis, quæ non dependent a plena Pontificis poteſtate, ut in concernentibus ad fidem, Concilium eſſe, inquit, ſupra Papam, ac propterea non poſſe contra diſpoſitum per Concilia decernere. Ad hæc, Pontificem ipſum reum hæreſis agere poſſe, in eumque ſententiam ferre. Sed in ipſamet diſtinctione plurimum fallitur: namque Divus Thomas in quæſt. de Potentia Dei, quæſt. 10. art. 4. ſic docuit: *Sicut poſterior Synodus habet poteſtatem interpretandi Symbolum a priori condito, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem: ita & Romanus Pontifex, hoc ſua auctoritate poteſt, cujus ſola auctoritate Synodus congregari poteſt, & a quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum a Synodo appellatur: quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Concilii, ſic dicentis: non eſt neceſſarium, quod ad hujuſmodi expoſitionem faciendam univerſale Concilium congregatur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia, ſicut in* VI. *Synodo legitur, quod Conſtantinus Auguſtus dixit, quod propter imminentia bella univerſaliter Epiſcopos convocare non potuit; ſed tamen illi, qui convenerunt, quædam dubia in fide orta, ſequentes ſententiam Agathonis Papæ, determinaverunt, ſcilicet, quod in Chriſto ſint duæ voluntates, & duæ actiones. Et ſimiliter Patres in Chalcedonenſi Synodo congregati, ſequuti ſunt ſententiam Leonis Papæ, qui determinavit Chriſtum eſſe in duabus naturis poſt incarnationem.* Hæc aperta Divi Aquinatis doctrina, labefactare omnino poſſet relati Auctoris opinionem: niſi Auctor Gallus contradictione ſua, ſeipſum oppugnaret. Putat enim veram Sinveſſani Concilii celebrationem, in quo Sanctum aſſerit Marcellinum Pontificem fuiſſe accuſatum, & convictum de infidelitate; ſed nec damnatum a Concilio, tantam rem non audentem. Immo omnes ait exclamaſſe Concilii Patres, *quod prima ſedes a nemine judicatur. Tu Reus, tu Judex*,

ex ore tuo judicaberis, & ex ore tuo condemnaberis : Nemo unquam judicavit Pontificem, ita Spondanus refert in Epitome ad annum 302. num. 16. qua fronte aſſerit igitur Generalis Concilii damnationi Pontificem ſubeſſe ? Si penes Sinveſſanum Concilium, ex Solier ſententia, poteſtas erat Marcellinum condemnandi Pontificem. Cur non damnavit ? & cur non uſus eſt ſua poteſtate ? At rationem, ipſemet Auctor, Concilium aſſignaſſe, refert, dum inquit. *Nemo unquam judicavit Pontificem*. En contradictionem. Concilium de Pontifice lapſo judicare poterat, & rationem dat, neminem poſſe judicare Pontificem. Fallitur igitur, ſciens, prudensque fallitur Gallus; atque ejus diſtinctio, ſuperis adverſantibus, eſt in lucem edita, ut ex dictis patuit, & clarius ex dicendis apparebit.

Et a principio quidem nequeo ſatis mirari quampluri-mos fatentes, hunc Marcellini errorem, verum fuiſſe, cum indubitatiſſimum ſit ex frequentibus illius temporis perſecutionibus, nequaquam trecentos tunc potuiſſe Patres in unum convocari locum. Optime igitur Natalis de Alexandro peculiari ſua diſſertatione, in alia omnia diſcedit, & Pater Pagi non minus quam Papebrochius ingenioſiſſimus rerum Eccleſiaſticarum criticus, qui multis, illorum rejicit opinionem non ſolum Marcellini errorem aſſerentium, quam Sinveſſani Concilii celebrationem veram fuiſſe credentium. At quamvis in epiſtola Nicolai I. Summi Pontificis, quam ad Michaëlem Grecorum Imperatorem, nona ſcilicet ætate, dedit, hoc quoque factum tranſcriptum legatur, non illinc firmum verumque monſtrabitur; nam illa narratio tantum auctoritatis habet, quantum ceteræ Auctorum opiniones; cum Nicolaus vel ex aliorum relatione, inter alias epiſtolæ rationes poſuit, vel ſaltem veram in ſcribendo credidit, & in re tantum facti, non autem fidei, erravit. Quapropter hujuſmodi error minimo, vel nulli eſt Ipſi præjudicio. Sed aſſeramus, in gratiam nonnullorum, Marcellini Pontificis reatum, quod falſiſſimum eſt, fuiſſe verum; labefactabit ne illud, ſupremam Pontificis auctoritatem, & Concilio summam

mam rerum poteſtatem concedet? minime gentium. Nihil enim conficietur ſi Marcellinum ponamus veniam Patribus Sinveſſanis petiiſſe; nec probabitur, Patres, quibus ſupplex Marcellinus adfuit, superiores Pontifici fuiſse. Alioquin autem aliquis inferret, Divum Cœleſtinum V., quod Pontificatu quinto poſt menſe se abdicaverit, coram Cardinalibus Neapoli congregatis, inferiorem Cardinalibus fuiſse. Ineptiſſimus ſane hominum, neque hanc argutationem faceret: Nec nos facere, credendum ab adverſariis eſt, qui ſcimus, quod ipſemet Pontifex Cœleſtinus ſua conſtitutione impertitus eſt Cardinalibus poteſtatem, abdicationis recipiendæ: ita ſimiliter cum Marcellinus Pontifex humillime ad ſuppoſititium Sinveſsanum Concilium venerit, ut quamplurimi referunt, & condemnationem petiit, se, voluntate ſua, Patribus ſubmiſit, latamque a Concilio ſententiam recepit. Immo juxta ſuperius relatam Bellarmini opinionem, qui hoc quoque factum verum putat, dum Pontifex ſe Concilio ſubmittit, diſcretivam tantummodo Concilium proferre in eum poteſt sententiam, non vero coactivam. Quapropter ex hoc deducimus, quod etiamſi Sinveſsani Patres non exclamaſsent, ut aſserunt: prima Sedes a nemine judicatur, tu te ipſum judica: & diſcretivam, in eum sententiam tuliſsent, nec etiam hinc inferenda foret Concilii in Pontificem, poteſtas. Ceterum verius eſt, quod Papa, uti Summus Pontifex nec unquam errare poſſit, ſicut nec etiam Generale Concilium, uti œcumenicum, quia in Eccleſia Dei errantia doctrinæ nec in Capite, nec in corpore datur. Si vero Papa tanquam particularis homo in fidei doctrina erraverit, non amplius eſt Pontifex, protinuſque è Papatu excidit, & ideo, ſuffragio Theologorum omnium, hoc tantum in caſu, a Concilio judicari poteſt. Ut Pontifex vero, tantum abeſt quin errori obnoxius eſſe poſſit, quantum ab errore abſunt verba Domini, firmitatem in fide Pontificibus, ſpondentis, de quibus dicitur: *Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Poteſt autem etiam Generale Concilium, licet ſit in Spiritu Sancto congregatum, degenerare in conciliabulum,

ſimulque & in fidei doctrina errare, & tunc a summo reprobatur Pontifice, ut ſub Leone Magno P. factum eſt Epheſinæ Synodo. Itaque hoc modo ſemper perſeverat in Dei Eccleſia, auctoritas cunctos profligandi errores. Quod vero attinet ad Auctoris Gallici diſtinctionem, poſſe ſcil. Papam de iis tantum diſponere, quæ ſunt de jure poſitivo, non autem de concernentibus ad fidem, in quibus nequit Concilii ſtatuta mutare: idem eſt ac Papæ errantiam ponere, cum ex Cathedra quoque judicat, ut inferius oſtendemus. Sed adverſus hunc ſibi canentem Gallum, ſententiam habemus plurium Theologorum ſuſtinentium, Papam poſſe decernere non ſolum pertinentia ad mores, ſed etiam quæ ſunt fidei, cap. hæc eſt fides 24. q. 1. ſicut a Melchiore Cano defenditur in locis Theologicis lib. 5. cap. 5.: & a Siſto IV. fuit proſcripta Petri de Osma doctrina ſuſtinentis. *Romanum Pontificem ſuper iis, quæ univerſalis Eccleſia ſtatuit diſpenſare non poſſe*. Sed ut clarius hac in re procedamus, duo in militanti Eccleſia conſideranda ſunt, caput ſcilicet, & corpus, illud autem vel eſt principale, ut Chriſtus, vel Vicariale, ut Summus Pontifex. Corpus vero, eſt omnium congregatio fidelium in Eccleſia Romana Catholicaque exiſtentium, quod a Conciliis Generalibus legitime congregatis repreſentatur. At vero ut Concilia Generalia rite, recteque coacta dici poſſint, non ſolum requiritur, ut a Romano Pontifice indicantur, verum etiam ut iis Ipſe, vel per se, vel per Legatos ſuos, præſideat. Itidemque in omnibus omnino neceſſaria eſt approbatio Summi Pontificis. Ceterum ea, quæ humani ſunt, vel poſitivi juris, poteſt aliis committere; non autem ea, quæ ad jus Divinum, vel ad fidei doctrinam ſpectant. Quis igitur hic negabit ſupra œcumenicum, ſive Generale Concilium, ſummum eſſe Pontificem habendum? cum a Pontifice indicantur, eorumque translatio, & diſſolutio ex ejus ſupremo, ut exemplis oſtendimus, pendet arbitrio, nec in iiſdem aliquid poteſtatis ſeculares Principes ſibi vindicent? Quin immo etiamſi ex apoſtolica Julii II. Pontificis conceſſione certis de cauſis Cardinales poſſint Se-

de

de vacante Generale Concilium convocare, in hoc caſu Cardinales ſunt Concilii congregatores tanquam Delegati, Sedis Apoſtolicæ, antequam vacaſſet; adeo verum eſt penes ſolos Pontifices hanc poteſtatem eſſe, a quibus omnes judicari poſſunt homines, ipſi autem, ut Apoſtolus inquit, & Clemens VII. P. definivit a nemine, ſed a ſolo Deo judicantur.

Hæc veritas quidem illuxit nonnullis illius Concilii Patribus Carolo Magno adſtante, convocati, qui dum accuſationes in Leonem III. Pontificem examinarent, ſurrexere, ac præſenti animo, firmaque voce dixerunt: Summum Pontificem nulli humano judicio ſubeſſe, qua ſententia Concilium dimiſerunt, & Galliarum Regi perſuaſerunt, penas a calumniatoribus exigendas: ut dimiſſo Concilio factum eſt, licet illis, Pontifice interceſsore; capitis pœna, cum exilio a Rege fuerit commutata. Sed ne hic ſuſpicandi locus remaneat an Principes ſeculares in Eccleſiaſticis negotiis aliquid juris habeant (nam hæretici, ceterique Catholicæ Eccleſiæ hoſtes effutiunt, Reges in Conciliis auctoritatem habere) advertat lector, quod licet ſecularium Principum exigatur conſenſus, dum Concilia in eorum ditionibus congregantur; congregare autem nequaquam poſſunt proprio arbitrio, quoniam penes ſolos Romanos Pontifices hæc convocandi poteſtas ſemper ſtetit. Sic enim inter decreta Pelagii P. ſecundo Conciliorum tomo occurrit: *Cum Generalem Synodum convocandi auctoritas Apoſtolicæ Sedi B. Petri, ſingulari privilegio ſit tradita, & nulla unquam Synodus rata legitur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta*; ideoque ad ſollemnitatem tantummodo ſeculares intervenere Principes, vel ſaltem ab ipſis fuerunt Oratores ad Concilia miſſi, ſed ne minimum quidem rerum judicium ferre præſumſerunt. Quinimo Conſtantinus Magnus igni damnavit accuſationum libellos, qui ſibi ab Epiſcopis porrigebantur, eorum ignaviam his verbis arguens: *Vos Dii eſtis, & a vero Deo conſtituti, ite & inter vos cauſas veſtras diſponite, quia dignum non eſt, ut nos judicemus Deos.* Ho-

mines divino nomine honeſtavit, ad obſequentis animi ſui argumentum, ſicut teſtatur Divus Gregorius Papa Epiſtola 40. libri 5. ad Mauritium Imperatorem miſſa: *In Divinis eloquiis aliquando Sacerdotes, Dii, aliquando Angeli vocantur; nam & per Moyſen de eo, qui ad juramentum adducendus eſt, dicitur: applica illum ad Deos, ideſt ad Sacerdotes, & rurſum ſcriptum eſt: Diis non detrahes, ſcilicet Sacerdotibus; & Propheta ait: labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam; & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt: quid ergo mirum ſi illos veſtra pietas dignetur honorare, quibus in ſuo eloquio honorem tribuens eos, aut Angelos, aut Deos, ipſe etiam appellat Deus!* Nec in dubium revocare aliquis cogitet hoc Conſtantini Imperatoris factum, cum a Niceforo, Theodoreto, Gelaſio Ciziceno, Baronio, Zonara, & a Tillemontio referatur, atque de eo mentionem faciant Nicolaus, & Gregorius PP., qui de hac re ſic ſcripſit: *ante eum quippe Pagani in Republica Principes fuerunt, qui verum Deum neſcientes, Deos ligneos, & lapideos colebant, & tamen eorum Sacerdotibus, honorem maximum tribuebant, quid ergo mirum ſi Chriſtianus Imperator, veri Dei Sacerdotes dignetur honore*. Et de eodem Conſtantino, præſentia ſua Concilii Nicæni frequentiſſimum conventum honeſtante, ſic Socrates ſcripſit lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 7.: *Cum autem jam univerſi conveniſſent, præparatus erat a Rege locus amplus in Regia, inſtructus ſubſelliis, & ſoliis, quæ Epiſcoporum numero ſufficere poſſent, atque ita debito ipſis honore habito, juſſit introire, & conſulere de re propoſita. Ipſe quoque cum paucis poſtremus omnium ingreſſus eſt, & parvo in ſoliolo poſito aſſedit, præfatus veniam prius, & petita conceſſione ab Epiſcopis.*

Quapropter nulla nixi ratione blaterant hæretici, in Conciliis, Principes ſeculares auctoritatem quoque habere; namque Conſtantini Magni exemplum imitati ſunt deinde innumeri Principes Chriſtiani: licet Conſtantius ſui Patris veſtigia ſequutus non fuerit, ſed ad Arianorum partes con-

ver-

verſus, Arianæ hæreſis defenſor, Catholicam Eccleſiam ſummopere vexavit, in quem Divus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus invehitur his verbis: *Proclamo tibi Conſtanti, quod Neroni locuturus fuiſſem; quod ex me Decius, & Maximianus audirent: Contra Deum pugnas, contra Eccleſiam ſævis; Sanctos perſequeris, Prædicatores Chriſti odiſti, religionem tollis, Tyrannus non jam humanorum, ſed divinorum.* Namque Conſtantino, quam maturo, tam acerbo Chriſtianæ Reipublicæ fato, functo anno 337. tres ex eo Filii Imperium iniere, Conſtantinus ſcilicet, Conſtantius, & Conſtans, ſed unus ex his ſuperſtes fuit Conſtantius anno 350., qui pro Ariana hæreſi totis viribus pugnavit, quæ peſtis e latebris emerſit, ut Baronius aſſerit anno 315., vel ut Natalis de Alexandro anno 317., vel tandem ſicut ſcripſit Divus Hieronymus anno 321. verum nunquam antea ſuum halitum afflavit Alexandriæ, finitimiſque reliquis locis, quod Conſtantinus Chriſtianorum Principum lumen, & ornamentum prohibuerit, ſua auctoritate compreſſerit, plurimumque tribuerit decretis Concilii Nicæni; medicaminibus ſane opportunis, ne hominum animi tabo afficerentur. Sed tamen poſt ejus obitum hæreſis majores vires ſumſit, maximas vero dum Conſtantius illam eſt amplexus, ſuoque pectore veluti fovit: hinc Ariani lætiſſimi volitare viſi ſunt, ſuarumque irarum pleni bellum indixere Athanaſio Alexandrinæ Eccleſiæ Antiſtiti, Divi Alexandri ſucceſſori, quod eſſet præſidium firmiſſimum Catholicæ rei. Studuerunt itaque, ac manibus, pedibuſque, ut ajunt obnixi ſunt, ut a Pontifice Liberio Athanaſius damnaretur: ſed cum Conſtantii Legati, pro hac re Romam miſſi, in ſuam adducere ſententiam neque precibus, neque minis Pontificem potuiſſent, violentas manus auſi ſunt (quid enim eſt quod peſſimi Principis, miniſtri non audeant?) in Liberium injicere, illumque Mediolanum, ubi Imperator erat, trahere. Sed nec dejectus animo eſt Liberius, interque vim, & minas eandem ſemper animi præſentiam, & firmitudinem retinuit. Multa Conſtantio interroganti reſpondit, multa pro

se

ſe dixit, teſte Theodoreto, qui integrum Dialogum ex ejus dictis, & reſponſionibus adornavit, & extat lib.2. Eccleſ. hiſtoriæ.

Sed poſt tot pericula rerum, Liberio in exilium Traciam miſſo ab Imperatore Conſtantio, ejus Sedem Felix occupavit, qui ut aliquibus placet, fuit a Catholicis, Liberio Pontifice annuente, electus; quamvis & alii hoc hæretici feciſſe aſſerant, quoniam ipſum quoque Felicem Arianum fuiſſe credant. At vero tot de hac re ſunt controverſiæ inter Auctores, ex diverſis oppoſitiſque opinionibus, ut ſemper difficillimum viſum ſit negotium, Viris doctis, veritatem inter tot tenebras inveſtigare, vel hoc factum ſine contradictione componere. Et profecto licet exul fuiſſet duobus ipſis annis Liberius Pontifex apud Berrheam Traciæ, & illic non minus Arianorum ſubſcripſiſſet ſymbolum, quam & Athanaſium damnaſſet, nihilominus tamen Natalis de Alexandro ſuſtinet, Liberium nunquam in hæreſim cecidiſſe. Enimvero, ut Bellarminus inquit, etſi Athanaſium injuſte damnavit, hoc tamen ab eo factum eſt, quod hæreticorum calumniis in Athanaſium illatis fidem præſtiterit, non vero ob fidei articulum de verbi Divinitate, quæ ſtrenue ab Athanaſio vindicabatur. Nec nobis negotium faceſſit quod Pontifex cum Arianis communicaverit, nam hi ſe eſſe Catholicos ſimulabant, & ideo Photimum Sirmii Epiſcopum æternitatem Divinæ naturæ in Chriſto Domino negantem, & tantummodo ex Genitricis utero initium habuiſſe perperam aſſerentem anno 357. in Sirmienſi conciliabulo, ex Conſtantii Imperatoris mandato, condemnavere. Itaque licet cum his Pontifex communicaverit, hinc inferri non poteſt illum in fide erraſſe; ſed tantum ſcandali reatum contraxiſſe, vel externam hæretici ſpeciem præſeruliſſe. Quid? quod Liberius ſecundam fidei formulam conciliabuli Sirmienſis non ſubſcripſit, ſed tertiam formulam ſolum? Atque hic, ut res facilior, expeditiorque ſit, notandum eſt, Arianos tria conciliabula Sirmii convocaſſe. Etenim dum Photimum Sirmii Epiſcopum condemnarunt, quoddam fidei ſymbolum com-

compoſuerunt, & pro græco verbo ομουσιον, quo uſus fuerat Nicænum Concilium, ideſt ejuſdem ſubſtantiæ, verbum ομοιουσιον, hoc eſt ſimilis ſubſtantiæ adhibuerunt, atque hic primus eorum conventus fuit. Deinde vero ſe iterum congregarunt, & aliam, conceptis verbis, formulam edidere, in qua neutrum græcum vocabulum appoſuerunt, ut verbum Æternum abſolute creaturam eſſe oſtenderent. Sed tandem anno 359. denuo conciliabulum in eodem habuere loco, atque in formulam verbum ομοιουσιον, pro ομουσιον, inſeruerunt (qui vero Orientis Epiſcopi verbi ομουσιον, ſilentium affectarunt, a ſcriptoribus Semiariani dicti ſunt) & hæc tertia fuit formula, quam Liberius Pontifex ſubſcripſit. Quis igitur dixerit Liberium, cum hujuſce formulæ ſubſcriptione, in hæreſim lapſum? Scio Baronium Liberium hæreſis nota inurere, quod conſubſtantialitatis verbum non expreſſerit, ſed aſſeruerit verbum eſſe ſimilis ſubſtantiæ Patris. At ſi ſano, & Catholico accipiatur ſenſu το ομοιουσιον, idem ſignificat ac ομουσιον (licet Semiariani aliter intelligerent). Miror tamen Bellarminum, & Baronium, urgentes, jacentem Liberium, dum Felicem in ejus locum ſufficiunt, ut illum non ſolum fide, ſed Pontificatu quoque cecidiſſe ſtatuant. Fuerit Martyr Felix, anathematiſmis Conſtantium Imperatorem reliquoſque hæreticos turbarit, vexarit, everterit. Quid ita? Pontificatu quoque donabimus? Minime gentium exclamat Optatus Milevitanus, qui octo poſt annis, quum hæc acciderunt, floruit. Nec audiendus eſt Baronius ipſe cum ait, ab Optato, reliquiſque ſynchronis ſcriptoribus nullam mentionem factam eſſe Felicis Pontificis, quod ejus Pontificatus inter anguſtos unius anni, & trium menſium fines contineretur. At quid? an non aliquorum Pontificatus bimeſtris, aut ad plurimum trimeſtris fuit? eccur igitur de his quoque mentionem faciunt hiſtorici? Sed Theodorus aſſerit Felicem Liberio ſucceſſiſſe. At Natalis de Alexandro reſpondet ſucceſſionem poſſe quoque dici de illegitima electione. Quod vero Bellarminus ait, apertam includit contradictionem; ipſe

enim

enim docuit, ut ſuperius dictum eſt, Pontificem Romanum non ſolum ut Pontificem, ſed ne ut privatum quidem poſſe errare, quomodo igitur aſſerit Felicem Pontificem creatum ſtatim ac Liberius cecidit? idem enim eſſet hoc dicere, ac aſſeverare in hæreſim illum incidiſſe. Exploratum quippe eſt apud Theologos R. Pontificem Pontificatu privari, uno tantum hæreſis caſu. At hic caſus in Liberio non fuit, ut ex dictis patet: non fuit igitur Liberius Pontificia Sede privatus. Accedit quod nec Felix quoque potuerit Romanum Pontificatum inire, quippe qui ab Arianis Martyrii corona decoratus, poſtquam Liberius ab exilio, Imperatore annuente, Romam rediit, ut Baronius, & Bellarminus referunt. Verum hac de re legitur ſcripſiſſe Baronium, ſe opinionem primum habuiſſe, Felicem nunquam legitimum fuiſſe Pontificem: at cum ipſe lapidem offendiſſet hoc titulo: *Corpus S. Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Conſtantium*, ſententiam mutavit, & lapidem ipſum veluti miraculo oblatum lætus excepit. Clariſſime ſane hæc inſcriptio novam Baronii ſententiam probat, nam cum temporibus in quibus vitam agebat Felix I. illa non congruit. Enim vero Felix I. electus eſt anno 270., Aureliano imperante, nec ejus vitam protrahere poſſumus, niſi videntes deſipere velimus, uſque ad Conſtantium. Verum quidem eſt Natalem de Alexandro, alioſque Auctores nullam facere in Felicis vita, mentionem de Conſtantio damnato: Sed ejus damnatio luculentiſſime probatur a Baronio, & Bellarmino, & ex invento lapide, cubitalibus, quod ajunt, literis, confirmatur. Ad componendas igitur tantas lites, dicendum arbitror: Felicem, ut nonnulli ſcripſere, a Catholicis fuiſſe electum, annuente Liberio, eo quod ſuus eſſet Diaconus (non vero a tribus Arianis Epiſcopis, cum ipſe quoque Arianus primum eſſet, ut alii ſentiunt). Ex quo ſequitur duos eodem tempore non fuiſſe Pontifices; nec Liberium Pontificatu ſpoliatum, veluti hæreticum; ſed ſponte ſua abdicaſſe, ne Chriſtiana Reſpublica, eo exulante, aliquid detrimenti caperet. Felix itaque moderatus eſt Eccle-

ſiam,

ſiam, & verum ſe geſſit Pontificem ex abdicatione Liberii, uſque ad illud tempus quum martyr ad Cœlum evolavit: exemplum huic ſimile in Eccleſiaſtica hiſtoria occurrit, tempore Juſtiniani Imperatoris, Pontifice Silverio. Hoc enim in exilium miſſo a Theodora Auguſta anno 537. in ejus locum, eodem anno, conſecratus eſt Vigilius laudati Pontificis Succeſſor, ut in Pontificum Catalogo demonſtrabimus; & multis probat eruditiſſimus Antonius Pagi ad annum 540. Nulla alia profecto ratione id fieri potuit, niſi hac, quod Silverius Vigilio Pontificiam dignitatem ceſſerit. Atque hic modus eſt, niſi mea me fallit opinio, conciliandi inter ſe Auctores. Hoc enim pacto firma remanet Natalis de Alexandro ſententia ſuſtinentis Liberium non cecidiſſe, atque illa Bellarmini, & Baronii, quod Felix fuit legitimus Pontifex, quod alioquin dici quidem non potuerit ſine Liberii injuria. Debuiſſet autem Liberius in hæreſim ruere, ut ille verus Pontifex fieret: nec, ut nimis credulum traducemus Baronium fidem invento lapidi adhibentem, nam ipſe Conſtantii Imperatoris, aliorumque Arianorum, veram credidit fuiſſe damnationem a Felice factam. Quam dedimus opinionum conciliationem non ſolum confirmatur a P. Pagi in Catalogo, ubi dicitur: *Congregati Sacerdotes, & cum conſilio eorum Liberius, ordinaverunt in locum ejus Felicem Presbyterum, Epiſcopum*: Verum etiam a Leonis Papæ X. decreto ſuperius laudato, ibi: *in Alexandrina Synodo Athanaſio ibidem exiſtente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo ſcriptum fuiſſe legimus, Nicænam Synodum ſtatuiſſe non debere, abſque Romani Pontificis auctoritate, Concilia celebrari.* Sicut igitur dici non poteſt in decretum irrepſiſſe nomen Felicis, aut dolo malo appoſitum, ita nec etiam de alio ejuſdem nominis, id intelligi poteſt. Enimvero circa Athanaſii ætatem is Felix I. eſſe non potuit, qui obiit anno 275. & Athanaſius floruit Concilii Nicæni tempore, ſcilicet Liberii, & laudati Felicis II., ac prædeceſſorum Pontificum, nec illa poſſunt tribui verba Felici III., nam is Eccleſiam capeſſere cæpit anno 483. Sed cum ad Pontificiam, Liberius, Sedem re-

dierit poſt Felicis Martyrium, iterum Arianis ſe oppoſuit, ac publicam Nicænæ Synodi profeſſionem fidei, promulgavit, quam Athanaſio miſit.

Ex huc uſque dictis, cuique attendenti, patet nulla alia opus eſſe probatione, ut demonſtretur: Res fidei eſſe a Romani Pontificis ſubſcriptione firmandas. Atque hæc ſane cauſa fuit cur Conſtantii auctoritate uſi Ariani, Liberium tam vehementer vexarint. Cognoſcebant enim hæretici hanc veritatem, ſuiſque machinamentis ipſis, vel nolentes confeſſi ſunt; namque ſi Pontificia tunc non erat opus ſubſcriptione, cur tot turbæ? cur tot impii conatus? Aqua hic hæret hæreticis, & quo se vertant neſciunt: Sed tamen nec dejecti animo, ad ſolitas artes confugiunt, ad contradictiones ſcilicet in eorum ſcriptis conſuetas. Afferunt autem Sacram Scripturam non vero Pontificem, eſſe Judicem falli, & fallere neſcium, in fidei controverſiis dirimendis. Producunt rationes, confugiunt ad exempla veteris, & novi teſtamenti. Audiamus, quæſo, quibus ratiociniis utantur ad evertendam non Pontificis ſolum, ſed Eccleſiæ univerſæ inerrantiam, ſeu infallibilitatem.

Et a principio quidem, inquiunt, Aaron fuiſſe Pontificem, ac Idololatriæ Auctorem, dum populo propoſuit vitulum adorandum Exod. 32. 4. Frontem hominum! pudet eorum audaciæ, vel potius inſcitiæ! quo magiſtro didicerunt Aaron Pontificem fuiſſe, dum vitulum ex auro conflavit? Fuit ipſe a Mose Pontifex conſecratus anno secundo egreſſus ex Ægypto prima die menſis primi, quum tabernaculum fuit erectum, Exod. 40. v.55., at vitulus jam antea fuerat conflatus, ſcilicet dum Moſes cum Deo in Sinai monte agebat, a quo legum tabulis acceptis, juſſit ut tabernaculum a Beseel Uriæ filio ædificaretur Exod.31. quin imo ſolus populus,non autem Aaron fuit Auctor idololatriæ. Exod.enim 32. v.1. ſic legitur: *videns populus, quod moram faceret deſcendendi de Monte Moſes, congregatus adverſus Aaron dixit: Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant*. Faceſſant hinc igitur hæretici cum hoc exemplo. At inquiunt Urias contra

le-

legem Dei novum extruxit Altare in templo; & in eo ſacrificia obtulit 4.Reg.16. v.10. Sed Urias nequaquam tanquam Judex, & Concilii Præſes erravit in dirimendis controverſiis legalibus; inficias non imus tamen eum extra Concilium, & in facto erraſſe, Regis Achaz juſſis obſecundantem: verum neque hinc illud ſequitur, quod probare conantur. Detorquent ad rem ſuam, infelici eventu, nonnulla Iſaiæ verba de ſuo tempore loquentis: *Omnes ſpeculatores populi erant cæci*. Iſaiæ 56. v.10. Quid per ſpeculatores, quos inquit eſſe cæcos, Pontifices ne intellexit? Apage has ineptias: deſignavit hic Iſaias, Scribas, & Phariſæos Apoſtolorum tempore futuros, ut Divus Hieronymus interpretatur. Sine ictu quoque ab heterodoxis Jeremiæ verba intorquentur cap.6. 13., quod a Propheta uſque ad Sacerdotem, omnes facerent mendacium; hoc enim nullo modo intelligi poteſt de Pontificum errore, vel mendacio in legalium controverſiarum deciſionibus. Verus autem horum verborum ſenſus eſt, quod Jeremias, & alii a Deo miſſi Prophetæ populi captivitatem, Bella, cædes, vaſtitatem prædicerent: e contra vero Sacerdotes, & Pſeudoprophetæ populo blandiebantur proſpera omnia, fauſta, felicia vaticinantes futura. En Jeremiæ minantis verba: *Vir cum muliere capietur, ſenex cum pleno dierum. Et tranſibunt domus illorum ad alteros, agri, & uxores pariter, quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus a minore quippe uſque ad majorem, omnes avaritiæ ſtudent*. Et ſequitur, ut ſeptuaginta vertere interpretes, *a Sacerdote uſque ad Pſeudoprophetam omnes fecerunt mendacium, &c.*

Peſſime itaque actum eſt cum Novatoribus, peſſime argutati ſunt, ſtulto labore conſumti Scripturæ loca producendo. Et incaſſum quoque laborant, dum inquiunt eundem Jeremiam ob Domini verbum ab omnibus Prophetis, ac Sacerdotibus ad mortem publico decreto fuiſſe damnatum. Jerem. 26.11. Sed eſto, Sacerdotes, & Prophetas in hoc facto peccaſſe: dici tamen non poteſt eos in fidei controverſia erraſſe; tantum enim credidere Jeremiæ prædictionem de

Hieroſolymæ imminenti everſione eſſe falſam, quamobrem illum non modo Sacerdotes, ſed populus etiam damnavit: *audierunt*, ajunt Sacræ literæ, *Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus Jeremiam loquentem verba hæc in domo Domini . . . . . apprehenderunt eum Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus dicens: morte moriatur*. Clariſſimum hinc fit, ſententiam non fuiſſe in Concilio, vel ut ipſi dicebant in Synedrio latam, ſed a concitata multitudine, & populo ſeditioſo, ut appoſite Hieronymus ſcripſit. Confirmatur ex eo, quod ſi in Jeremiam a Pontifice cum Concilio fuiſſet lata mortis ſententia, nunquam illum Principes Juda liberaſſent.

At vero extremum impetum faciunt hæretici, ut oſtendant Pontifices cum Conciliis eſſe falſos: Chriſtum Dominum, ajunt, fuiſſe a Pontificibus, ſcribis, & ſenioribus populi in publico Concilio damnatum. Optime quidem. Non inficiamur ſane Caipham illius temporis Pontificem cum Concilio erraſſe. At quid hinc eruitur? Novimus enim legem Moſaicam floruiſſe uſque ad Chriſti mortem, & cum illo moriente abrogari debuiſſe, ut cum aliis Divus Thomas docet in 1.2.q.103.art.3. ad 2., quia tunc velum templi eſt ſciſſum in duas partes a summo uſque deorſum Math.27.51. & Chriſtus Dominus in cruce dixit: *Conſummatum eſt*. Quamobrem compoſita lege Moſaica, in ejus locum ſuffecta eſt Evangelica, quæ tunc temporis vires ſuas explicavit. Unde Pontificum veteris teſtamenti ſuprema judiciaria poteſtas imminuta eſt adveniente Domino, qui Math. 28. 18. dicit: *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*. Atque hinc fuit, quod Chriſto in terris vitam agente, Pontifex licet haberet omnem ſui ordinis poteſtatem, ſuprema tamen divini Numinis aſſiſtentia paulatim deſtitueretur, ut obſervari poteſt in Conciliis ab hebræorum Pontifice, & Sacerdotibus poſt Chriſti Domini nativitatem habitis.

Verum ne hic minimum Proteſtantibus relinquamus effutiendi locum, Chriſti Eccleſiam jam a fide defeciſſe, non minus quam Synagogam tempore ſcilicet Moſis, dum

Aaron

Aaron cum univerſo populo adoravit vitulum Exod. 32. itidemque Heliæ temporibus, dum nullus remanſit fidelis, niſi ipſe ſolus, ut 3. Reg. 19. 14. conqueritur: *Derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Similiterque Jeremiæ, & Iſaiæ ætatibus, quum omnes a Deo receſſere. Jerem. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*, & Iſaiæ 1. 3. *Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognovit.* Et demum Chriſti morte, dum tota cum omnibus ſuis civilibus Synagoga legibus expiravit. Nos primum videamus an verum ſit, quod ipſi aſſerunt de Synagoga, deinde ad firmitatem, atque Eccleſiæ Chriſti decus, ejuſque Capitis, brevibus differentiam permaximam, quæ inter utramque extat, complectemur.

Et ſane purum eſt figmentum, Synagogam Moſis tempore defeciſſe, dum vitulum adoravit, apertiſſime enim habetur in Exodo 32. 36. nec Moſem, nec Levitas, & Sacerdotes erraſſe, non univerſa igitur defecit Synagoga. Ad rem noſtram verba divinæ Scripturæ ſunt: *Videns ergo Moſes populum*, ait: *Si quis eſt Domini jungatur mihi, congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi*, & tamen, ut ex num. habetur 3. 39., hos fuiſſe novimus viginti duo millia. Verum etſi inquiunt Heliæ, Iſaiæ, & Jeremiæ temporibus Synagogam a vera etiam aberraſſe fide: nihilominus tamen diſtinctione; quam hic apponemus facili modo adverſariorum opinamenta corruent. Synagoga duo continebat Regna, unum ſcilicet Judæ, quod ex duobus conſtabat tribubus, & alterum Israëlis, quod ex decem tribubus componebatur. Ultro nos ipſi fatemur hoc poſterius, primo Rege Jeroboamo veram depoſuiſſe fidem, in idolis adorandis 3. Reg. 12. 28. immo & ex 4. Regum 17. 22. habetur, ſic uſque ad captivitatem permanſiſſe, nam legitur: *ambulaverant filii Iſraël in univerſis peccatis Jeroboam, quæ fecerat, & non receſſerunt ab eis, uſque quo Dominus auferret Iſraël a facie ſua in Aſſyrios.* Verumtamen in hoc etiam Regno nonnulli Je-

re-

remiæ quoque tempore fuerunt veri Numinis adoratores, ut colligitur ex reſponſo, quod Jeremias audivit, credens ſe ſolum eſſe relictum, 3. Regum 19. v. 18.: *Dereliqui mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata ante Baal*. Similiterque ex Tobiæ 1. 5. habetur: *cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Iſraël, hic ſolus fugiebat conſortia omnium: Sed pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël*. In Regno autem Judæ licet aliqui fuerunt Reges boni, & veri Dei adoratores, nonnulli tamen mali, at non idololatræ; non pauci demum quoque idololatræ; attamen ſemper in Salomonis templo ſacrificiorum uſus perduravit, juxta Moſis legem uſque ad Babyloniæ captivitatem, ut ex 2. Mach. 1. 19. infertur: *Cum in Perſidem adducerentur Patres noſtri, Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de Altari occulte abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus, & ſiccus*. Quapropter clare patet Synagogam tunc temporis a vera fide non defeciſſe, nam ignis ille, quo, ad ſacrificia Sacerdotes utebantur, a Deo miſſus, ut ex Levit. 9. & 10. habetur, uſque ad captivitatem ſtetit, quum tandem eſt abſconditus.

Sed eſto Synagogam Chriſto nato paulatim defeciſſe. Quid hinc conficitur? Romanam quoque defectui in fide ſubjici Eccleſiam? Minime vero: repreſentabatur enim Synagoga ab Agar Abraham Patriarchæ ancilla. Repreſentatur Eccleſia a Sara ejuſdem uxore: illam legimus repudiatam, non vero hanc. Uſurpatur hæc ſimilitudo tum ab Apoſtolo de altera loquens, tum ab Auguſtino de altera ſcribens, nam de ejus Sacramentis legitur in Epiſt. ad Galatas 4. 9. *infirma, & egena Elementa*; quapropter Synagoga non erat perfecta, & ad ſalutem ſufficiens, ut habetur ex illo hebræorum 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex*. De Eccleſiæ autem Chriſti Sacramentis, Auguſtinus eſt ſane audiendus in Pſalmo 73. *Sacramenta novi teſtamenti dant ſalutem: Sacramenta veteris teſtamenti promiſerunt Salvatorem*. Vera igitur adveniente luce, ut in Joan. legitur, debuerant ejus ortu omnes um-

umbræ, quæ in Synagogæ myſteriis continebantur paulatim expelli: atque eadem ratione Eccleſia Chriſti veram continens lucem nunquam fuit ſicut Agar repudiata, immo nec unquam erit repudianda. Sed a ſimili, argumenta deducere opus non eſt. Habemus enim pro Eccleſia, Dei Optimi, & ſapientiſſimi oracula veriſſima Math. 28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, & 16. 18. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. At quæ unquam ſimilis prædictio, Synagogæ facta fuerat? Quin imo argumenta habemus non parvi ponderis, conclamatum jam de Synagoga fuiſſe; eique extremum vale dictum. Nam cum in cruce Chriſtus Dominus inquit: *Conſummatum eſt*, tunc fuit lex Moſaica, quo ad obligationem, penitus abrogata, ut Angelicus Doctor plurimis docet in locis, ex quo recte infert ante mortem Chriſti Moſaicam ſimul, & Evangelicam viguiſſe legem, poſt mortem vero ſolam Evangelicam. At vero ſi pro Eccleſia relatæ adſunt prædictiones Divinæ, nulla ejus defectio ſuſpicari quidem poteſt; nec ex deficiente Synagoga, Eccleſiæ noſtræ inferri poteſt aberratio a fide; nititur enim ipſo angulari lapide Chriſto Jesu: quamobrem hoc ſtante in æternum, ipſa quoque ſtabit in veritate.

Venio nunc ad hæreticorum argumenta, quibus probare ſtudent Eccleſiam defeciſſe, aut deficere poſſe a fide. Quæ licet nec maximi momenti ſint, & ex huc uſque dictis corruere videantur, in medium proferre ducimus, ut æquus, veritatiſque ſtudioſus Lector utriſque partibus auditis, ſententiam proferat. Et ſane ex illo Danielis 9. v. 27.: *deficiet hoſtia, & sacrificium*; noſtræ defectionem Eccleſiæ oſtendere præſumunt. Nimirum heterodoxi ſoli ſapiunt, qui hunc locum Danielis de Eccleſia interpretantur! cum univerſi Auctores, & SS. Patres de Synagoga intelligant, atque hanc opinionem pluribus firment argumentis. Quod vero reponunt heterodoxi Eccleſiam in ſcripturis cum luna comparari, qua ſimilitudine ſignificari ajunt, quod ſicut luna creſcit, decreſcitque, & tandem deficit: eadem ratione Eccleſiæ Ca-

tholicæ lumen veritatis, potuit aliquando deficere; ficulnum eſt, & inane. Audiant ex Divo Auguſtino hujuſce ſimilitudinis rationem in illa Pſalmi verba 103. *Fecit lunam in tempora: intelligimus*, ait, *ſpiritualiter Eccleſiam creſcentem de minimo . . . . quando obſcura erat Eccleſia? quando non dum apparebat . . . . modo quam cæcus eſt, qui plena luna errat?* Sed clarius idem Auguſtinus ſuper Pſal. 10.: *luna intelligitur Eccleſia, quod ſuum lumen non habeat, ſed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in Sanctis Scripturis allegorice ſol appellatus eſt, illuſtratur*. Nec cum quamplurimis aliis nominibus a Sacra Scriptura, & Patribus paſſim Eccleſiæ attributis, proteſtantium lunæ ſimilitudinis explicatio, convenit. Placet autem hæreticis, hæc potius, quam ceteræ de Eccleſia ſimilitudines, quod hinc, aliquid vel tantillum, conficere pro ſuis opinamentis, putant.

Jam vero quam non probabile, quam inſulſum, quam inficetum illud quod ex Apoſtoli verbis 2. Theſſal. 2. v. 3. addunt: *Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati*, ſcilicet Antichriſtus: addunt inquam jam fuiſſe Antichriſtum revelatum, atque hunc eſſe Romanum Pontificem; legant, quæſo, quæ ſcripſit Divus Hieronymus in laudata Apoſtoli verba, & ſuæ eos pudeat, pigeatque inſcitiæ ne, an impietatis? *Niſi venerit*, inquit Epiſtola 151. ad Algaſiam q. 11. *diſceſſio primum, quod græce dicitur apoſtaſia, ut omnes gentes, quæ Romano Imperio ſubjacent, recedant ab eo . . . . & niſi fuerit Romanum Imperium antea deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet.* Ex quibus Hieronymi verbis cuique patet, Apoſtolum locutum fuiſſe de defectione ab Imperio Romano, ut quamplurimi alii in eundem locum explicant, quod & Tertullianus quoque ſentit lib. de reſurrectione carnis cap. 24. Sed in gratiam Proteſtantium, eſto, illum locum Apoſtoli intelligendum ſit de Eccleſiæ defectione. Quid inde? Foret ne inferendum omnes defeciſſe fideles? Actum omnino eſſet de ipſis heterodoxis! Nam quomodo Antichriſtum credunt jam veniſſe, & ſe firmos eſſe in fide? Vel igitur ultro fatendum

ab

ab ipſis eſſet ſe quoque a fide deſciviſſe, vel omnes fidem non depoſuiſſe.

Verum quidem eſt multas hæreſes in Eccleſia fuiſſe atque adhuc eſſe, multoſque homines deteriora ſequutos fuiſſe & ſequi. Sed innumeros quoque bona videre, probare, perficere aſſerendum eſt, firmoſque in fide ſletiſſe, atque ſtare; quamobrem ſi in permultis vera fides perdurat, dici nequit Chriſti Eccleſiam defeciſſe; immo & credimus nec fore, ut unquam deficiat, Chriſto pollicente: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*; cujus promiſſioni conſonant verba Pſalmi 116. v. 2. *Veritas Domini manet in æternum*. Quibus Scripturæ verbis ſe fidem præſtare, vel invitus confeſſus eſt Novatorum Signifer, nam contra Angliæ Regem ſcribens, inquit: „ Ego adverſus dicta Pa„ trum, Hominum, Angelorum, dœmonum, pono non an„ tiquum conſenſum, non multitudinem hominum, ſed „ unius Majeſtatis æternæ Verbum: hic ſto, hic sedeo, hic „ maneo, hic triumpho, hic inſulto Papiſtis, Thomiſtis, „ Henriciſtis, & omnibus portis inferi, ne dum dictis homi„ num, quantumlibet Sanctorum, aut conſuetudini falla„ ci.. Dei verbum eſt ſuper omnia: Divina Majeſtas me„ cum facit, ut nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Ter„ tulliani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent. „ Deus errare, & fallere non poteſt: Auguſtinus, & Cy„ prianus, ſicut omnes Electi, errare potuerunt, & erra„ runt: Dogmata mea ſtabunt, & Papa cadet; „ At contra Lutherum facit illud Sapientiæ verſ. 4. *In malevolam animam non intrabit ſapientia*. Deinde vero illud Jacobi 4. v. 5. dicentis: *Ubi humilitas, ibi ſapientia*. Quomodo igitur ſapientia, ut ipſe jactat, potuit Lutherum informare, cum exploratum ſit, illum eo ſuperbiæ deveniſſe, ut putarit antecellere ipſis Eccleſiæ Doctoribus, in cujus mentes Divinum intelligentiæ lumen novimus eſſe illapſum dicente Hieronymo ſuper caput 1. Epiſt. ad Galatas: *Doctores enim Eccleſiæ non tam ipſi docent, quam in ipſis Deus, qui ad eos loquitur*.

Poſſemus hic ad doctrinam noſtram confirmandam, contra Novatores, auctoritates SS.Patrum adducere, at quoniam id immenſi operis negotium foret, videntes, volenteſque ſilentio præterimus, aut ſolummodo Auguſtino, & Cypriano contenti erimus, is enim in lib.4. epiſtola 9. *Eccleſia*, inquit, *eſt Plebs Sacerdoti adunata*, *& Paſtori ſuo Grex adhærens*. Ille in lib. 1. de Symbolo cap.6. *Eccleſia Catholica contra omnes hæreſes pugnans, pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſermenta inutilia de vite præciſa: ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in caritate ſua. Portæ inferorum non vincent eam*. Vehementiſſimo abreptum odio Lutherum fuiſſe dicendum eſt, cum deſperato conſilio, aſſeruit Cyprianum, & Auguſtinum erraſſe; cognoſcebat enim eorum ſcripta, armamentarium eſſe, ex quo tela depromuntur, atque intorquentur in hæreticos univerſos. Cognoſcebat Cypriani, & Auguſtini armis ſuam impiam doctrinam oppugnari, atque ſui ipſius jugulum peti: uſus igitur eſt fraudulenta arte, ut a Sanctiſſimorum Eccleſiæ Patrum manibus, aut gladios extorqueret, aut ictus ſaltem vitaret; eadem ratione effutiit etiam omnes erraviſſe Patres. At in hoc se hæreticum demonſtrat; quoniam communis Theologorum sententia eſt, opinionem oppoſitam communi Patrum sententiæ Scripturas interpretantium aperte hæreticam eſſe habendam, ut infra clarius demonſtrabimus. Sed demum vel ſtipes cognoſcit, Lutherum ſibi contradicere. Statuit enim ſe ſolum Dei verbum credere, deinde ſupponit Pontificem errare, vel ut ipſe inquit cadere, tanquam ſi nulla pro Pontificis inerrantia extaret Domini promiſſio, in Scripturis, cum apud Math. legamus 16. v. 18. *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Omnibuſque eſt notum Chriſtum Petro dixiſſe: *Ego rogavi pro te Petre*, *ut non deficiat fides tua*. Et hanc credimus eſſe promiſſionem, omnes ſuos legitimos quoque comprehendentem Succeſſores, nam ſic in Ephæſina Synodo Philippum Presbyterum dixiſſe legitur

gitur tom.2. cap.16.: *Nulli dubium, imo ſeculis omnibus notum eſt S.Petrum Apoſtolorum Principem, & caput, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, per Succeſſores ſuos huc uſque ſemper vivere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe hujus itaque ordinarius Succeſſor Papa Cæleſtinus, nos ad hanc Synodum miſit.* Sed ſi Chriſtus Dominus, ut superius demonſtravimus ſuam non repudiavit Sponſam, ſicut olim fuit Synagoga hebræorum repudiata, nec in poſterum uſque ad Mundi conſummationem eam a se dimittet. Quomodo igitur verum, legitimumque Eccleſiæ nunquam intermorituræ caput, Antichriſtus dici ab heterodoxis poterit?

Attamen ſi noſtræ Catholicæ Eccleſiæ perduelles, nec deponere ſuam volunt opinionem, nec, argumentis expugnati, manus dare, reſpiciant Lutheri, vel Calvini ſcripta, & cognoſcent profecto in quot, quantoſque errores præcipites se se dederint, cum Chriſti Eccleſiam reformare præſumſerint. Nam Lutherus, vel invitus dixit in Poſtilla Dominica Concione secunda: *Mundus ex hac doctrina quotidie redditur deterior, jam homines ſinguli ſeptenis diabolis obſidentur, cum antea tantum unico obſeſſi fuiſſent. Diabolus jam catervatim in homines ingreditur, ut nunc in tam ſplendida Evangelii luce ſint avariores, callidiores, injuſtiores, crudeliores, proterviores, quam prius in Papatu fuerant.* Iiſdem fere verbis loquitur Andreas Muſculus lib. 1. de Prophetia Chriſti: *Utque paucis rem omnem eloquar, eo noſtra Lutheranorum res rediit, ut ſi quis videre cupiat magnam turbam nebulonum, atheorum, uſurariorum, & deceptorum, ei adeunda sit Civitas aliqua, in qua Evangelium (novum) prædicatur.* Et Calvinus quoque in cap.11. Danielis v. 34. ſic inquit: *In exiguo illorum numero, qui se ab idololatriis Papatus ſubduxerunt, major pars plena eſt perfidia, & dolis. Præclarum quidem zelum ſimulant: si tamen intus excutias, reperies plenos eſſe fraudibus.* Ex propriis igitur teſtimoniis apparet Novatores, ſe ipſos in pejus lapſos cognoviſſe. Quid mirum itaque ſi ex iiſdem plurimi atheiſmum profeſſi ſint; alii vero crediderint reformatam

Eccleſiam eſſe tantummodo veram, Romanam autem falſam, & erroribus ſcatentem. Quod ut facilius, ſi ſuperis placet, oſtendant, in ſummos debacchantur Pontifices, eoſque falſos in decretis dicunt, ut hoc modo, ſi fieri poſſit, eorum contemnant Sanctiones, & anathematum fulmina contra hæreticos intorta jure meritiſſimo. Quoniam, cumprimis, Paſtoralis muneris eſt, diſperſas colligere oves, vitioſas judicare, contumaces cogere, & lupos arcere.

Quam autem inficetum ſit illud, quod reponunt heterodoxi detorquentes, more ſolito, Joannis verba in Apocalypſi 13.v.13. de Antichriſto: *Et facit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere*. Quam inficetum inquam ſit quiſque videt. Inferunt enim hinc (o præclaram illationem!) quod Papa ſit Antichriſtus, quippe quia ejus anathemata, atque excommunicationes ſint tanquam ignis, qui de Cœlo deſcendit, ſic enim inquit Povelus Calviniſta lib. 1. de Antichriſto cap. 26. itidemque aſſeruit Balduinus Lutheranus in diſputatione de Antichriſto cap. 6.

Stat igitur Pontificem non eſſe Antichriſti nomine notandum, ut impie putant heterodoxi. Ipſe enim eſt Chriſti Vicarius, ejuſque ſponſæ caput falli, & fallere neſcium; quam inerrantiam Pontificis demonſtrandam aggredimur ea, quæ noſtra eſt, brevitate, contra Novatores aſſerentes Pontificem non eſſe habendum, in fidei controverſiis, inerrantem Judicem. Scilicet hanc doctrinam ipſi hauſerunt ab eorum Magiſtro Luthero, qui cum fuiſſet a Summo P. damnatus ab eo ad Generale Concilium, appellavit, & a Concilio ad Imperatorem, deinde ab Imperatore ad Scripturam, ac tandem a Sacra Scriptura, quam Catholici adverſus eum oſtendebant, ad novam verſionem, & interpretationem; aſtute! Rationem excogitaverat perdurandi in ſuis falſis dogmatis, atque eludendi Conciliorum, Summorumque Pontificum Sanctiones.

Verum ad majorem hujuſce rei intelligentiam præmittamus, Sacram Scripturam accipiendam eſſe juxta quatuor ſenſus ſuperius notatos. Attamen heterodoxi Sacra Biblia in di-

diverſam ſententiam interpretantes, ad rem ſuam detorquent, ut apparet ex illo Iſaiæ 41. v.13.: *bene, & male ſi poteſtis facite*. Quod perperam a Luthero ſumtum fuiſſe conſtat, nam ibi loquitur de Ethnicorum idolis, qui cultoribus, contemtoribusve ſuis adjuvare nequaquam, aut nocere poſſunt; ipſe tamen eadem verba uſurpavit ad maleſanam ſuam opinionem confirmandam, quod ſcilicet nullus homo liberum habeat arbitrium ad bonum, vel malum. Atque eodem modo omnes hæretici Scriptura abutuntur. Verum ne fateantur, has falſas interpretationes jure, ac merito damnatas eſſe a Pontificibus, aſſerunt Scripturas ipſas, non vero Pontifices eſſe Judices in controverſiis fidei finiendis, quod non minus futile eſt, quam ſi quis diceret gentium, civilesve leges habendas eſſe in omnibus controverſiis tanquam Judices infallibiles, nec ullo oportere medio, quo proprium, verumque ex tot multiplicibus legum interpretationibus ſenſus depromi poſſit, periti ſcilicet ſcientia Judicis, ad eum recte ſecernendum, & deinde ad ejus amuſſim ſententiam dirigere. Cum igitur ſenſus SS. Bibliorum obſcurus ſit, nec primo attendenti facile pateat, ut Philippo interroganti an Iſaiam, quem legebat intelligeret, confeſſus eſt Candacis Reginæ Eunuchus, dum inquit: *quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi*. Neceſſe eſt, infallibilem dari Judicem, qui inter tenebras, & obſcuritates Scripturarum viam demoſtret, iterque ad verum dirigat.

Sed enim, de obſcuritate Sacrorum, divinorumque librorum, multas referunt Theologi rationes. Si res ipſa ſpectetur, eſt in ſe intellectu difficilis; quoniam præter hiſtoriam, quæ in diverſis libris eſt exarata, adſunt quoque prophetiæ, vaticinia, fideique myſteria, quæ humanam ſuperant intelligentiam. Ad hæc modus, quo res tractantur obſcuritatem adjuvat. Addunt nonnulli hanc Scripturæ Sacræ obſcuritatem, Deo volente, & diſponente offuſam. Si enim apertæ Scripturæ eſſent eorum Majeſtas deſpiceretur, cum non minus fidelibus, quam infidelibus ipſis paterent divina arcana. Cui rei accommodat Divus Thomas 1. p. q.1.art.9.

ad

ad 2. Math. verba dicentis 6. v.7. *Nolite dare Sanctum Canibus, neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis*. Atque hinc fit, quod Sacræ Scripturæ ſenſus ſine Divino lumine intelligi nequeat. Procul hinc igitur spiritus uniuſcujuſque privatus, qui nec Judex eſt, nec eſſe poteſt in controverſiis fidei. Procul hinc ſit recurſus, quem heterodoxi dicunt faciendum ex uno loco ad alium clariorem, ut interpretatio deſumatur obſcurioris. Nam nullus unquam, hæreticis his in rebus, vel inerrantiam promiſit, vel Divini Spiritus afflatum, aut lumen. Quod ſi hanc promiſſionem jactare nequeunt, nos dicere poſſumus, quod ſicut ſe fefellere; ita & alios decipere velle. Verba enim Dei cum a Divino Spiritu dictata ſint, nullo modo, niſi eodem docente Spiritu intelligi nequeunt. Quamobrem ajebat Propheta in Pſalmo 118. v.34. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.

Quomodo igitur dici poteſt, ſolum Divinæ Scripturæ ſenſum, non vero Pontificem in fidei controverſiis inerrantem Judicem eſſe? cum etiam leges civiles nequeunt aliquando ad peculiares deduci caſus, niſi Judex ope interpretum utatur, tum ad veritatem eruendam, tum ad componendas, conciliandaſque leges ipſas interdum inter se oppoſitas, tum denique ad expiſcandam legislatoris mentem; namque ſenſus eſt magis, quam verba ſervandus, ut eædem decrevere leges, atque ad ſenſus amuſſim dirigendæ ſunt ſententiæ. Et ſane ſi leges ipſæ Judices eſſent controverſiarum, ſileret curia, vaſtitas eſſet in foro, & male actum cum Juriſconſultis eſſet, nam partes arbitratu legis ipſius, nullo Judice, nullo patrono, lites reſecarent cum leges apertæ, & manifeſtæ eſſent. At vero cum in legibus ipſis occurrerent difficultates, repugnantiæ, oppoſitiones, contradictiones (ut ſunt pene infinitæ ex interpretum sententia) nunquam a litibus deſiſteretur: nam ſingulæ partes pro se leges allegarent. Pari ratione fore, aſſero, ut eveniret ſi nullus Judex eſſet, qui in fidei controverſiis ſententiam proferret Sacræ Scripturæ omnino conſonam: ipſa enim Divina Oracula

inter-

interpretari ſe ipſa nequeunt, tum quod multis obſcuritatibus ſint involuta, tum etiam quod contineant arcana humanam intelligentiam ſuperantia. Accedunt permultæ figuratæ locutiones, quæ facili modo ſimplicibus imponere poſſent, & ab impiis in peſſimam partem accipi, ut ſectariorum nequiſſimæ opiniones demonſtrant, ex Scripturis ipſis depromtæ.

Compertum itaque exploratumque eſt Judicem neceſſario requiri falli, & fallere neſcium ad dirimendas fidei controverſias, qui duce divina Scriptura, imploratoque Divino lumine, veram ſententiam, ubi opus fuerit, proferre poſſit. Sed quia ipſamet ſententia ex eodem provenit lumine, quod fuit Sanctis traditum Patribus, ideo ſemper eorum dodoctrinis ipſa eſt conſentanea. Hinc docent Theologi, contra Novatores, & præſertim Andream Rivetum, & Joannem Dallæum Miniſtrum Carentonienſem: opinionem communi Patrum ſententiæ oppoſitam Scripturas interpretantium, aperte hæreticam cenſeri, ſic enim inquit Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 2. q. 2. *Communis SS. Patrum ſententia: vel Scripturarum interpretatio in docendo aliquid ad rectam fidem ſpectans pro Catholica veritate habenda eſt: & contraria ſententia pro hæretica damnanda*: in eandem ſententiam deſcendit Suarez de fide diſput. 5. sect. 3. num. 13. Alphonſus de Caſtro lib. 1. cap. 7. Canus lib. 7. locorum aliique. At vero cum Proteſtantium Scripturæ interpretationes, SS. Patrum doctrinæ aperte opponantur, libere dicimus ex perverſo arbitrio, non autem ex lumine Divino dimanare eorum interpretationes. Illi enim dici poſſunt fallere neſcii, qui dum res decernunt, ne latum quidem unguem, præſertim a communi Sanctorum Patrum doctrina aberrant; SS. enim Patres in Scripturis interpretandis ſumma ſcientia fuere donati: quicquid afferat Lutherus, more ſuo maledictis SS. Patrum ſententias, onerans. Qua ex re noſcitur, Romanos Pontifices in Petri Cathedra pro tempore ſedentes, eſſe Judices infallibiles in fidei controverſiis habendos, cum eorum interpretationes Scripturarum, eorumque

in

in rebus fidei decreta, cum Sanctorum Patrum doctrinis ſane concordent.

Venio nunc ad argumenta Novatorum ex hiſtoria petita contra inerrantiam Pontificis, ait enim quidam ex eorum grege, quod ſi Romanus Pontifex infallibilis Judex eſſet, a ſuis ſententiis non fuiſſet appellatum, ut feciſſe novimus Fridericum II. ab Innocentio IV. P., Philippum Pulchrum a Bonifacio VIII. P., Ludovicum Bavarum a Joanne XXII. P., Joannem Hus a Joanne XXIII. P., Sigiſmundum a Pio II. P., Pariſienſem univerſitatem a Leone X. P., & ab eodem Pontifice Lutherum. Factum quidem hoc dicimus; ultro fatemur appellatum eſſe a Pontifice, ſed immerito factum, & nulla ratione appellatum fatemur. Sicuti illegitime appellarunt Novatores a celeberrimo, & omni laude digno Tridentino Concilio ad Concilium liberum, ſive ad conciliabulum. Quid igitur poſſunt legitimi, ex illegitimis actis deſumere?

Nec reponere hic juvat heterodoxis Sozomeni verba lib.3. cap.10. dicentis, quod Julium Romanum Pontificem in cauſa Athanaſii, aliorumque, non ſolum Epiſcopi Orientales ſuſpectum habuerunt, ſed in publica etiam Synodo excommunicarunt. Nam in comperto eſt Epiſcopos Orientales tunc temporis Arianam hæreſim profeſſos fuiſſe, atque in Pontificem bruta fulmina intorſiſſe. Quam vero oppoſitionem ex Divi Auguſtini epiſtola 162. conantur deſumere, quod Donatiſtæ a Melchiade Romano Pontifice appellarunt, annuente Orientis Imperatore flocci habemus. Nebulones enim hæretici, vel non intelligunt, vel intelligere nolunt laudatam Auguſtini epiſtolam, cujus ſenſus longe diverſus eſt ab eorum ſententia: ibi enim legitur, Auguſtinum in controverſia Donatiſtas inter & Cæcilianum, ſcripſiſſe, ſententiam prolatam ab enunciato Pontifice, quidem eſſe innocentem, integram, providam, pacificam; at è contrario notaſſe de Donatiſtis perperam litigantibus, eos aſſeruiſse ſe malos Judices eſse perpeſsos: *quæ vox* (ſunt Auguſtini verba) *eſt omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam*

mani-

manifeſtiſſima veritate ſuperati. Ex his itaque colligitur, quod Auguſtinus hanc non approbavit, ſed tanquam illegitimam appellationem habuit, nec Chriſtianus Imperator fuit auſus eam ſibi aſſumere, attamen eorum cupiens audaciam cohibere, aliis remiſit Patribus, a quibus denuo ſe ad ipſummet Imperatorem Conſtantinum appellarunt, ut legere eſt in eodem Auguſtino.

At præterea Catholicæ Eccleſiæ Perduelles inſtant: non eſſe certum Pontifices perpetuam, ac infallibilem habere Divini Spiritus aſſiſtentiam in controverſiis fidei decernendis: imo & eſſe deridiculum ipſis falli, & fallere neſciam aſſiſtentiam tribui, quod Pontifices ſint, negari autem ipſis dum privatos Doctores ſe gerant. Exploratum eſt enim, quod nonnulli Pontifices fuere indocti, alii vero licet Juriſconſulti non Theologi. Sed quouſque abutuntur hæretici noſtra patientia? Noſcant tandem, ſuo malo, noſcant Novatores, Pontificis inerrantiam in rebus fidei judicandis, non ejus doctrinis, non facultatibus, non artibus liberalibus, innixam, ſed a divina promiſſione confirmatam. Quid argutatiunculis nos obtundunt? Quid paralogiſmis nos detinent? donec enim Divini Verbi veritas perdurabit, ſtabit etiam Pontificum Romanorum inerrantia. Et ſane hæc mens fuit omnium Catholicæ Eccleſiæ Patrum, qui Romanam Eccleſiam, ſcripſere, aliarum Matrem eſſe Eccleſiarum, illique omnes debere eſſe conjunctos, atque ab ejuſdem doctrina nunquam diſcedere; qua ſententia aperte oſtendunt, ſolum Romanum Pontificem infallibilem eſſe. Sed operæ pretium erit eorum verba hic apponere: prodeat primus Auguſtinus. Is enim, ſic epiſtola 162. ſuperius laudata ad Donatiſtarum Epiſcopos de Cæciliano Epiſcopo ſcripſit: *Erat magnæ auctoritatis, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus per communicatorias literas eſſe conjunctum*. Conſonat Hieronymus epiſtola ad Demetriadem cap. 9. *Illud te pio caritatis affectu præmonendum puto, ut S. Innocentii, qui Apoſtolicæ Cathe-*

dræ Succeſſor eſt, teneas fidem: nec peregrinam, quamvis tibi prudens, callidaque videaris, doctrinam recipias. Et Bernardus in epiſtola 131. ad Mediolanenſes: *Romana Eccleſia valde Clemens eſt, ſed nihilominus potens . . . . . ; plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas Orbis Eccleſias ſingulari prerogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt*. Similiterque Cyprianus lib.4. epiſtola 8. ad Cornelium Papam: *Singulis navigantibus, ne cum ſcandalo navigarent rationem reddidiſſe nos ſcimus, & hortatos eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ Matricem agnoſcerent, ac tenerent*, ac demum Optatus lib.2. contra Parmenionem ſcripſit: *Negare non potes, ſcire te in Urbe Roma primam Cathedram Epiſcopalem Petro collatam eſſe, cum qua totus Orbis in una communionis ſocietate concordat*. Ex his igitur huc uſque expoſitis Patrum teſtimoniis eſt meridiana luce clarius Eccleſiam Romanam, & Summum Pontificem falli, & fallere neſcium eſſe; nec ad minimum officit, quod nonnulli fuere indocti, rudes, illiterati; nam Apoſtoli quoque nulla præditi literatura fuerunt, atque in eis non ſolum aſſiſtentiam Divini Spiritus novimus, ſed plenitudinem ipſam eſſe collectam. Ceterum ad rerum perfectam intelligentiam animadvertendum eſt, duplicia eſſe dona Spiritus Sancti; alia enim ſunt ad propriam ſalutem, ac ſanctitatem directa, ut virtutes Theologales, & ideo hæc cum peccatis conſiſtere nequeunt; alia diriguntur ad aliorum ſalutem, & ſanctitatis acceſſionem, & cum peccatis conſiſtere poſſunt, ut miraculorum, ceteraque his ſimilia dona, cujus generis eſt etiam inerrantiæ donum, quod Pontificibus Romanis firmiter datum eſſe fatemur, atque hinc, nullo impellente, ruit malemateriatum fundamentum Novatorum.

Sed nec terga vertit Eraſmus Roterodamus, quin cunctis in fugam actis Novatoribus, unus impetum omnem ſuſtinere videtur, atque extremam ſceleratam haſtam intorquet: brevibus enim Romani errantiam Pontificis demonſtrare conatur: Si Pontifex non poteſt errare, cur Eccleſia Generalibus indiget Conciliis? Potuiſſet ſane tantus homo,

tan-

tantilla abſtinere objectione, cum ipſa nullum, vel hebeti ingenio, negotium faceſſat. Expedit ſane ut fidei controverſiæ a Generalibus decernantur Conciliis; primum quod hæretici Pontificias deſpiciunt damnationes, quoniam eos errori obnoxios eſſe credunt, ut ſuas igitur noſcant inſanias a Patribus totam repreſentantibus Eccleſiam damnantur; ſecundo ut facilius omnibus innoteſcat, quæ fuerit vera, quæve falſa ſententia, dum conveniunt ex univerſo Orbe Chriſtiano Epiſcopi ad eam definiendam. At vero hæreticis arridet ſententia ſua, & Pontifices errori obnoxios ſtatuunt, tum ex odio, quod in Romanæ Eccleſiæ Caput, alunt, propterea quod reſecti a corpore fidelium, veluti morboſa, & putrida membra ſint; cum etiam ex deficientia Divini afflatus, quem nullo modo neceſſarium ad inerrantiam in rebus fidem ſpectanctibus, ſtultiſſime aſſeverant, dummodo ſufficientia doctrinæ adſit, ex qua inerrantia ipſa dimanat. At nos e contra ſtatuimus Pontifices falli, & fallere neſcios eſſe, quod Deus nullo modo patitur, quos Paſtores Eccleſiæ ſuæ dedit; ſuas oves decipere in rebus fidei; quamobrem eos regit, ut falſam doctrinam, nullo modo poſſint populis proponere. Atque hinc eſt quod ſoli Pontifices, aliquando etiam coactis Eccleſiæ univerſæ comitiis, rogatiſque ſuffragiis de more, fidem attingentes quæſtiones, reſecaverint. Quam Pontificis inerrantiam ſine hæreſis nota negare nequeunt Nebulones hæretici, ex verbo enim Divino promittente pendet, ubi ait: *Ego rogavi pro te Petre*, *ut non deficiat fides tua*, & alibi *confirma fratres tuos*, &: *Paſce oves meas*. Sed licet Lutherus paſcere idem eſſe dicat, ac ſolum præbere pabulum; ſtandum eſſe potius arbitramur Origenis opinioni ad Romanos notatæ, & Theophylacti, atque Euthymii in caput 21. Joannis ac S.Gregorii Papæ lib.4. Epiſtola 32., Eucherii, aliorumque aſſerentium, illis verbis, fuiſſe Petro paſtorale munus commiſſum, quod comprehendit Evangelii prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationem, correctionemque peccantium, & errantium reductionem, de vera, ac falſa doctrina judicium, ad quod itidem ſpectat offi-

cium, fideles omnes ad Eccleſiæ unitatem compellere, ſimulque hæreticos rejicere, & hoſtes; eadem prorſus ratione ac Paſtor ſanas oves agit ad paſcua, infirmas curat, diſperſas colligit, inter valentes, & morbidas judicat, contumaces cogit, ad ovile compellit, ac tandem virga, & voce lupos arcet.

Verum non eſt ad arbitrium conficta, nec ſine rationis fundamento hæc Paſtoris adducta ſimilitudo, nam clare pluribus Sacræ Scripturæ locis confirmatur Ezech.34.v.2.: *Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges a Paſtoribus paſcuntur*, ac ibidem v.5.: *Diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri*, & verſ.15.: *Ego paſcam oves meas. Quod perierat requiram, & quod abjectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, conſolidabo, & quod pingue, & forte, cuſtodiam.*

Sed hic loci, nonnulli ut probent, omnes Apoſtolos æqualem a Chriſto Domino poteſtatem, atque auctoritatem accepiſſe, Joannis verba referunt 20. v.21., atque inde deducunt Petrum in Eccleſia non geſſiſſe primatum, quamobrem nec in ſuos Succeſſores derivare potuiſſe. Verum toto Cœlo errant, quicunque ſic argumentantur. Quanquam enim Apoſtoli omnes pari auctoritate donati a Chriſto fuiſſent, primas partes tamen ſemper Petrus inter eos egit, nec ejus princeps locus alteri Apoſtolorum unquam conceſſus fuit, ut innumeri Patres teſtantur. Ambroſius enim ſic ſcripſit in cap.2. ad Galatas: *Soli Petro gratia Primatus inter Apoſtolos eſt conceſſa.* Auguſtinus in tractat.56. in Joannem: *Quis neſcit primum omnium Apoſtolorum eſſe Beatiſſimum Petrum.* Epiphanius hæreſi 51.: *Deus elegit Petrum, ut eſſet Dux ſuorum diſcipulorum*, & Ephrem Syrus de transfigurat. Domini: *Sicut Moſes veteris, ſic Petrus novi teſtamenti Princeps eſt*, imo cui nam alii, niſi ad Petrum illa Domini verba diriguntur: *Paſce oves meas..* & eſt clarum in Regum libris, quod paſcere, idem ac regere valet, ut 2. Reg.5. v.2.: *Tu paſces populum meum Iſraël*, nam poſtea ad-

addit. *Et tu eris Dux ſuper Iſraël*, quod multis aliis locis Divinæ Scripturæ conteſtatur; ſæpe enim occurrit in veteri teſtamento, Reges eſſe Paſtores populorum vocatos. Iiſdem etiam uſus eſt verbis Chriſtus Dominus, dum Petro tradidit univerſam poteſtatem regendi Eccleſiam, populoſque in officio continendi; latis legibus, & ſtatutis.

Itaque neſcio quo maleſano conſilio correptus fuit Auctor Civilis hiſtoriæ Neapolitani Regni, dum ſcripſit ab Eccleſia nec Tribunal, nec merum, miſtumque juriſdictionis Imperium poſſideri, niſi ſolum quantum ipſi a Principum ſecularium magnanimitate impertitur, vel potius ex conniventi animo indulgetur; quapropter ſicut in temporalibus negotiis non minus Clerici, quam Epiſcopi ſeculari foro ſubjacent, ita & Principes Laici, omneſque fideles in rebus Spiritualibus ſubeunt Eccleſiæ, cujus poteſtas dirigendorum fidelium, vel monendorum finibus, continetur, vel ad anathemata intorquenda tranſilit, quam auctoritatem ſpectaſſe etiam, addit, ad Reipublicæ Romanæ Cenſores, Magiſtros morum olim dictos, poſteaque eandem ſub Imperatoribus diminutam, fideles iterum reſtaurarunt. Ad hæc, nullum inquit, primis Eccleſiæ naſcentis annis fuiſse regimen. Apoſtoli enim toti fuerunt in Eccleſiis conſtituendis, quæ primum regebantur Ariſtocratico modo, nempe a propriis gubernabantur Presbyteris, ſed cum paulatim auctus eſſet fidelium numerus, ut confuſio vitaretur unum ad gubernationem ex Presbyteris elegere, quem Epiſcopum vocarunt, at præterea hæ duæ poteſtates, ſpiritualis ſcilicet, & temporalis ex uno eodemque principio, a Deo nempe, a quo ſicut & omnia, proveniunt, ac eminentes in ſuo genere habentur, nec altera ab altera pendet, uni enim claves, alteri gladium idem Deus conceſſit, ut oſtenderet ab Imperio res temporales omnes eſſe regendas, ex quo clarum eſſe inquit, poteſtatem temporalem majorem Spirituali fuiſſe poteſtate a Deo ſuis tradita Sacerdotibus, qua iidem primitus, pœnitentiarum, ſuſpenſionumque uſum introduxere, poſteaque Conſtantini Magni tempore eam paulatim extenderunt; non ita tamen,

ut hæc omnia contentioſa fieri poſſent juriſdictione. Sed tandem hac etiam donati Epiſcopi ſunt ex munificentia Juſtiniani Imperatoris in novellarum legibus jubentis, ſcilicet in 83., & in 123. ut in civilibus actionibus Monachi, ac Clerici poſſint ad Epiſcopum ire de civilibus controverſiis, expoſcendæ cauſa compoſitionis. Sed jus Canonicum deinde adeo auctum fuit a Romanis Pontificibus, ut cum civili jure certare, aut vincere, & ſibi ſubmittere videatur. Hæc in multis ſuæ hiſtoriæ locis occurrunt, & his ſimilia innumera ſomnia delirantis, potius quam ſententiæ ſcribentis: quod Eccleſia ſcilicet poteſtatem non habeat libros corruptam doctrinam continentes, igni damnandi, ſicut ejus liber meritus eſſet, ſed tantum prohibendi.

Impium profecto hoc, de Eccleſiaſtica juriſdictione, ſiſtema credendum eſt, dignumque damnari non ſecus ac illud Valdenſium, Wicleffiſtarum, Calviniſtarum, Marſilii Patavini, & Ugonis Grotii de Imperio Summarum Poteſtatum ſcribentis, vel illud Richerii, Du-pin, Apoſtatæ de Dominis, Petrique de Marca, ceterorumque, ſi qui ſunt alii, hujus furfuris, ex quibus omnibus pleno ore hauſit errorum ſuorum feces, Auctor civilis hiſtoriæ. Atque, quod mirum eſt, errores ſuos univerſos, impioſque conatus apertis ſæpe contradictionibus involutos, non ſolum in Eccleſiam, viroſque Eccleſiaſticos convertit, ſed in Principes ipſos, in quorum Regna, & dominationes res novas invexit, religionem, & politiam penitus evertentes. Viri itaque Principes, quorum poteſtas imminuitur his opinamentis, non vero augetur; nam ordo politiæ evertitur, cura & ſtudio ſuo debuiſſent tam perniciosum opus peſſundare, vel igni, quo expurgari poteſt, damnare. Eccleſia enim jus ſuum, atque auctoritatem retinet adhuc, retinebitque, vel latrante Hiſtorico civili. Et ſane quod Eccleſia corpus Canonum confecerit, in eoque civiles aliquas leges Ethnicorum mores, & impietatem præſeferentes, expunxerit, quas inter ſunt illæ de uſuris, pro quibus Salmaſius totis viribus pugnat, putandum eſt, vel hanc poteſtatem habuiſſe, vel negligentes

fuiſſe

fuiſſe Principes, qui illud non ſolum admiſere, ſed & ſcriptum reliquerunt, quod legitur in Authentica, ut *Clerici apud proprios Epiſcopos*, in fine, ſcilicet leges non dedignantur Sacros imitari Canones, ita Canones juris civilis auctoritatem æquitatemque imitantur, & alterutrum ab alterutris invicem ornatur, ut habetur in cap. *quo jure* diſtinct. 8. Sed antequam deveniamus ad oppugnandum conſictum ab Auctore civilis hiſtoriæ, Siſtema de Eccleſiaſtica juriſdictione, licet uno impetu labefactari, ſoloque æquari poſſet, cum apertiſſime hæreſim ſapiat: quippe cum Aërio aſſeruit Epiſcopatus ordinem inventum eſſe humanum, & eſſe Sacerdotio æqualem, quod non ſolum ex Apoſtolicis actis confutatur, ſed etiam ex cenſura Sacræ Facultatis Pariſienſis adverſus quatuor priores libros Reipublicæ Eccleſiaſticæ Marci Antonii de Dominis ad lib. 1. cap. 3. num. 18. & 33., hic etiam quo clarius intelligantur, quæ a nobis intorquentur contra ſtatutum ſiſtema, Juris Canonici, & Civilis originem brevibus complectendam eſſe arbitramur.

Et a principio quidem aperte Scriptores ex Romani Imperii ruina progreſſum, ex Eccleſia vero naſcente jus Canonicum, ortum habuiſſe notant. Nam cum Imperii ſedem ex Urbe Roma, Conſtantinus Magnus, Bizantium tranſtuliſſet, ab ipſomet nonnullæ Europæ Gentes defecerunt, eoque defuncto, Itali, jugo Imperii excuſſo, Regibus obtemperarunt Langobardis; verum multo antea ſuos Gallia Francicos, Hiſpania Gothicos, varioſque Germania Principes habuit; tunc enim nullum aliud jus dominandi erat, niſi jus armorum, bellorumque potentia. Silentibus igitur, vel penitus compoſitis literis inter arma, ſepultiſque legibus ipſis Romanorum, tanta diligentia ex ſapientiſſimis Græciæ Civitatibus, collectis; barbararum nationum Langobardorum, Francorum, Gothorum, inſtituta inter perturbationes temporum, radices agere, & tandem aliquando florere viſa ſunt. Ardor vero Chriſtianæ Religionis ſervandæ, & augendæ, qui pectoribus hærebat illarum Gentium, erga Epiſcopos, & Clericos ſummum obſequium perſuadebat.

Qua-

Quamobrem ſponte ſua Romanorum Pontificum obſequebantur conſtitutionibus, ac mandatis, Sanctorumque Patrum ſententias, & Canones Conciliorum, veluti e Cœlo delapſos excipiebant, ac ſumma animi demiſſione ſervabant, ut fere legibus ſuis abrogatis, Sacras Eccleſiæ leges, populis ſervandas proponerent.

Sed huc uſque notata Canonum auctoritas, vel in Generalibus, Provincialibuſque editorum Conciliis, vel ex Eccleſiæ Patribus tranſcriptorum adeo aucta eſt, ut deinde a Romanis quæreretur Pontificibus deciſio in Eccleſiaſticis controverſiis, præſertim de iis, quæ uſque ad illud tempus nec a Patribus, nec a Conciliis eſſent terminatæ, & Pontifices Imperatorum more ad propoſitas reſcribebant conſultationes, atque hujuſmodi determinationes, reſcripta, decretaleſque Epiſtolæ appellatæ ſunt, quæ vim legum habebant. Et hic fuit ſtylus per aliquod tempus in Eccleſiæ foro uſitatus; quoniam nullum jus certum Eccleſiaſticum extabat ſcriptum, atque hic mos ad Lotharii Imperatoris tempus perduravit. At a Piſanis, Romani juris Pandectis comparatis, hoc pulcherrimum inventum doctos omnes excitavit viros, ad ceteras leges tenebris temporum involutas, in lucem revocandas. Ut igitur ſapientes viri deſudavere in Romanorum explicandis, illuſtrandiſque legibus, ita & innumeri in jure Canonico, haud diſpari methodo, componendo ſummopere laborarunt.

Non abs re erit hic addere, quod Baſilius Macedo anno circiter 860. Imperialia quædam addidit jura, in ſexaginta libros congeſta, qui ex ejus nomine fuerunt Baſilicorum libri vocati, eoſdemque ſeptem comprehenſos voluminibus, græcos, & latinos habemus, juxta verſionem a Cl. Fabroto ornatam. Atque his legibus, ferunt, in Oriente fuiſſe judicatum, donec Imperium Conſtantinopolitanum ſtetit. Nam Orientis Imperium fuit denique a Mahomete Ottomano occupatum anno 1452. Baſilius Imperator primum Epitomen Juſtinianei Codicis edidit, quam πρόχειρον appellavit, quaſi juris prontuarium, ut præ manibus ſemper eſſet. Quam Ba-

Baſilii operam referre debemus acceptam invidiæ, qua commotus eſt, dum animadvertit ſummam gloriam, Codicem ſuum peperiſſe Juſtiniano, viro alioquin doctiſſimo, nec confundendo cum Juſtino II. Succeſſore, ut Suidas fecit, & notatur a Cla. Pagi ad ann. 528. & a Cardinali Noriſio, nam quæ de Juſtiniani imperitia ſcribuuntur a nonnullis, recte Juſtino II. tribuuntur. Præterea ſummam Juſtiniani mentem ejus res geſtæ probant, & præ ceteris celeberrimos elegiſſe viros, ad difficultates legum enucleandas, quibus ſui compilandi Codicis curam commiſit, ac in eundem omnia reſcripta collecta ſunt, Imperialeſque conſtitutiones a Theodoſio II. uſque ad Juſtinianum: coactis quoque in unum Gregorii, Hermogenis, ac Theodoſii Codicibus, conſtitutiones comprehendentibus ab Adriano uſque ad Diocletianum, & ab hoc uſque ad Theodoſii tempora; qui Codex publici juris eſt factus anno 549. Verum etſi in eo aliqua magis obſcura loca, ad pravam Triboniani fidem Critici referant, qui lucri cauſa *fixit leges*, *atque refixit*: certum tamen exploratumque eſt, in aliquibus locis errores ſcatere. Si enim nonnullas conſtitutiones comparemus cum fragmentis, quæ adhuc extant, Theodoſiani Codicis nullo modo reſpondere inter ſe illas videbimus, ut Jacobus Gothofredus obſervat in prolegom. ad Codicem Theodoſian. cap. 4. Sicut fortaſſe nec etiam cohærerent cum veteribus Juriſconſultorum libris, niſi hi omnes temporum injuria interiiſſent, exceptis ſolum Julii Pauli ſententiis, Caij inſtitutionibus, nonnulliſque Ulpiani fragmentis, & reſponſis Papiniani, cujus auctoritas in jure tanti habenda eſt, ut conſultorum ſententiis diſcrepantibus, ea verior cenſeatur, quo ipſe inclinat, ſicut Theodoſius ſuo Codice ſancivit, quem cum Cujacius edidit; ſic de Papiniano ſcripſit, omnium qui ſunt, qui erunt, quive fuerunt Juriſperitiſſimus. Nec minori laude illum cumulat Balduinus, qui monuit in ſuis Comment. ad inſtitut. in præfat. Deum eſſe laudandum, qui ſummos viros, Joſephum ſcilicet in Ægypto, Danielem in Babilonia Periclem Athenis, Papinianum Romæ ad juſtitiæ ſplendorem excitavit. Redditum tamen eſt tantæ virtuti Papiniani

honos Septimio Severo imperante, ei enim commiſſa ſunt ſumma rerum negotia, cum Prætorii Præfectura, quamvis poſtea obtruncatus fuerit a Septimii filio Caracalla, quod eum renuiſſet defendere parricidii reum.

Scio hic nonnullos ſummâ admiratione correptos eſſe, qua ratione factum ſit, ut monſtris flagitiorum, potius, quam hominibus Romæ imperantibus, æquiſſimæ, ab illis leges, prudentiſſimaque reſcripta edita ſint. Mirari profecto deſinant; nam penes eoſdem vel Tyrannos, vel Principes, primum obtinebant locum integerrimi Juriſconſulti, a quibus leges conciperentur. Etiamſi poſt Auguſtum Juriſconſultorum poteſtas inter anguſtiſſimos fines fuerit conjecta, nec reſponſa edere ipſi potuerint, niſi facta a Principe facultate, ex quo factum eſt, ut eorum reſponſa pro legibus tantum haberentur, ac juris ſcripti partem componerent, dummodo Principum interſuerit permiſſio, ut notatur in l.2. §.1. Divus Auguſtus ff. de orig. juris, & ex eadem habetur in §. his legibus, quod dum Romanorum Reſpublica floreret, omnium Juriſconſultorum reſponſa, ſine publica auctoritate darentur, & tamen juris loco haberentur non ſcripti, de quibus vero pauca ſuperſunt. His itaque notatis facillimum intellectu erit, pene infinitam fuiſſe copiam legum ex Principum conſtitutionibus, ac Juriſconſultorum reſponſis, ita ut bis mille libros implerent. Sed cum multitudo ipſa ſine ordine, confuſionem pariat, prudentiſſimo conſilio ab Imperatore mandatum eſt, ut omni diligentia accuratiſſimus Codex (in primum enim confuſio irrepſerat) componeretur, qui leges omnes perfectiſſimo ordine comprehenderet.

Verum poſtea (ne ab ordine, quo fuere libri compoſiti diſcedamus) Juriſconſulti inſtitutiones ediderunt Juſtinianæas, ſeptimi ſui Imperii anno, ac de iiſdem Cujacius ſcite ſcripſit lib. 11. obſervation. nullo pene interprete indigere, atque hunc, inter omnes jurium civilium libros, nitidiſſimum, ac facillimum eſſe.

At menſe elapſo ab earundem evulgatione, fuerunt quo-

quoque libri Pandectæ evulgati, & ab eodem confirmati Imperatore anno Imperii ſui ſeptimo, quibus componendis ex Juriſconſultorum reſcriptis, licet collectoribus decem annorum ſpatium conceſſiſſet (quod tempus etſi longum, breviſſimum videbatur ad pene innumerabilia Juriſconſultorum volumina mature, ac attentius evolvenda) attamen feſtinanti calamo iidem Pandectæ triennio perfecti fuerunt; quapropter recte Jaſon conqueritur in l.1. de injuſt. rupt., & irritis teſtam., in nimias, jus Romanorum, a compoſitoribus detruſum fuiſſe anguſtias. Sed revera ſi nunc temporis Juriſconſultorum extarent volumina, e quibus compoſiti ſunt Pandectæ, permulta inveniremus in ipſis veteribus diverſa exemplaribus, nec moleſtia afficeremur in diſcutiendis ſæpiſſime interpretum commentariis, cauſa inveniendæ veritatis. Quamobrem quæcumque in Pandectis, vel diſſona, vel imperfecta, vel obſcura erunt, compoſitoribus tantum, non autem veteribus ſunt tribuenda Juriſconſultis. Quod vero ad artem, & modum ſcribendi attinet ab omnibus laudatur; licet nonnullis delicatulis, methodus, qua compilatores uſi ſunt, non placeat. Sed hi reprehenduntur a Cujacio in paratit. ff. In jure vero, Duareni tenenda eſt regula, quam dat in comment. ad Pandectas lib.1. cap.3. quod ex ipſorum jure, quia poſterius emanato, contraria inſtitutionum jura derogantur. Verum denique non eſt prætereundum, quod hunc librum vocari voluit Juſtinianus Digeſtorum, quoniam omne Romanorum jus, in ſeptem fuit digeſtum partes, ex quinquaginta libris compoſitas. At vero illud primitus unum volumen, fuit, poſtea tamen ex Accurſii, aliorumque gloſſis tria facta ſunt, e quibus unum dicitur, barbaro vocabulo, Infortiatum, cujus vocis ſi originem quæramus, laterem, ut ajunt, lavabimus. Qua de re Ludovicum Romanum in rubric. ſolut. matrim. verum aſſeruiſſe putamus, nempe ab aliquo veteri interprete pro arbitrio ſuo, hoc fuiſſe nomen confictum, & a majoribus ad noſtram ætatem perveniſſe.

Compoſitis jam Digeſtis, denuo alius Codex editus eſt majori diligentia, anno ejuſdem Imperii octavo, nam ut

ſuperius notatum eſt, primus in lucem editus his perfectionis partibus deſtituebatur. In hoc vero ſecundo voluit Imperator ſuas quinquaginta deciſiones inſertas eſſe, quibus controverſias omnes ab antiquioribus Juriſconſultis in Romano jure agitatas, reſecaverat. Atque hic Codex eſt repetitæ prælectionis dictus.

At vero cum Juſtinianus Imperium geſſiſſet triginta octo annis, atque innumeras eodem tempore conſtitutiones edidiſſet, hæ quoque corpori juris adjunctæ ſunt, & Novellæ appellatæ. Quarum plurimas Juſtinianus græce ſcripſit, paucas vero latine, quæ ab Antonio Auguſtino in paratitl. ad Novellas numerantur. Verum quæ Novellæ græce ſcriptæ fide bona, in latinum verſæ fuerant ſermonem, ut ab aliis in Codice poſitis ſecernerentur, ſunt Authenticorum nomine dictæ juxta Alciati, aliorumque opinionem; vel potius, ut Labbeus ſcripſit in notis ad Conſtitut. Grec. lat. ita appellatæ ſunt, quod græce Αὐθεντία, latine conſtitutionem ſonat. Sed de earundem numero lis eſt inter Auctores, quoniam ab aliquo Romani juris perito congeſtas eſſe, plurimi notarunt. Accurſius enim & Doctores in 98. gloſſas, ac Commentaria poſuere, Julianus vero ſtatim poſt Juſtinianum 125. in ſua poſuit Epitome. Oloander 165. & Cujacius eruditiſſimo Commentario illuſtravit; attamen communis Interpretum, atque Accurſii de hac re ſententia eſt ſequenda.

Verum enim vero his omnibus in rebus geſtis ſumma laude, ſempiternaque gloria apud poſteros dignus Juſtinianus videtur, & eo magis quod ipſe acerrimus ante alios fuerit hæreticorum, paganorumque perſecutor, ut leges Juſtinianæi Codicis teſtantur, in quas multa inſeruit ex Sacris Canonibus decerpta. Quapropter eum, legimus, fuiſſe laudatum ab Agathone Pontifice in quadam epiſtola Synodica, atque a Divo Gregorio Magno P. in lib. x1. epiſt. 54., namque juſſit in Novella 123. & 137. quod Epiſcoporum, Clericorumque cauſæ a Synodis eſſent examinandæ, & in Novella 131. ſtatuit, ut res Eccleſiarum ab extraordinariis immu-

mu-

munes ſint habendæ oneribus. Sed tamen (abſit verbo maledictum) nimius fuit Juſtinianus, atque in Eccleſiæ rebus pluſquam opus eſſet, ſeſe immiſcuit. Et quidem quis temperet a lacrymis, dum in Eccleſiæ annalibus leget caſus Romanorum Pontificum, Imperante Juſtiniano, & urgente Theodora Auguſta, quæ a Divo Chriſoſtomo potius Herodiades appellata? Summæ enim Pontificibus fuit vexationi illa tam celebris trium Capitulorum controverſia, quam inferius apponemus. Sufficiat autem hic, in illum repetere, Divi Agapiti Pontificis exclamationem ab Anaſt. Bibliot., ac ab aliis relatam: *Ad Chriſtianum credebam venire Principem, ſed Diocletianum inveni*, ac propterea mirum non eſt in hæreſim tandem Juſtinianum incidiſſe, & iniquum promulgaſſe edictum, quo expreſſit Chriſti Domini carnem fuiſſe impaſſibilem, ejuſque mortem in Cruce tantummodo apparentem, ac ut ipſe inquit φαντασικῶς. Vita functus eſt Juſtinianus anno ætatis 83., nec vero inter Auctores conſtat an ad extremum reſipuiſſet, Epiſtola ad eum a Niceta Treverenſi Epiſcopo data. Male igitur opinantur Faber, & alii, imo nulli rationum fundamento nititur, eorum opinio, quæ ſtatuit inter Sanctorum numerum Juſtinianum fuiſſe adſcriptum.

Sicut itaque nullo modo tanta gloria Juſtiniano congruit, ita novimus ejus laudem ex collectis, compilatiſque legibus partam, Macedonem Baſilium obſcurare, & ſi fieri potuiſſet, illi præripere ſtuduiſſe. Et ſane laus collectarum legum ſiluit, ex ſocordia, vel potius invidia Imperatorum; vix enim in Orbe Conſtantinopolitano quadraginta a Juſtiniani morte, annis, jus ejus, floruit. Nam receptum eſt Juſtino, Tiberio, ac Mauritio Imperatoribus in gymnaſiis, & ad fori uſum latinitate donatum; deinde vero Mauritio Imperatore interfecto, & Phoca in ejus locum ſuffecto, Principe rudi, & illiterato, corpus juris paulatim ab eo aliud agente, eſt peſſundatum; in Italiam vero, ac alias Europæ regiones per quingentos annos, ejuſdem libri non pervenere, quoniam occidentales Imperii Romani provincias, Barbari occuparant,

rant, Langobardi nempe, Gothi, Viſigothi, Vandali, Hunni, & ſi qui ſunt alii ex eadem colluvie: iccirco in nationes ſub jugum miſſas, ſuo jure Barbari, & ſuis inſtitutis utebantur.

Quanquam autem Juſtinianæi libri in græcum ſermonem verſi aliquando viguerint, hoc tamen fuit per ducentos annos a Phoca nempe uſque ad Baſilium, Orientis Imperatorem ſalutatum anno 860.: hic enim Princeps ad ſublimia factus, armis, literiſque ſtuduit ceteris omnibus antecellere, ad memoriam nominis ſempiternam. Quapropter ſuas leges ſcripſit, promulgavitque, pulſoque Juſtiniani Codice ab Accademiis, ac Judiciis, in ejus locum Codicem ſuum ſubrogavit. Optime igitur Cironius lib.5.obſervat.Juris Canon. cap.4.& 5., depreſſionem Juſtiniani legum, tribuit ambitioni Baſilii, ejuſque filii Leonis, quamvis Balduinus in prolegom. Inſtitutionum, eam, neſcio quo fato, eveniſſe dicat. Nam cum orientalis Imperii Sedes ſub Zenone fuerit conflagrata, tunc 220. mille fuerunt libri combuſti; pariterque legum cuſtode Berithi Urbe ſolo æquata, terræ vehementiſſimo motu, interierunt. Accedit quod a Gothis omnes in Italia libri diſperſi ſunt, atque peſſundati. Sed infiniti operis eſſet ſingula percenſere numerando, quæ de civili jure adduci poſſent: nec tamen noſtræ inſtitutæ narrationis ratio, amplius immorari hac in parte nos ſinit. Satis ſit itaque, quod primis labiis, hic delibavimus de origine juris, ad demonſtrandam coherentiam SS. Canonum cum civilibus legibus, a relato hiſtorico impugnatam.

Dum enim Juſtiniani Pandectæ a Piſanis fuerunt inventi omnes redierunt ſcientiæ, quæ, ut diximus, jam erant cum juris Romani omnibus libris diſperſis, penitus ex Italia rejectæ a Langobardorum Regibus. Quapropter cum Carolus Magnus longo poſt tempore Langobardos ſuperaſſet, Regnoque exturbaſſet, ſumma ejus cura fuit jus Romanum ad primævum gloriæ faſtigium reſtituere, ut Balduinus notat in proleg. Inſtitut., quod perficere nullo modo potuit perpetuis bellis diſtentus; tum etiam quod libri Juris Romani

deſi-

deſiderarentur. Atque hinc fuit quod ſcientiarum imperitia, & legum, ut omnes docti conqueruntur, per ducentos reliquos annos homines occupaverit; namque breviſſimo tempore Italia paruit Romanis legibus, annis nempe, sexaginta, quum in ea poſt Juſtinianum Gothi dominati ſunt, ſed ipſis a Langobardis expulſis, & in ulteriorem Galliam conjectis, ut Procopius lib.1. de bello Goth. notat, Langobardi nunquam paſſi ſunt alias, niſi a ſe conditas leges in Italia obſervari, quæ jura in antiquarum legum Codice adhuc exiſtunt part.1. per Frid. Lindebrog., eorum tamen lex potius fex eſt dicenda, ut Scriptores inquiunt.

Poſt tantas autem ſcientiarum, legumque tenebras, ambæ tandem ſub Lothario Saxone circa annum 1135. reſpirarunt. Tunc enim Occidentis Imperator cum Innocentio II. Romano Pontifice, conjunctus contra Rogerium Siciliæ, ac Neapolis Regem, bellum geſſit; cumque etiam ad Imperatorem Piſanii Socii acceſſiſſent, tunc Reipublicæ jure utentes, ſtrenuiſſime geſta res eſt. Quamobrem Piſanis jure belli quidquid in ſpoliis hoſtium melius eſſet, obtigit. Acceperunt igitur ſibi Piſani, Juſtiniani Pandectas inventos, dum Urbs Amalphitana expugnaretur in Lucanos ſita, non autem in Apulia, ut multis Scriptoribus falſo eſt perſuaſum. Pandectæ Piſani igitur merito ſunt dicti, & Piſis aſſervati ad annum 1406. At Caponius Florentinorum exercitui Præfectus Piſanis Pandectas vi abſtulit, & Florentiam importavit, qua de re deinde Florentini Pandectæ ſunt appellati.

Primus autem Irnerius in optimam redegit methodum Pandectas, namque eorum quinta pars de voluntatibus, & ſucceſſionibus hæreditatum, penes græcos extabat Ravennæ Exarchos; ſed quia Lotharius Imperator jus Romanorum, quod & commune dicitur, in Accademiis docendum, & ex eo cauſas dijudicandas eſſe mandaverat, ut Lindebrog. notat in. Cod. leg. antiq. in princip., ideo Irnerius circa annum 1150. Bononiæ docuit, ſicut Bulgarus, Placentinus Odofredus, ac alii itidem fecere; poſteaque Accurſius Pandectas, Novellaſque, ac Codicem gloſſis illuſtravit, ipſumque,

que, putat Cujacius in lib. 12. obſerv. 16. omnibus græcis, latiniſque Interpretibus eſſe anteponendum.

Porro ſicut viri pene innumeri, operam plurimam contulerunt ad expediendum pariter atque illuſtrandum jus civile, eadem prorſus ratione permulti quoque variis temporibus toti fuerunt in colligendis, explicandiſque Sacris Canonibus, ut eorum facultatem altius cum primis, eveherent. Et ſane ſi juris Canonici ortum, atque progreſſum conſideremus, videbimus hanc facultatem nulli eſſe ſecundam. Jus Canonicum ſimul cum jure civili, eodem tempore cœpit; nam ſicuti Pandectarum inventio cauſam præbuit viris doctis inſudandi, ut civiles Romanaſque leges explanarent, atque explanatas proponerent; ita etiam Baſilium Macedonem, ejuſque filium, imitatus Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſuum edidit Nomocanonem Baſilicas conſtitutiones, Canoneſque Eccleſiaſticos, comprehendentem, quam poſtea Theodorus Balſamon exornavit, ipſumque Photium Burchardus Wormacienſis, ac Yvo Cartonenſis ſunt ſecuti, quæ Canonum collectiones, veluti regulæ, ſteterunt multis annis in Eccleſia. Statim ac autem literæ ex tenebris, in quibus jamdiu jacuerant, in lucem ſunt revocatæ, ad meliorem methodum reducta eſt Theologia, quæ primum ſparſim occurrebat, nullo ordine, in veterum Patrum libris; licet Damaſcenus ad aliquam reductam formam, græcos docuiſſet hanc Divinam ſcientiam. Petrus itaque Lombardus Lutetiæ Epiſcopus, tantum opus eſt aggreſſus, & cum bono Deo perfecit, ut Magiſtri ſententiarum ſibi nomen compararit. Alii vero ſcholaſticam ediderunt hiſtoriam, ut Petrus Trecenſis, Comeſtor dictus. Gratianus autem Bononienſis monachus decretorum compoſuit librum; quamvis enim fuerat a Burchardo, & Yvone compoſitus: eorum tamen libri tanquam a privatis hominibus ſcripti, nullam vim legum habuere, immo poſt Gratianum fuerunt neglecti. Is enim Eugenii III. Pontificis mandato ſuum compilavit decretum anno 1150. vel ſeq., ut aliis placet, quo Conciliorum Canones, latinorum, græcorumque Patrum ſcri-

ſcripta, conſtitutiones Pontificum, & conſulta cum Cardinalibus facta inſeruit, quibus etiam Cæſarum leges adjecit, ac prætereà rubricas, aliaque ſua appoſuit dicta. Sed ſemper fuit controverſum, cujusnam auctoritatis ſit hoc Gratiani decretum, quod non ſine erroribus compoſitum ſcimus, ut docti omnes notant; ſæpe autem errat turpiſſime in Conciliorum Canonibus, Patrumque dictis, ac Pontificum conſtitutionibus notandis. Quapropter licet Trithemium in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in vita Gratiani aſſeruiſſe legimus, ab ipſomet Eugenio III. Pontifice hunc decreti librum fuiſſe confirmatum, tamen de hac dubitatur confirmatione, Felinus autem num.49. de ſcript. cum aliis notavit ex uſu tantum, ac conſuetudine eſſe approbatum, ac præcipue in Accademiis, & foro acceptum poſt ejus emendationem, a clariſſimis viris factam, jubentibus tribus Romanis Pontificibus Pio IV., Pio V., ac Gregorio XIII. Sed in Gratiano purgando ab erroribus præ ceteris emicuit clariſſ. & doctiſſimus Antonius Auguſtinus Epiſcopus Ilerdenſis libro inſcripto de emendationibus Gratiani, qui iterum editus eſt, cum eruditiſſimis Stephani Balutii obſervationibus. At cum nec etiam conſtet Gratiani decretum fuiſſe approbatum, ut plures inquiunt, a Gregorio XIII., nam is Pontifex dum curavit, ut Gratiani liber typis mandaretur, illum reſcripto ſuo Apoſtolico non confirmavit, ſed ſolum probavit emendatiorem operis editionem. Hinc interpretes volunt, tantum illi libro eſſe tribuendum, quantum res ipſæ ex ſe ponderis haberent. Rubricas autem, ac ipſius Gratiani dicta, interpretes judicant, tanti habenda eſſe, quanti Doctoris ſententia valet, quoniam ipſe poteſtatem habuit legis interpretandæ, non autem condendæ, ideoque fas eſſe ab iiſdem diſſentire, & Gratianum eraſſe aſſerere, ut Joan. Andr. ad cap.2. de reſcriptionib. notat; itidemque nullam juris auctoritatem habent, quæ in ipſius decreto paleæ dicuntur. His tamen in contrarium poſitis, ſi verum amamus, fatendum a nobis eſt, omnes doctos multum Gratiano debere, ſuo enim in libro non ſolum multos concilia-

vit Canones, unde ejus opus a quibuſdam eſt vocatum *Concordia diſcordantium Canonum*; verum etiam penitiores Patrum, Conciliorumque ſententias ſummo labore comparatas attulit, ut cum aliis Duarenus ſcripſit lib. de Sacris Eccleſ. miniſt. Quapropter non ſolum fuit in Accademiis receptum in quibus publice legitur, verum etiam in Curiis, præcipue poſt relatam emendationem Romanorum Pontificum juſſu factam, ac propterea verum communiter aſſeruiſſe interpretes creditur, eum fuiſſe a conſuetudine approbatum. Atque hoc ſatis ſit de libro Decretorum Gratiani (ſic enim dictum eſt in prima editione) & ad ulteriora procedamus.

Altera autem juris Canonici pars ex reſcriptis conſtat; de quibus ſuperius mentionem fecimus, dum jus civile Romanorum erat oppreſſum, jus Canonicum progreſſum ſumſit, quod Pontificum conſtitutionibus, Imperatorum more emanatis, Canonibuſque Conciliorum componitur, & hæc omnia ſunt in libris quinque decretalium, in sexto, in Clementinarum, atque in Extravagantium libro, quæ jus Canonicum conſtituunt, cujus originem, & progreſſum operæ pretium erit breviter apponere.

Et primum quidem, ferunt, poſt Gratianum, decretalium collectionem a Bernardo Præpoſito Papienſi ſub Alexandro III. P. fuiſſe factam: hæc autem collectio comprehendebat tum conſtitutiones, quæ poſt Gratianum, Pontifices edidere, cum cetera omnia notatione digna, ab eodem omiſſa Auctore, ut Ant. Auguſtinus ſcripſit in antiq. collection. decretalium in præfatione.

Poſtea a Joanne Vallenſi ſub Alexandro IV. fuit ſecunda collectio facta, quæ, ut Joan. And. in additione ad ſpeculum notat ex duobus Compilatoribus Gilberto ſcilicet, & Alano tranſcripta fuit.

Tertia vero Innocentio III. P., cujus mandato fuit collectio a Petro Beneventano Notario ſuo ornata, ut Cujacius aſſerit ad cap.24. de ſponſalib. gloſſ. ad cap.18. de præbend. v. confirmatum.

Sed

Sed quartam collectionem ipſemet Pontifex Innocentius III. exaravit, conſtitutiones ſuas, generaleſque Canones Concilii Lateranenſis comprehendentem, Teſte Joan. And.ad cap.25. de verborum ſignificat.

Quinta autem Honorii III. P. collectio ſuas continens conſtitutiones, ut Cironius in præfatione decretal. ſcripſit, quæ vero fuit minime edita, & ideo Ant. Auguſtinus quatuor primas collectiones in lucem proferens, hanc quintam omiſit: deinde vero in Albigenſi Bibliotheca inventa eſt, ac ab Innocentio Cironio Tholoſanæ Academiæ Cancellario, cum doctiſſimis fuit edita gloſſis.

Sexta demum collectio a Raymundo de Pennafort jubente Gregorio IX. Pontifice, fuit exarata, univerſas conſtitutiones in prioribus collectionibus inſertas, omiſſaſque comprehendens, & hæc fuit anno 1230. ſcripta. Verum & in hac laudatus Pontifex plures ſuas conſtitutiones inſeruit, eædemque ſæpius nemini ſunt directæ, ut Cujacius obſervat ad cap. ult. de ſentent., & re judicata. Sed quamvis ipſemet Pontifex aſſerat in §.penult.in proëmio decretal. a se multas res rejectas fuiſſe inutiles, de hac tamen rejectione recte conqueruntur interpretes. Nam non minus multa obſcura adjeciſſe oſtendunt, quam & utilia detraxiſſe, quapropter ſæpe priores ſunt conſulendæ collectiones, ut Ant. Auguſtinus lib. 1. Emendation. Gratiani cap. 20. notat: Et Cujacius inquit ad cap.13. & 15. de re judicata, & ad cap.46. de teſtib., ac cum aliis ipſemet Ant. Auguſtinus affirmat ad cap.10. de ſponſalib., quod Gregorii IX. decretales, ſæpe ſine ope antiquarum collectionum, intelligi nequaquam poſſunt.

Sed ſextus decretalium liber quinque etiam alios continens libros fuit a Bonifacio VIII. P. Berengarii tamen Epiſcopi Biterrenſis, & Gulielmi Archiepiſcopi Ebredunenſis, ac Riccardi de Senis, ſive Malambri Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellarii labore compoſitus anno 1297. ut ex §. nos ad apicem in proëm. VI. colligitur. Is tamen liber Innocentii IV. Gregorii X. & Auctoris comprehendit conſtitutiones,

ſimulque & eas a Gregorio IX. promiſcue poſitas declarat.

Clemens itidem V. Canones Viennenſis Concilii, ſuaſque collegit conſtitutiones, quas clementinas appellarunt, vel Joanninas, quoniam anno 1317. fuerunt a Joanne XXII. ejus Succeſſore publicatæ, ut aſſerit Mart.Pol.in clem.5.gloſ. in proëm. clementinarum. In jure vero Canonico vim quoque legis habent extravagantes, & communes conſtitutiones a Joanne XXII., ac ab aliis editæ Pontificibus,ut Franc. de Pavin. in præfation. extravag. ſcripſit. Illæ vero quæ extra juris Canonici corpus exiſtunt, nequeunt leges dici, vel allegari, quod eſt de Cancellariæ regulis quoque intelligendum, quoniam a Pontificibus mutari, ac derogari poſſunt, & ideo Bullæ, ob earum inſtabilitatem, fuerunt vocatæ.

Ex uſque adhuc dictis apparet, quod Romani Pontifices peculiare legum corpus Eccleſiæ dedere, non minori quippe laude, nec diverſa methodo, quam Juſtinianus toto in Romanorum Imperio olim fecerat: nam Gratiani decretum inſtar Pandectarum civilium fuit confectum; epiſtolæ itidem Decretales ad modum Juſtinianei Codicis; & Sextus, Clementinæ, & Extravagantes, tanquam Juſtiniani Novellæ, ut aſſeruit Vulterius in juriſprud. Roman. in prolegom. Verum etſi inſtitutiones deerant Canonicæ, hæ tamen fuere etiam a Lancellotto Pauli IV. P.juſſu compoſitæ anno 1580., quanquam non fuerint, multis de cauſis probatæ ab eodem Pontifice. Lancellottus autem publici juris eas fecit, illuſtribus viris probantibus, ut ipſemet Auctor in ſuis inſtitut. juris Canonici in principio aſſerit: in dubio etiam eſt an a Gregorio XIII. fuerint deinde, juris Canonici corpori adjunctæ.

Hac ratione, & methodo tandem aliquando jus Canonicum omnibus numeris eſt abſolutum, exactum vero ad normam, & exemplum juris civilis. Atque id cauſæ fuit cur a nobis juris Romanorum ortus, & acceſſio quoque hic deſcriberetur, nec non variæ ejus vices ſub gentibus Barbaris, quo tempore jus Canonicum, ex oppreſſione alterius,

tra-

traxit progreſſum. Verum jus Eccleſiaſticum cum civili convenit, non ſolum ſi corpus utrumque legum ſpectetur, verum etiam ſi cohærentia, & illuſtrationes, ac gloſſæ in utroque corpore factæ a viris ſapientibus non Catholicis modo, ſed etiam Proteſtantibus. Quod ſummæ laudi Romanorum Pontificum cedit, & facit ad hominem contra Auctorem civilis hiſtoriæ, qui, per ſummam impudentiam, Pontificiam legum condendarum auctoritatem, veritus non eſt, oppugnare. O temeritatem prædicandam! quas leges Novatores ipſi in dubium revocare non ſunt auſi, ſed exornarunt interpretationibus, notis, commentariis, ut videre eſt apud Foſterum, Doviat, Valentium, & Fichardum de vita Juriſconſult., has ipſas leges, atque auctoritatem legislatoris, Catholicus homo (ſi inter Catholicos adnumerandus eſt, qui ſacra profanis, humanis divina commiſcet; & omnia vel ſanctiſſima Religionis inſtituta, deridet, explodit, blaſphemat) hic inquam homo in dubium vocat, & perfricta fronte negat. Sed pœnarum nobis, & Religioni, pluſquam optabamus dedit. Verum ut ad rem redeamus, ex interpretationibus factis a viris in re literaria principibus,tantum auctoritatis acceſſit juri Canonico, ut cum ipſo civili jure contendat, atque certet: multis vero in rebus pari ratione concurrant, ſibique invicem aliquando cedant. Atque hanc interpretes regulam ſtatuerunt; quod ſi caſus occurrerit obſcurus, vel ambiguus in civili jure, vel non expreſſus, aut ſaltem non omnino deciſus, verum hic câſus inveniatur clarus, apertuſque in jure Canonico, ſtandum ſit in utroque foro Canonum judicio; & e contra. In quam ſententiam frequentes iverunt DD. in cap. 1. de novo opere nunciando; attamen ſi aliquid diverſo modo in alterutro jure ſit deciſum, hoc in ſuo foro, ac dominio vigebit, ſicut præter alios ſcripſere Farinacius in lib. 2. deciſionum criminal. deciſ. 27. num.5. & Decianus lib.2. tract. criminal. cap.18. Verum taciti præterire hic non debemus opinionem DD. aſſerentium, quod ex Canonibus ſumendum ſit in utroque foro cauſæ judicium, quæ ſalutem æternam reſpiciat, quoniam jus civile

ſpon-

ſponte tunc Canonico cedit, ut habetur ex Joan. And. ad cap. 1. num. 5. de novo op. nunciando. Hujuſmodi eſſent cauſæ de uſuris, quæ ſunt Canonico jure decidendæ, vel de præſcriptione,etiamſi contra jus civile ab ipſo fuit definitum, nunquam malæ fidei poſſeſſorem, præſcribere poſſe, ut in cap.fin. de præſcript.cap. poſſeſſor 2. de reg. juris in VI. Præterea Canonicum jus ſequi Judices debent in matrimoniorum cauſis, & ideo ſententia valuit non minus, ut nuptiæ ſine conſenſu Parentum licerent (intellige extra Galliam, ut Roye advertit, diverſam referens Gallorum eſſe ſententiam ex l. 2. ff. de ritu nupt. & ex Decalogi præcepto: neque in Galliis militat hac in parte Concilii Tridentini decretum, quod ad diſciplinam pertineat) inſuper etiam ſi rapta nuptias cum raptore contraheret, vel ſi uxor ſuperſtes infra annum luctus denuo nupſerit: nam licet jus civile in his cauſis multas propoſuerit pœnas, attamen DD. inquiunt jus Canonicum, quod eas delevit in iiſdem eſſe ſequendum, ut Covarruvias de matrim. p.2. cap.3. §.1. n.1. & 6., immo DD. aſſerunt, jus Canonicum civili prævalere dum inter se pugnant, & de æquitate agatur, nam ex jure Canonico eſt benignior sententia ſequenda, utplurimi notant.

Verum enim vero utriuſque juris inquiunt interpretes, inter jus civile, & Canonicum conſonantiam adeſſe, & societatem, ut Vaſquez lib. 2. controv. illuſtr. cap. 88. n. 28. notat, & Farin. in lib.2. conſ.100. n.25., nam ſi contrarietas non invenitur, a jure Canonico, intelligitur, jus civile fuiſſe approbatum, neque ab hoc diſcedendum eſt, niſi deciſio expreſſa in illo jure extiterit, nam alioquin ſemper arbitrandum eſt utrumque jus conveniſſe inter se, ut a plurimis notatur; & Cujacius aſſeruit, quod alterutrum ſine alterutro conſiſtere nequit, communique se mutuo amplecti vinculo; quod etiam ait Rebuffus tractat. nom. q.5. nu.14. Verum aliter quidem evenire non poterat, cum enim ſit jus Canonicum ad Cæſarei juris normam conditum, & ex interpretibus Romani juris, magna decretalium compoſita ſit pars, propterea illum cum Cæſareis legibus conveni-

re

re ſæpius obſervamus. Quod vero nonnulli scriptores perperam Romanos redarguere Pontifices, qui conſtitutionibus latis, Eccleſiaſticas res non minus, quam profanas caviſſent, non ſecus ac falcem in meſſem immiſiſſent alienam; noſcant hi maledici, illis in conſtitutionibus, Pontifices summa uſos eſſe juſtitia, prudentia, æquitate. Et ſane Alexander III. civilium peritiſſimus legum, primus juſſit, ut inſtar juris Romani cauſæ in Eccleſiaſtico agerentur foro, quem Innocentius III., Honorius III., Gregorius IX., Bonifacius VIII., Clemens V., & alii Pontifices ſecuti ſunt, atque horum omnium conſtitutiones, vel in civilibus cauſis, etiam illi Principes de Pontificum contendentes auctoritate, non ſunt indignati in ſuis judiciis amplecti. Principes enim Germaniæ Proteſtantes, ceterique alii, qui Pontificiæ oblatrant poteſtati, jus Canonicum e ſuis ditionibus non expulere. Licet enim in Saxonia juris Canonici libros impius Lutherus igni damnaſſet, populus tamen eorum uſum omnino non abrogavit, ut refert Carpzov. in jurisprud. Rom. Saxon. p.1. conſ.21.def.2. quin immo illud jus ſanctiſſime ſervatum eſt integrum ab ipſis Proteſtantibus, ut in Auguſtana confeſſione art.16. declaratur. Addit Cothmannus in reſp. 30. vol.1. n.76. non modo in Saxonia, verum & in reliquis Proteſtantium Academiis publice exponi, & doceri. Quid? quod Galli ipſi, omnia aliena jura faſtidientes, ex præſcripto juris Canonici judicant in ſuis Curiis, teſte Rebuffo ad conſtit.Reg. in proœm. dum vero propriæ leges, conſuetudinesve deficiunt, sexto tantum rejecto decretalium libro, nec unquam ab iiſdem accepto; & in cauſa duo ſunt, ut docti autumarunt; & quod fuerit a Bonifacio VIII. hic liber compoſitus, inter quem Pontificem, & Philippum Pulchrum Galliæ Regem perpetuæ contentiones, & cauſæ irarum fuerunt: & quod hic decretalium liber plurimum Regni, Eccleſiæque Gallicanæ jura imminuat. At præterea dubitarunt etiam de ejus auctoritate DD., quoniam fuit, juris Canonici corpori conjunctus, atque iccirco multa de eodem libro ſcripſere. Reliqui vero libri juris Canonici a Gallis explicantur

tur in Scholis, ut Bouchell. in decret. Eccleſ. Gall. refert lib.5. tit.14. cap.36., quod faciunt etiam Hiſpani ex teſtimonio Azeved. ad conſt. Reg. Hiſpan. lib.1. tit.1. n.18., & aliorum. Addunt ſcriptores a plurimis populis, ex jure Canonico, ſuarum legum maximam partem eſſe deſumtam, ut obſervari poteſt apud Cothmannum reſp. 4. n. 52. & reſp. 30. n.70. vol.1. Apud Anglos quoque conſtat jus Canonicum fuiſſe receptum, ut Cujacius refert ad cap. 38. de appellat. Deſunt vero & in communi jure nonnullæ difficiliores controverſiarum deciſiones, quas tamen ex gentium, vel naturæ legibus decerptas Cujacius notat ad cap.15. de ſententia, & re judic. in Canonico jure reperiri. Præterea tanta utriuſque juris concordia eſt, ut Cironius in paratitl. lib. 5. decretal. in præfat. aſſerere non dubitarit, eum penitus utrumque jus ignorare, qui unicum tantum ſe ſcire credit, cui & Cujacii verba conſonant ad cap. quo ad conſultationem 15. de ſententia, & re judicata, rudes Canonum eſſe habendos interpretes, ſi Romanarum legum peritia deſtituantur.

His itaque Doctorum hominum auctoritate firmatis, nullus, quod ſciam, cum Auctore civilis hiſtoriæ affirmabit, Pontifices Romanos altius evexiſſe jus Canonicum neſcio qua cupiditate dominandi, ut non ſolum cum civili jure certare, ſed longe antecellere videatur, ac propterea contra omnia perfectæ gubernationis præcepta, uno in Dominatu, duo legum corpora ſurrexerint diverſa, fecunda controverſiarum inter Sacerdotium, & Imperium. Sed fallitur, & fallit Auctor hiſtoriæ civilis, ut cuique attendenti utriuſque juris concordiam, patet. Hæc tanta, igitur, opinionum moſtra ipſe excogitavit odio in Eccleſiaſticam juriſdictionem incitatus; melius fortaſſe ſcripturus ſi non ſcripſiſſet; aut ſi inter moderationis cancellos vehemens ingenium compreſſiſſet, Nicolai Summi Pontificis verborum memor: *Non autem vobis licet Clericos judicare, cum vos magis ab ipſis conveniat judicari*, quibus etiam illa Concilii Lateranenſis v. reſpondent: *Cum a jure tam divino, quam humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit*:

quod

quod clarius explicatur can. 1. Concilii Friſigenſis, quem refert P. Labbè, ibi: *Quia privilegium fori Eccleſiæ eſt immediate a jure divino, quandoquidem nec conſenſus, nec tolerantia excuſare poteſt*, ipſumque Concilium a Julio Marcelli in ſuo Memorial. Chronol. notatur fuiſſe celebratum anno 1440. Quid quod Auctor hiſtoriæ civilis perperam intellexit Domini dictum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*? Rectiſſime a quodam Gallo explicatum Anonymo, his verbis, nempe Dominum voluiſſe oſtendere Principes hujus mundi fore non ſolum naſcente Eccleſia ut Regna non amitterent, verum etiam quod Eccleſia non habeat ſua, ex mundanis juriſdictionibus fundamenta, ſed quod auctoritatis, juriſdictionisve habet ad ejus Regnum conſtituendum, non a Principibus, ſed a Deo, fuiſſe derivatum. Vide hanc in rem Recevil. des actes titres &c. per Joan. le Gentil tom. 1. tit. 2. cap. 9.

At hic, alius e Gallia Anonymus Auctor, novam profert opinionem. Neſcio enim qua ductus ratione aſſerit, ad evertendum funditus abſolutum, ut ajunt, regimen Eccleſiæ, duo ſimul fuiſſe in Eccleſia Pontifices Petrum ſcilicet, & Paulum, quod ut probet, innumera, peſſime intellecta, teſtimonia SS. Patrum congerit, quorum explicationes aperte in Auguſtino de Bellis habentur libro de abſoluta Divi Petri Monarchia, ubi refutat hoc ſomnium opinionis, quam opinionem Pontifex Innocentius X. Apoſtolica auctoritate jugulavit, & ut hæreticam notavit. Nec nobis argumenta deeſſent, ſi vellemus in ejus confutatione detinere lectorem: ſed argumentis abſtinemus quippe quia jam fuit a laudato Auctore hoc inſanum opinamentum penitus exploſum, & judicamus ſatis eſſe advertere, quod inter Pontifices Romanos Paulus nunquam fuerit numeratus: Quorum ſeriem Auguſtinus Epiſtola 165. ſic deſcribit: *Petro ſuccedit Linus, Lino Cletus: Cleto Clemens &c.* Optatus Milevitanus in lib. 2. contra Parmen. *In Cathedra Romæ ſedit primum Petrus: Succedit Linus: Lino Cletus &c.* immo Patres ex ſolo Petro

Pontificum ſucceſſiones deducunt; ſic Divus Chriſoſtomus homilia 13. in epiſt.2. Timoth. ſcripſit: *Linus Secundus, poſt Petrum, Romanus Epiſcopus fuit*; & S.Ireneus lib.3. adverſus hæreſes. cap.3.: *Poſt Petrum Linus*, & Nicephorus in ſua Chronologia ſic notavit: Primus Petrus, ſecundus Linus, tertius Cletus &c.; verumtamen hic arbitror haud eſſe prætereundum, Tertullianum, atque Optatum Milevitanum erraſſe, aſſerentes Anacletum Clementi ſucceſſiſſe, tanquam ſi hic diverſus a Cleto fuiſſet, cum ab Epiphanio, ac Rufino, contracto nomine, & diminuto, Cletus fuerit appellatus. Fallitur quoque Cl. Pagi hac in re, fortaſſe quod magnam Damaſi invento Chronico, fidem habuit, quæ apertos, evidenteſque Chronologiæ continet errores. Tenebras quoque offundit diligentioribus etiam Scriptoribus nominis Cleti, & Anacleti ſimilitudo; quamobrem credidere duos diverſos fuiſſe Pontifices, Cletum, quem conſtituunt ante Clementis Pontificatum, cui Anacletum dant ſucceſſorem, ſicut Jul. Marcelli, & Vallemontius notarunt; aut ambo ante Clementem, ut Baronius ſcripſit, vel modo diverſo ut in antiquo legitur Pontificali, cui nullam, Tillemontius advertit, habendam eſſe fidem. At videndus eſt Du-pin Biblioth.p.78., Fleury in hiſtoria Eccl., ac Natalis de Alexandro tom.3. Verum optime, more ſuo, Tillemontius notavit, uſque ad Divi Pontiani Pontificatum ad annum ſcil. 231. difficillimum eſſe, & plenum laboris opus, Ordinem texere Pontificum, eorumque Pontificatus durationem exactius adnotare. Nam Pontificum Chronologia uſque ad Pontianum, multum obſcuritatis habet, atque difficultatis. Quæ difficultates multorum bene de Eccleſiaſtica Hiſtoria meritorum, reſtrinxerunt alacritatem, conatumque dejecerunt, ut longo poſt tempore, & labore, ab incepto opere ipſi abſtinuerint, ultro fatentes, operam hac in re elucidanda, abuti. Nos vero, ne in hac noſtra Diſſertatione aliquid deeſſe videretur, quod ad Pontificiam rem faceret, non alienum a propoſita materia duximus,

pro.

pro Coronide Pontificum seriem, licet tot, tantiſque difficultatibus obſitam, apponere. Et fore putamus, ut hæc methodus Lectori probetur, tum quod ordine res geſtæ Pontificum, & tempora Eccleſiæ narrentur, cum etiam quod uno pene intuitu, Univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ſtatus, apparebit.

FINIS.

EXACTISSIMA
PONTIFICUM
ROMANORUM
SERIES.

QUanquam omnibus notum ſit, Chriſtum Dominum, Divo Petro, ſuæ Eccleſiæ regimen primum commiſiſſe, ipſumque Petrum eandem, nullo socio, nullo collega multis annis gubernaſſe: de ejuſdem tamen martyrii tempore non una eſt omnium opinio ſcriptorum. Nam P. Pagi aſſerit eveniſſe anno 63., Tillemontius 66., Vallemontius 67., Baronius, Julius Marcelli, & Nat. de Alexandro anno 69., ex quo ſequitur, quod nec etiam proprie Lini P. potuerint ſucceſſionem aſſignare, quæ tamen ad annum 68. caderet: licet laudati Patris Pagi opinio de Lini Papæ morte, ac Succeſſore multum ab aliorum ſententiis diſtet, etenim is paucos poſt menſes eidem ſucceſſiſſe Clementem ſcripſit, cum Vallemontius, & Tillemontius velint a Lino fuiſſe uſque ad annum 78. Eccleſiam Dei geſtam. Nec ambo hi Auctores diſcrepant inter se, dum referunt Anacletum (qui fuit Cletus ab Epiphanio dictus) Lino ſucceſſiſſe, ipſumque uſque ad annum 91. Eccleſiam gubernaſſe. Simulque conveniunt dum aſſerunt Clementis Papæ martyrium anno 100. eveniſſe, quod in dubium fuit aliquibus ſcriptis poſitum, Lutetiæ editis, a Paulo IV. Pontifice damnatis, ſicut Sixtus Senenſis in Biblioth. ſanct. refert. Incaſſum igitur laboraſſe, aſſerendum eſt, Claudium Salmaſium in ſuis Epiſtolis ubi probare, ſi ſuperis placet, nititur, Linum, Anacletnm, ſive Cletum, & Cle-

& Clementem principes fuiſſe Presbyteros, a Beato Petro ad Romanæ Eccleſiæ curam electos, nec poſt Petri obitum unquam ad Epiſcopale munus, evectos. Summam hominis audaciam, vel potius impudentiam ad evertendum Hierarchicum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ regimen! quotus enim quiſque eſt, qui neſciat ipſos fuiſſe Petri coadjutores? de Lino autem ſic Tertullianus contra Marc. cap. 9.: *Petrus in Cathedra, qua ſedebat, conſedere juſſit Linum*, de Anacleto, ſive Cleto ſic Marianus Sotus ad annum 71. *Cletus ſedit vivente Petro, non ut Pontifex, ſed ut coadjutor*: de Clemente demum ſic Florent. Wigernienſis ſcripſit lib. 2. Chron. *Sanctus Clemens non ſolum Succeſſor Sancti Petri fuit, ſed etiam decem annis ante Petri paſſionem, Romanam Cathedram tenuit*: At vero ex his tribus, licet ſimul, Petro adjutoribus in Pontificatu, unum Clementem Succeſſorem Petrus ſibi adſcivit. Is vero Petri Cathedram renuit tenere, niſi illam primum Linus, atque Anacletus occupaſſent, ut Epiphanius putat, ex ejuſdemque epiſtola confirmatur. Quapropter nullus dubitandi locus eſt, quin ſinguli obtinuerint Pontificatum, ut S. Ireneus, Tillemontius, ceterique omnes ſentiunt ſcriptores; nec quidquam officiunt diſpares Auctorum ſententiæ de tempore ſucceſſionis.

Et ſane duo Galli, non infimæ notæ, Auctores Vallemontius, ac Tillemontius differunt inter ſe in Clementis Succeſſore aſſignando, nam Vallemontius, ut notavimus, Cletum ab Anacleto diverſum fuiſſe credidit, & ideo poſt Clementem perperam poſuit Anacletum; Tillemontius autem refert illi Evariſtum ſucceſſiſſe, illumque anno 109. vita functum: licet alii, qui ante ipſum collocant Anacletum, ejus mortem anno 119. aſſignant. At hic error adeo communis inter ſcriptores omnes rerum Eccleſiaſticarum fuit, ut ejus cauſa ſeries, atque ordo Pontificum ſit immutatus, in eorumque ſucceſſionibus enarrandis craſſiſſime impegerint multi. Nos vero ad confuſionem vitandam, varias ſcriptorum opiniones hic referemus ex ordine. Tillemontius inquit, Alexandrum Evariſti Succeſſorem obiiſſe anno 119., deinde Sixtum I. an-

no

no 128., Teleſphorum anno 129., Iginium an.142., Pium an. 157. Vallemontius autem Clementis obitum ponit an. 101., Anacleti 110., Evariſti 119., Alexandri 130., Sixti I. 141., Teleſphori 152., Iginii 156., Pii 165., Aniceti 173., Soterii 177., & Eleuterii demum anno 192., ac in omnibus quidem Catalogis tempora notantur diverſiſſima ratione, ut apud Jul. Marcelli, & alios videri poteſt. Sed quanquam in re tantis obvallata difficultatibus veram inveſtigare, & proferre ſententiam difficillimum ſit; attamen arbitramur Tillemontium potius, quam alios, eſſe ſequendum. Et profectò extra dubietatis aleam poſitum eſt, Juſtinum Martyrem secundam exaraſſe apologiam an. 150., ac in eadem de Marcione locutum fuiſſe hæretico, tanquam celeberrimo. Sed ex Ireneo lib.1.cap.28.,atque ex aliis colligitur hunc hereticum, nequaquam fuiſſe magni nominis ante Pontificis Iginii mortem; dicendum igitur eſt, longum temporis ſpatium interceſſiſſe inter ejuſdem Pontificis mortem, & Juſtini apologiam; tam diutiſſimum quidem, ut Marcion e tenebris cum maleſanis ſuis sententiis, erumpere, ac deinde in ſummam famam, vel potius infamiam, venire potuiſſet. Quapropter Tillemontius Iginii obitum rectius poſuit anno 142., quam Vallemontius, qui sex annis poſt compoſitam a Juſtino Martyre apologiam, anno ſcilicet 156. eum adnotavit, quo tempore enunciatus hæreſiarcha, omnibus erat notus. Vallemontium itaque erraſſe ex hac nonnulli putarunt conjectura; ac propterea satius, nobis facere viſi ſumus, ſi Tillemontii opinionem, ut magis veram, in omnibus ſequamur.

Pium P. igitur, Tillemontius retulit, obiiſſe anno 157., eique Anicetum ſucceſſiſſe.

Aniceto ſucceſſit Soterius an. 166., quem Eleuterius an. 177., vel ſeq. excepit.

Deinde Eleuterius ipſe, Succeſſorem habuit Victorem, quem Baronius anno 202. martyrem deceſſiſſe, ac ei Zefirinum ſucceſſiſſe, notat.

Zefirini vero locum Calixtus occupavit an. 217., licet hanc Vallemontius ſucceſſionem ponit an. 219., & illam Urbani.

bani I. Martyris an.224. Verum circa ejuſdem martyrii tempus, ab opinione P. Pagi illum novimus,non diſcrepaſſe; ambo enim denotant factum id eſſe an. 231.

Pontianus ſtatim ſucceſſit Urbano I., & Martyr obiit an. 235., itidemque Anterus ſub Maximiani perſecutione paucis poſt regiminis diebus,martyrii coronam obtinuit.Quapropter an. 236. in ejus locum eſt ſuffectus Fabianus, cui circumvolitare columba viſa fuerat, ut Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 22. ait & plurimis rexit Eccleſiam annis,tandemque Decio Imperante, atque Eccleſiam perſequente, Martyr occubuit.

Cornelius inde Succeſſor multas ſuſtulit a Novatiani pertinacia, vexationes. Is enim a Novato Carthaginienſi Presbytero, Romæ tunc incola, incitatus eſt, ut Summi Pontificis nomen audacter, ſceleſtiſſimeque uſurparet, ſpecie quidem religionis, quod Cornelius P. cum lapſis a fide communicaverat; quapropter hoc fuit ſchiſma illi oppoſitum Africæ. Nam feliciſſimus Africani ſchiſmatis Auctor, jubente Cypriano, a Caldonio, & Erculanio Epiſcopis, fuit, cum ſua ſchiſmatica excommunicatus Eccleſia; quippe quia volebat illos, ſine pœnitentia, in communione fidelium recipiendos, qui perſecutionis tempore fide cecidiſſent.

Novatianus autem e contra, omnem reconciliationis ſpem penitus auferens, novam hæreſim conflavit, ſeque ab Eccleſia ſejunxit teſte Theodoreto lib. 3. hær. At Cyprianus pravam Novatiani electionem cognoſcens, ſe nunquam ſeparavit a Cornelio Pontifice, qui tandem anno 252. ut Tillemontius notat, Gallo, & Voluſiano perſequentibus, in exilium eſt miſſus ad Urbem tunc Centumcellæ dictam, hodie vero Civitatem veterem, ubi ſtatim obiit; eique Lucius ſucceſſit Pontifex, itemque in exilium actus, & anno 253. creditur Romam rediiſſe, niſi Nos fallit conjectura ex 61. Cypriani epiſtola deſumta, eodemque anno obiiſſe, ut etiam Ant. Pagi refert, cui Stephanus P. ſucceſſit.

In Pontificatu tamen Stephani orta eſt celebris de rebaptizandis controverſia. Cyprianus enim cum Africanis Epi-

Epiſcopis putabat Novatiani ſectatores eſſe omnino rebaptizandos, dum ad Eccleſiæ communionem redirent, quod in primo Carthag. Concilio, anno 255. habito, non ſolum fuit confirmatum, ſed additum quoque idem cum ceteris eſſe faciendum hæreticis. Fallebantur enim in hoc, quod crederent, extra Eccleſiæ unitatem, verum Baptiſma dari non poſſe, ut legitur notatum a P. Pagi ad relat. an. ex Pearſ. in annalib. Cyprianicis. Sed Stephanus Pontifex hanc opinionem, cum Conciliis de eadem quæſtione habitis, reprobavit, contrarium ſentiens, licet hanc sententiam, tunc temporis non definiſſet veluti fidei dogma, ac propterea ſimplicem Cypriani maculam, ex reſiſtentia Pontifici facta, contractam, notum eſt ab eodem fuiſſe deletam ſanguine, anno 258. ex Tillemontii calculo, vel ſi Baronio ſtandum ſit, anno 261. Stephanus quoque Pontifex martyr deceſſit an. 257., & ejuſdem fuit Succeſſor Sixtus II., licet Jul. Marcelli, & Vallemontius circa tempus, in his ultimis, ac in aliquibus ſequentibus, variant ſucceſſionibus; Tillemontius autem diſcedens in alia omnia, anno 258. Sixti II. Martyrium eveniſſe notat, unoque elapſo anno illi Divum ſucceſſiſſe Dionyſium Pontificem, martyrem quoque an. 268., ejuſque poſtea locum protinus fuiſſe a Felice I. occupatum uſque ad annum 275., in quo is etiam martyrio coronatus eſt, juxta Tillemontii opinionem. De Eutichiano tamen Succeſſore nonnulli ſcripſere, eundem ſtatim martyrium ſubiiſſe; etiamſi a P. Pagi referatur eum tantummodo confeſſorem deceſſiſſe an. 283., & hoc quoque anno martyrem fuiſſe notavit Vallemontius, eique protinus Cajum ſucceſſiſſe, & Marcellinum poſt illius martyrium an. 296. Pontificatum adiiſſe.

Sed hunc Pontificem Marcellinum, initio anni 304. martyrem obiiſſe, plurimi, fortaſſe aliud agentes, ſcriptores retulere, ut præ ceteris Vallemontius, & Jul. Marcelli, qui in ſuo Chronologico memoriali de ejuſdem ſuppoſito reatu aſſeruit, eum idolis ſacrificare finxiſſe, mortis timore adactum, atque hanc culpam exemplari primum pœnitentia,

deinde martyrio expiaſſe. Attamen Cl. P. Pagi fabuloſum non minus credit martyrium, quam ſuppoſitum idololatriæ crimen, & Sinveſſæ Concilium, ut ad an. 302. notat: quin Natalis de Alex. peculiari confutavit diſſertatione hanc male aſſutam de Marcellino idololatra fabellam, ut fecit etiam vir de Eccleſiaſtica Critica benemeritus Papebrochius. Sed poſt Marcellinum, interpontificium trium annorum, nonnullorumque menſium fuit, uſque ad Marcellum Succeſſorem anno 306., licet Vallemontius Marcelli electionem ad annum ſtatuat 304., quem Pontificem carceribus mancipavit impius Maxentius an. 309., ubi anno ſequenti deceſſit, quo anno etiam Euſebius obiit Succeſſor. Nec Vallemontii probamus ſupputationem Euſebii obitum ſtatuentis ad ann. 311.

Melchiades deinde Pontifex ſalutatus; altero vero hujus Pontificis anno Conſtantinus Magnus ſuperavit Maxentium, qui generoſius perire quærens, in Tiberim ſe præcipitem dedit. Conſtantini autem victoriæ tunc temporis, veluti ſignum aliquod, divinitus in aëre ſublatum eſt Crucis vexillum, hoc titulo: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. Ideſt in ipſo vince, ut multis ſuperius notavimus; quapropter ipſe, publicis edictis, Eccleſiam pace donavit, ſicut Euſeb. lib. 10. cap. 15. refert, & P. Pagi ad an. 312., atque hic annus eſt, qui a Vallemontio, ad hiſtoriæ memoriam adjuvandam, veluti undecima Epocha notatur. Verum etſi inficiandum non ſit, Conſtantinum libenter Catholicam fuiſſe profeſſum fidem, cujus Patronum ſe eſſe oſtendit, Ponticeſque Romanos cohoneſtaſſe nomine Pontificum Maximorum: quod nomen licet ſummo ſemper honore ab Ethnicis Imperatoribus habitum, ipſe vero renuit; attamen inter Auctores non conſtat, quonam tempore, & cujus manu baptiſmate fuerit initiatus; namque Baronius Sylveſtri Papæ acta ſcripſit non eſſe legitima, eorumque falſitas a Cl. Ant. Pagi demonſtratur ad annum 324., hac non ſpernenda conjectura, quod de duplicibus mentionem faciant feſtivitatibus, e quibus ante XIII. ſeculum ne verbum quidem fuit un-

unquam auditum ; quapropter ſupponunt , Conſtantinum fuiſſe baptizatum, extremo ſuæ vitæ tempore . Utcunque tamen ſit , licet de tempore , & loco dubitetur , de baptiſmate vero nullus unquam , quod ſciam , dubitavit . Optime igitur Vallemontius notat, eum fuiſſe primum Imperatorem Catholicum .

Sed tamen eodem anno 312. in Africa Donatiſtarum ſchiſma e latebris erupit , multiſque annis miſere Eccleſiæ ſinum laceravit . Etenim cum Menſurius Carthaginienſis Epiſcopus fuiſſet Romam vocatus a Maxentio Tyranno, hujus iram timens , penes aliquas perſonas reliquit Sacra Eccleſiæ vaſa ; ſed in itinere e vivis ſublato , Cæcilianus in ejus locum fuit ſuffectus , hic autem a Felice Aptugitano ordinatus , ſtatim ſuæ Eccleſiæ ſacra vaſa acquirere cogitavit , quamobrem Cuſtodes , qui ſacra ſupellectili potiri cupiebant cum nonnullis aliis inhiantibus ejuſdem Epiſcopatum , adverſus Cæcilianum ſurrexere , aſſerentes Cæcilianum illegitime fuiſſe ordinatum , ab Epiſcopo ſcilicet Eccleſiæ proditore , quippe qui Eccleſiaſticos tradiderat libros Maxentii Miniſtris . Conciliabulo igitur Cirthæ indicto Cæcilianum innocentem damnant, & Majorinum in ejus locum intrudunt . Sed quamvis ſchiſmatis princeps fuiſſet quidam Donatus a Caſis nigris dictus , non ab hoc tamen , ſed ab alio Donato Majorini Succeſſore, nomen acceperunt , ut Divus Auguſtinus lib. de hæreſib. cap. 69. At læti Donatiſtæ per Africam volitantes , magis magiſque res ſuas confirmant . Ad Conſtantinum in Gallia commorantem,poſt Maxentii victoriam , veniunt , atque ab eo petunt hujus controverſiæ judicium . Ipſe vero cognoſcens ad ſe quæſtionem non pertinere , tribus eam remiſit Epiſcopis , ac Melchiadi Romano Pontifici , qui Romæ Concilio convocato , pro Cæciliano contra ſchiſmaticos decrevit , Auguſtinus epiſtola 92. , & Optatus Milevitanus lib. 1. cap. 10. At provocantibus illis Conſtantinum de hac cauſa , ab eodem his verbis primum rejecti ſunt : *petitis a me in ſeculo judicium , cum & ego ipſe Chriſti judicium expectem* , deinde ejuſdem Conſtanti-

ni opera congregatum eſt Arelatenſe Concilium, in quod 200. convenere Patres, & Romanam confirmarunt Synodum, ejuſque Canones a Nat. de Alex. secul.4. cap.3. recenſentur, quos inter leguntur nonnulli ad hominem schiſmaticos impugnantes, qui aſſerebant ubique jam defeciſſe Eccleſiam, ac ſolummodo in Africa veram extare, atque icciréo rebaptizabant tranſeuntes ad ſuam schiſmaticam Eccleſiam, multaque alia patrabant ſcelera, ut in multis Auguſtini locis videri poteſt. Hoc itaque tempore tantis, tamque aſſiduis tempeſtatibus jactato, Melchiades Pontifex Dei moderatus eſt Eccleſiam, cujus ſanctiſſimam diſciplinam non ſolum sartam tectam ſervavit, ſed de ea, quibus incorruptior in poſterum perduraret, tulit leges, & inſtituta, ut obſervat Scheleſtrates cap.7. art.5. Illi vero Sylveſter primus ſucceſſit anno 314., cujus Pontificatus in non minores moléſtias incidit; nam etſi Donatiſtarum turbæ fuerint quodammodo a Conſtantino Imperatore depreſſæ, namque cum ipſi nec etiam Arelatenſis Concilii determinationi acquieverint, ab eodem obtinuerunt Imperatore ejuſdem cauſæ reviſionem, quæ fuit a Conſtantino tandem facta, remotiſque omnibus arbitris, pro Cæciliano judicavit: cujus rei poſtmodum veniam a Sanctis Antiſtitibus petiit, ut Divus Auguſtinus refert epiſtola 162., ubi etiam hoc Conſtantini judicium, nullo modo ejus juris exiſtens, excuſatione dignum putat. Sed prætereamus ea, quæ deinceps evenerunt, & citato curſu, ad majores illius temporis tempeſtates deſcribendas, veniamus.

Profecto in hoc quoque Sylveſtri Pontificatu Ariana hæreſis, peſſimo illius ævi fato, in lucem prodiit ad labefactandam, vel potius evertendam, ſi fieri potuiſſet, Chriſtianam Rempublicam. Arius quippe Libyade natus, inter schiſmaticos Donatiſtas primo adnumeratus, deinde ad meliorem frugem converſus, & inter Diaconos cooptatus eſt a Petro Alexandriæ Epiſcopo; ſed cum ab eodem Antiſtite Sacramentorum adminiſtratione privati fuiſſent ſequaces Melentii Donatiſtæ Epiſcopi, ira excandeſcens Arius, infremuit,

novaſque res ita molitus eſt, ut excommunicaretur; at poſtea ab Achille Alexandrinæ Eccleſiæ Succeſſore abſolutus, Presbyter fuit ordinatus. Verum Achille vita functo, eidem Alexander ſucceſſit in Epiſcopatu: quam ſucceſſionem ægre ferens Arius, quod ipſe Alexandrinam Eccleſiam peteret, capta occaſione, in quodam Eccleſiaſtico Conventu Alexandro Epiſcopo, recte de tribus Divinis perſonis ratiocinanti, se oppoſuit, diſputationiſque vi abreptus, longius progreſſus fuit, & tandem a vera Catholicæ fidei ſemita aberravit cum ſuis Aſſeclis, de quibus mentionem facit Socrates lib. 1. hiſt. cap. 3. Verum Arianæ partis homines, plurimum crevere, dum Arius Paleſtinam tranſiit, quanquam ipſemet Epiſcopus Alexandrinus multis epiſtolis ſcriptis demonſtraſſet Arianæ doctrinæ perniciem, quas inter eximia fuit illa, quam Theodoretus ſuæ hiſtoriæ inſeruit lib. 1. cap. 4. ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum datam: Sed etiam de his omnibus Sylveſtrum Pontificem certiorem fecit, atque Apologiam compoſuit, eandemque non modo per Ægyptum, ſed per totas miſit Aſiæ regiones, ne ſimpliciores homines ab Arii Talia, facile deciperentur, quam Arii Scripturam recte Conſtantinus flammis damnavit, ac pœna capitis propoſita ejuſdem vetuit lectionem, eodemque tempore ſummam Imperatoris Chriſtiani pietatem, Cæſar oſtendit, erga Epiſcopos, dum ad Concilium Nicænum hujuſce hæreſis damnandæ cauſa, convenirent.

Marcus autem Pontifex anno 336. ſucceſſit Sylveſtro, quem poſt aliquot menſes Julius I. excepit; atque Pontifice Julio Athanaſius fuit ab exilio vocatus, anno nempe 338., licet Valeſius lib. 1. obſervation. in Sacrat. hoc anno ſuperiori eveniſſe probet. Sed cum Athanaſius veniſſet ad ſuam Alexandriæ Eccleſiam, ex qua ejectus ab Arianis in Conciliabulo Conſtantinopolitano fuerat, Ariani excandeſcentes ira, novas in eum calumnias finxerunt apud Imperatorem: nam eas, quas jam antea finxerant a Nat. ab Alex. relatas ſecul. 4. cap. 3. ut impoſturas haberi non minus, quam Arſenii Epiſcopi necem cognoverant, ac propterea hanc Julio I. Pontifici

tifici controverſiam remiſerunt. Sed victi ſunt coram Pontifice ab Athanaſii Presbyteris, nec tamen ſententiam mutarunt; ſed tandem ab eodem obtinuerunt Pontifice, ut ad Romanum Concilium vocaretur, cauſa ſe purgandi ab intruſione in ſuam Eccleſiam, ex qua fuerat dejectus decreto Concilii Cæſareenſis, quod citatus multos menſes neglexerat ſe Epiſcoporum conventui ſiſtere, Sozom. lib.2. cap.15. Attamen hac Synodo improbata, pro Athanaſio ſtabat Alexandrina, coacta anno 339., teſte Nat. ab Alex. ſecul.4. cap. 3. Suorum igitur recte factorum conſcientia confidens, ad Romanum Concilium Athanaſius venit, anno 342., licet a Baronio anno ſuperiori notetur. Nobis vero hac in re ſententia Cl. Pagi arridet, quæ cum illa Natalis conſonat. At in Concilio Romano ſumma laus Athanaſio data fuit, ejuſque fides probata, expreſſa ſymbolo vulgo dicto Athanaſiano. Dixi, vulgo Athanaſiano, nam novi turbas, quas pro Auctore hujus ſymboli excitarunt Eruditi. Cujus controverſiæ diſcuſſio, quanquam nec hujus loci videatur, nec noſtri ingenii; tamen liceat brevibus complecti, opiniones Auctorum hinc inde pugnantium, ne Lectori quæſtionem alioquin celeberrimam, ſicco veſtigio, ut ajunt, tranſiſſe videamur.

Omnes fere Auctores de critica benemeriti, nervos intenderunt induſtriæ, ut oſtenderent laudatum ſymbolum ab Athanaſio non fuiſſe compoſitum; ſed inter eos de Auctore non conſtat. Quesnellus enim cum aliis illud tribuit Vigilio Epiſcopo Tapſenſi, quem Graveſonius tom. 1. Eccleſ. hiſt. floruiſſe ſcripſit ad finem ſeculi quinti, anno nempe 484., dum Neſtoriana, Eutychianaque hæreſes præſertim Orientis vexarent Eccleſias, atque hac de re ſymbolum, Africæ Epiſcopum compoſuiſſe, cum aliis Scripturis, quas vulgavit ſub nomine antiquorum Patrum, & præcipue illo S. Athanaſii ſæpius uſum fuiſſe. Ex his deinde infert laud. Graveſonius, ipſum quoque ſymbolum a Vigilio Tapſenſi compoſitum, ac ab eodem ſub Athanaſii editum nomine. Hoc quidem videtur majus adverſariorum argumentum; quod mul-

multis Auctoribus non infimi ſubſelii probatur. Opinio vero aliorum exiſtimantium ab Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, hoc symbolum fuiſſe exaratum, qui tantummodo fuit in componendo, vel potius è græco in latinum vertendo Athanaſii adjutor, ut Guillelmus Baldeſanus notat in hiſt. Pedemont. non tanti ponderis eſt, ut poſſit admitti. Singularis quoque eſt ſententia Voſſii, & Pithei, Anonymo cuidam Gallo tribuentium; ſicuti illa Miræi autumantis compoſuiſſe Anaſtaſium Sinaitam; vel tandem Vincentium Lerinenſem, ut Joſeph Antelmus ſcripſit, quas opiniones omnes apertiſſime reprobat accurata Chronologia. Rationes vero a scriptoribus contrariæ partis relatæ ad ſuam tuendam opinionem, nequaquam adverſus communem faciunt ſententiam hoc symbolo Athanaſio adſcribentem. At in Athanaſii operibus non invenitur? nec invenitur quoque in Auctorum ſcriptis, quibus illud perperam tribuitur, atque hoc pacto una reſponſiuncula, interrogantiunculæ ſatisfit. Nec Graveſonii achilles argumentorum negotium nobis faceſſit; non enim ſtabit, ſi cum Chronologia collatum fuerit. Vigilium enim Tapſenſem plurimis annis poſt Auguſtinum, & Ambroſium vixiſſe novimus, & tamen apparet iiſdem fuiſſe cognitam hujuſce symboli doctrinam, ac in multis locis, Athanaſiani symboli verbis, eos uſos fuiſſe; atque hinc clariſſimum eſt, idem symbolum tunc temporis extaſſe. Fabulas igitur nobis venditat Juvenin, cum aſſerit verba accepiſſe Ambroſium, & Auguſtinum non ab Athanaſio, ſed ab alio Auctore. Verum eſto ab alio Auctore Patres verba mutuatos eſſe; quid inde? Nec Juvenin ſuam ſententiam hac excogitata ratione firmat. Hoc enim probaret symbolum compoſitum fuiſſe ab antiquiori, non autem Ambroſio, & Auguſtino, recentiori Auctore. At quisnam antiquior hic Auctor eſſet niſi Athanaſius, pro quo ſtat traditio communi Eccleſiæ conſenſu firmata, ſtant rationes, ſtat denique nubes scriptorum, Jacobus ſcilicet Billius in notis ad opera S.Gregorii Nazianzeni latinitate donata, Bellarminus lib.2. de Chriſto cap. 25. Serarius in opuſcul. de symbol. Athan.,

An-

Annatus in apparatu ad Theolog. poſitiv. lib. 4. ac Ludovicus Moreri in ſuo Diction.hiſt. v. ſymbolum, & verbo Athanaſius; licet is nonnulla putet fuiſſe ſuperaddita circa Eutychetis hæreſim, haud diverſam ab illa Apollinariſtarum, quam credimus Athanaſium voluiſſe refellere in art. VI. & ſeq. Etenim omnibus notum eſt, Eutychetem ex illis Athanaſii verbis ſuam hauſiſſe hæreſim: *Sicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus.* Sic enim peſſime argutabat: ſi anima rationalis, & caro non faciunt duas in homine naturas, ſed unam; ita in Chriſto Divinitas, & humanitas non faciebant duas, ſed unam naturam, ut ipſemet hæreſiarcha in Chalcedonenſi Concilio eſt confeſſus. Demum omne adverſariorum dubium fugabitur ex Baronii verbis ad an. 340. n. 11. ibi de Athanaſio ſic habet. *Hic enim Romæ cum eſſet, illud quoque inſigne fidei ſuæ reliquit Occidentalibus monumentum, nempe ſymbolum, quod hactenus Athanaſii nomine in Eccleſia Catholica publice recitatur. Qui enim Romam citatus, ut demonſtratum eſt, ſe contulit judicandum, quantumlibet ipſius fides Catholica omnibus innotuiſſet, ut nulla penitus potuerit ſuboriri ſuſpicio; quippe qui ejus defenſionis cauſa ab Euſebianis tot ærumnas, etiam exilium paſſus eſt: tamen, quod Romanæ Sedis communicationem haud habere licuiſſet, & aliorum Epiſcoporum, qui ad Synodum conveniſſent; nec plene audiendus eſſet, qui reus advenerat, niſi edita publice Catholicæ fidei profeſſione, eademque ex more, latino ſermone, coram Pontifice, & ei aſſiſtentibus recitata.* Sed legenda ſunt etiam cetera verba Baronii in hanc ſententiam, quibus Adverſariorum objectionibus ſatisfit: nos enim ad alia feſtinamus.

Pontifice quoque Julio, ſuæ doctrinæ venenum Photinus evomuit, anno ſcilicet 343. Epiph. in hæreſ.71. & Nat. ab Alex. ſecul. 4. cap. 3. art. 8., quin imo Natalis defendit nunquam a Photino conſuſtantialitatem Verbi fuiſſe admiſſam; damnatus eſt itaque a Synodo Romana anno 349. (licet innumera alia Concilia in ipſum fuerint coacta) in eodem

dem Concilio publice confeſſi ſunt errores ſuos , Urſacius , & Valens , atque a Julio Papa cum Eccleſia Catholica reconciliati , hac conditione , ut amplecterentur Athanaſii communionem , qui ad ſuam Alexandrinam Eccleſiam redierat , mortuo Georgio in eam ab Arianis intruſo , ut Socrates lib. 1. cap. 5. refert . Julius vero his feliciter confectis , e vivis ſublatus eſt anno 352. , quamvis Jul. Marcelli ſentiat , duos ante annos id eveniſſe .

Liberius autem nonnullos poſt menſes Julio ſucceſſit, a Conſtantio Imperatore in exilium miſſus , quod ſubſcribere noluit Athanaſii damnationem, ab Arianis factam . Quapropter cum Eccleſia capite deſtitueretur , Romanus Clerus conſuluit , Felicem in ejus locum ſufficere : ſi fides veteri Cathalogo a P. Pagi relato adhibenda ſit : *Congregati Sacerdotes , & cum conſilio eorum Liberius , ordinaverunt in locum ejus Felicem Presbyterum , Epiſcopum ,* ac propterea idem Cl. Pagi , Card. Bellarminus , Card. Perronius , atque alii ſupra laudati pro firmo habuerunt, Felicem Catholicum, & legitimum fuiſſe Pontificem ; licet Divus Hieronymus referat , & Euſebius, eum a ſchiſmaticis Presbyteris electum fuiſſe ; idcirco inter Eccleſiæ ſchiſmata, Chriſt. Lupus hanc etiam enumeravit electionem . Quo modo autem fieri potuit , ut Liberio inerrante , Felix verus Pontifex habeatur ? Deceſſores Pontifices, ex Eccleſiaſtica hiſtoria novimus , exilia paſſos fuiſſe , nec tamen ad novam electionem Clerus, comitiis actis , convolavit . Tamen id nihil officit nam ſequentibus temporibus hujuſmodi exempla occurrunt , ex quibus non conficitur duos , eodem tempore , Pontifices legitimos in Eccleſia fuiſſe , ut multis ſuperius explicatum eſt . Sed cum Liberius ad Sedem Pontificiam regreſſus eſſet anno 358. , gubernaculo Eccleſiæ iterum admotus , illam ſine offenſa rexit , & tandem martyrio coronatus eſt .

Sed ſublato Liberio anno 366. in factiones populus diſceſſit , ut in Siccinini Baſilica ad centum triginta ſeptem obtruncati fuerint , quod ſuperius notatum eſt . Liberio tandem , poſt tot rerum pericula, Succeſſor datus eſt Damaſus ,

 con-

contra quem Antipapa Urſicinus ſurrexit; ſed cum ejus partis fautoribus, juſsu Valentiniani Imperatoris, per Præfectum Prætextatum ab Urbe Roma ejectus eſt, atque in Galliam relegatus, Sozom. lib. 6. cap. 22. Multa notatu digna occurrerent in Damaſi Pontificatu, ſed nos hanc provinciam hiſtoricis relinquimus, pauca contenti referre. Primum quidem legitur in Chevrau, Damaſum ad Pſalmorum calcem poſuiſse verſiculum, gloriam Sanctiſſimæ Trinitati tribuentem, ut Arianos confunderet, & Macedonianos, damnatos ab eodem Pontifice in ſecundo œcumenico Concilio Conſtantinop. anno 381. Convocavit quoque Romæ Concilium anno 374. ut Apollinaris, Timotheique errores jugularet, de quibus videri poteſt S. Ambroſ. lib. de Incarnat. cap. 6., Greg. Nyſsenus contra Apollinariſtas, Greg. Nazianz. orat. 46. & Nat. de Alex. secul. 4. cap. 3. obiit tandem Damaſus anno 384. & Siricium Succeſsorem habuit.

Siricii autem Pontificis tempore, floruere in Eccleſia ſanctiſſimi viri Gregorius Nazianzenus Conſtantinop. Epiſcopus anno 379., quam ſedem deinde abdicavit anno 381., & decem poſt annos deceſſit, ut a P. Pagi notatur; Divus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, qui Eccleſiam iniit, dum Urbem illam gubernaret anno 375., vel ut laud. Auctori placet ad an. 374. Hic Divum Auguſtinum trigeſimum ſecundum ætatis annum agentem, baptiſmate tinxit. Sed non eſt hic prætereundum, Canticum illud, qnod vulgo adſcribitur his Patribus, falſa ratione adſcribi ex eruditorum sententia; colligitur enim ex M. SS. Codic. fuiſſe a Divo Siſebuto Monaco, vel a Sancto Abundio, vel a Beato Nicetio compoſitum, teſte Cl. Pagi ad an. 338. multos pro Eccleſia Auguſtinus labores ſuſcepit, ut ejus nunquam intermoritura ſcripta oſtendunt, & per vim tandem electus a Valerio Ipponenſi Epiſcopo, Adjutor. Atque deinde invitus, & fugiens Epiſcopus creatus, exemplar Epiſcoporum evaſit. Floruit quoque tunc temporis Gregorius Nyſſenus, vita functus anno 394. & S. Hieronymus, qui ex hebraico idiomate vetus teſta-

teſtamentum in latinum tranſtulit: novum vero ex Græcis Codicibus jam translatum, emendavit. En verba ejuſdem lib. de script. Eccleſ. *Novum teſtamentum Græcæ fidei reddidi, vetus juxta hebraicum tranſtuli*. Hæc verſio a Hieronymo facta fuit Pontificis Damaſi juſſu. Extabat tamen inter tot multiplices verſiones antea editas, de quibus fuit Auguſtinus dicere coactus in lib. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 11. *Qui Scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt linguam, numerari poſſunt; Latini autem interpretes nullo modo*. Extabat inquam in Eccleſia quædam magnæ auctoritatis verſio, ab ignoto Auctore ex Græco in latinum facta, quam Oroſius communiter vulgatam appellavit. Sed cum hæc innumeris erroribus ſcateret; in animum Hieronymus induxit, mendis purgatam Eccleſiæ offerre Scripturam, tutiſſimam fidei regulam. Quamobrem toto conatu tantum opus eſt aggreſſus, & tandem ad unguem perfecit. Scio hic Novatores in contrariam abire ſententiam cum Eraſmo. Sed novi, ſic me Deus adjuvet, novi hominum aſtutias. Statuunt autem a Hieronymo tantum opus non eſſe perfectum, ut ipſis aditus pateat confugiendi nunc ad hebræum textum, nunc ad græcum; atque ſimplicioribus imponendi, ſuis doloſis interpretationibus. Sed qui græcus nunc extat Scripturarum textus a ſeptuaginta duobus interpretibus factus juxta communem Sanctorum Patrum ſententiam, sex viris ſelectis a ſingulis tribubus ſub Ptolemeo Philadelpho, & ſeorſim incluſis in ſeptuaginta duabus cellulis, ut Juſtinus cum aliis ſcripſit in Orat. ad Gentes: quanquam Auguſtinus Calmet hanc fabulam derideat in lexico v. ſeptuaginta. Epiphanius autem ſic diverſimode ſcripſit in lib. de Pond. & menſ. *Triginta sex domunculis par, & par a matutino uſque ad veſperam in Pharo inſula incluſos*. Ut ut autem ſe res habeat (noſtri inſtituti non eſt id examinare) qui græcus, inquam, ſeptuaginta interpretum textus nunc extat, nequaquam hodie inerrantiam præſefert, quippe quia corruptus, vitiatuſque plurimis in locis, ut ex Hieronymo habetur, qui alioquin in ſua verſione græcis, non vero hebraicis literis uſus

fuiſſet, licet in utriſque peritiſſimus eſſet, ut Auguſtinus teſtatur lib. 18. de Civ. Dei cap. 43. *Non defuit noſtris temporibus Presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, & trium linguarum peritus, qui non ex græco, ſed ex hebræo in latinum Divinas Scripturas convertit.* Verum animadvertere non pigeat, qua de cauſa hæc nova verſio tot laudibus celebrata a SS. Patribus, in deſuetudinem abierit, Divi Gregorii Pontificis ſententia, quum alioquin ejus uſus, ad ea uſque tempora viguiſſet, quanquam primum ægre recepta fuerit ex Baronii teſtimonio ad an. Chriſti 231. n. 45. *Accidit vero* (ſcripſit laudatus Cardinalis) *ut ob illam priorem verſionem Latinam, poſterior, a S. Hieronymo tradita, ſperneretur, cum videlicet Occidentalis Eccleſia, antiquitatem extollere conſueta, novos ſonos exhorreſcens, illam Hieronymi primo auditu reſpuerat, quod ſicut a majoribus acceptæ fidei, ita & verborum eſſet pariter tenaciſſima: donec paulatim quænam, qualisve eſſet, omnium Eruditorum ſtudio, & labore proſpecta, pia, pura, vera, ſynceraque comperta, magno honore tandem, ſummaque laude fuerit in Eccleſia, veteri non exploſa.* Sed cum de utrarumque primatu, lis, ut ſolet, exorta fuiſſet, circa S. Pontificis Gregorii tempora, ad eam reſecandam opus fuit alteram ex utriſque componere, ſcribente Baronio ad n. 47. l. c. *Accidit autem poſt Gregorii tempora (quoto vero potiſſimum anno, quove Auctore, incertum remanet) ut quoniam duæ ſimul vulgatæ Editiones, vetus, & nova, diſſentionum, ac contentionum interdum miniſtrarent occaſionem, in diverſa ſtudia ea in re fideles diſtraherentur ab invicem, dum alii veterem, novam alii ſequerentur, & quiſque pro ſua (ut aſſolet) contentioſe differeret, turbas cieret, alteramque defendens, in alteram minus digne inveheretur . . . . Sed Divino afflante Numine proviſum eſt, optimeque conſultum, ut ad Eccleſiaſticum communem uſum una ex duabus, quæ uſui omnibus eſſet Eccleſiis, conflaretur, quæ communis omnibus, atque vulgata uno nomine a cunctis diceretur, exploſa illa veteris, & novæ nomenclatura.* Sed ſufficiant, quæ

huc

huc uſque delibavimus ad notitiam, niſi exactam, neceſſariam tamen de Hieronymi verſione. Qui plura cupit, tractatores harum rerum adeat, nos enim in viam, a qua digreſſi ſumus, pedem referre properamus. Anno itaque 397. Ambroſius obiit Mediolani Epiſcopus, ut Cl. P. Pagi refert, vel ut alii volunt anno ſequenti, quo & Siricium deceſſiſſe Pontificem notatur, eique Anaſtaſium I. ſucceſſiſſe.

Hic vero Pontifex Origeniſtas non ſolum damnavit, verum etiam ad Joannem Jeroſolymitanum, qui pro erroribus Origenis ſtabat, literas dedit. Contra quem etiam fortiſſime Hieronymus ſcriptis ſuis pugnavit, quibus fractus dicitur, & ad meliorem frugem revocatus: conſule Du-pin Biblioth. Eccleſ. in Joanne Jeroſolymit. Scripſit quoque idem Hieronymus apologiam adverſus Rufinum Origeniſtam. Mortuo Pontifici Anaſtaſio I. anno 401. Innocentius I. ſucceſſit.

Atque hoc Pontifice, multa notatu digna occurrunt, primum quidem Divus Chryſoſtomus a Conſtantinopolitana ejectus eſt Eccleſia anno 398., ac in exilium miſſus; deinde fuit ad eandem ab Arcadio Imperatore revocatus, licet per aliquod tempus etiam poſt exilium renuiſſet illam accipere ex Concilii Antiocheni decreto, lato anno 361. ab Euſebianis, quod decretum ab Arianis factum nullo modo cogere poterat Catholicos. Decernebatur itaque ab hæreticis, quod Epiſcopus, etſi injuſte depoſitus per Synodum, niſi ab alia Synodo in integrum reſtitueretur, ex Eccleſia omnino eſſet expellendus. Qua de cauſa licet injuſte, iterum in exilium pulſus eſt Chryſoſtomus a Conſtantinopolitana Synodo, ſpecie quidem Religionis, ſed re vera, ut gratum Epiſcopi facerent Eudoxæ Auguſtæ, cujus res geſtas Catholicis infenſiſſimas, tum in ſermonibus quotidianis, cum in concionibus palam carpebat Chryſoſtomus, ipſamque Eudoxam nomine Erodiadis traducebat; ſed Chryſoſtomus ad Innocentium I. Pontificem appellavit: legendus eſt Du-pin in Biblioth. in qua exactiſſima rerum omnium deſcriptio habetur, & controverſiarum inter Orientis, & Occidentis, Epiſco-

ſcopos, poſt exilium, & dormitionem Chryſoſtomi, quæ in annum Chriſti cadit 407. Duobus vero ferme poſt annis, Pelagius Monachus natione Anglus Origenis erroribus plene imbutus in Sicilia ſuæ ſectæ fundamenta poſuit, poſtea tamen in Africam circa annum 413. tranſiit, ut ex Divo Auguſtino habetur in cap.22. de geſtis Pelagii ad Aurelium Epiſcopum. Contra Pelagium vero, Pelagianos, & Semipelagianos præter hunc librum, plurimos alios ſcripſit Auguſtinus, in quibus evidentiſſimis rationibus firmat originale peccatum longe, lateque in omnes homines (liceat hoc verbo uti) transfuſum, & neceſſitatem Divinæ Gratiæ. Libri vero omnes contra relatos Hæreticos, decimo, & ultimo volumine Operum Auguſtini comprehenduntur, juxta editionem, ſempiternis laudibus dignam, PP. Benedictinorum Congregationis S. Mauri, quorum labore, & ſtudio, ad exactiſſimam criticæ artis amuſſim, quam præbet Mabillonius cap.13. de critica, & regulis in ipſa ſervandis tom.2. de ſtudiis Monaſticis, ordinata ſunt Auguſtini opera, Apocryphis in fine repoſitis. Sed falſa Pelagii dogmata univerſa, cum Aſſeclis ſuis a Pontifice Innocentio I. damnata ſunt antequam decederet anno 417.

Pontifici Innocentio Zoſimus ſucceſſit, qui ſtatim ac Pelagianorum cognovit errores iterum damnavit: expoſuit quoque Patribus Africani Concilii primæ Sedis privilegia, quamobrem damnationem factam ab Africanis Synodis reviſit, atque ab Imperatore Honorio poſtulavit, ut ab Urbe Roma ejiceret Pelagianos, quod factum eſt, ſed obiit Zoſimus anno 418. & ſucceſſorem habuit Bonifacium I.

In Bonifacii Pontificis electione ſchiſma conflatum eſt, quod alii Eulalium elegerant. Sed Honorius Imperator ut ſchiſma evelleret in divinis rebus ſe ſe immiſcuit, peſſimoque exemplo, futuris Imperatoribus, fuit, ut in Pontificum electione aliquid juris vindicarent, aut ſaltem poteſtatem hac in re ſuam, vel potius vim, exercerent. Bonifacio tamen legitime electo, atque de Eccleſia optime merito ex rebus præclare geſtis, ſucceſſit Divus Cœleſtinus I. anno 422.

Hic

Hic Pontifex Pelagianos tertium damnavit, atque ab Italia ejecit, & Neſtorium quoque Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quod ſuam promulgaſſet hæreſim anno 428. in Concilio Romano anno 430. habito damnavit. Sed cum Neſtorius convocationem Generalis Epheſini Concilii impetraſſet a Theodoſio Imperatore, inſcio Romano Pontifice, Cœleſtinus P. Romæ Synodo primum convocata, ſuos Legatos Epheſum miſit, ut Pontificium decretum a Concilio executioni mandaretur, ut apparet ex ejus commonitorio a Balutio edito: Cyrillus vero Concilio præfuit non ſolum tanquam Alexandriæ Epiſcopus, verum etiam ut Vicarius Apoſtolicus. Sed Cœleſtino defuncto anno 432. ei Sixtus III. ſucceſſit, qui fruſtra conatus eſt Pelagium ad meliorem frugem convertere: itaque quartum fuit, idem damnatus in Antiocheno Concilio, anno 435. Quinque vero poſt annis extremum diem clauſit Pontifex, in cujus ſedem ſuffectus eſt Leo I. cognomento Magnus. Pontifice Leone I., præſertim vero ad annum 448. Flavianus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha, coacto Concilio, in judicium ejuſdem vocavit Eutychetem Archimandritam, convictumque damnavit: ſed Eutyches Leonem Pontificem appellavit, reoſque poſtulavit apud eundem, Concilii Patres, quod appellationem ad Sanctam Sedem recipere noluiſſent. Pontifex vero licet a principio benigne excepiſſet Eutychetem, ſequenti tamen anno a Flaviano de omnibus recte inſtructus damnavit. At Eutyches cum Pontifici imponere ſuis artibus non potuiſſet, cum Dioſcoro Alexandriæ Epiſcopo in Flavianum conſpiravit, ſibique facta a Theodoſio Imperatore Synodi convocandæ venia, Epheſi coëgit Concilium. Pontifex vero quoniam tunc temporis, ſe imparem cognoſceret tantis conatibus labefactandis, conventum Epiſcoporum non impedivit, ſed tempori morem gerens, illuc Legatos miſit. Dioſcorus autem, per vim Concilii Princeps, excuſationes Eutychetis, & falſam fidei profeſſionem admiſit, eumque abſolvit, & Flavianum, cui infeſtus antea fuerat, damnavit. Tanto facinori, Pontificis Legati, obviam ire conati

ſunt,

ſunt, ſed male multati a militibus poſitis in Concilii loco, in carcerem conjecti fuerunt. Flavianus autem, Sanctam Sedem appellans, ex vulneribus, & plagis acceptis, obiit eo in loco, quo fuerat impie relegatus. Excanduit, ad tantum ſcelus divina virtus S.Leonis; quapropter Theodoſio Imperatori Legatos miſit, ut renunciarent, quod Latrocinium Epheſinum, & ſanguinolentum ab illo confirmatum, a ſe abrogatum eſſet, & ut noſceret incarnationis doctrinam, ex Pontificia Epiſtola ad Flavianum data. Pontificis Epiſtolam Anatolius Flaviani Succeſſor ſubſcripſit, atque ut oſtenderet ſe omnino obſequentem Apoſtolicæ Sedi, Conſtantinopoli Concilium vocavit contra Eutychetem, & Neſtorium. Pontifex vero non modo Conſtantinopolim Legatos miſit, ad recipiendos in communionem omnes Epiſcopos in conciliabulo Epheſino lapſos, verum etiam alios Nicæam Bithyniæ ire juſſit, quum audivit, quod Martianus Imperator ibi auſus eſſet Generale Concilium indicere, ut Legati Pontificio nomine Concilio præeſſent. Sed translata deinde anno 451. hæc Synodus fuit Chalcedonem. In hac Synodo primum auditæ ſunt Penſiones Eccleſiarum. Nam cum Stephanus, & Sebaſtianus de ſede contenderent Epheſina, Concilium ſtatuit, ut ambo vitam agerent privatam, dignitatem tamen retinentes Epiſcopalem: itaque tertius electus fuit, hoc onere, ut ſingulis annis, illis penderet aureos numos ducentos. Celeberrima quoque ſunt hujuſce Concilii verba in Canone IX. *Si quis Clericus habet cum Clerico litem, aut negotium, proprium Epiſcopum non relinquat, & ad Secularia judicia non excurrat, ſed cauſam prius ad proprium Epiſcopum agat &c.* quæ in Canonum collectionibus videri poſſunt. Sed tandem poſt plurima probatæ ſanctitatis geſta deceſſit Pontifex Leo I. anno 461., cujus cadaver primum humatum eſt in Divi Petri Baſilica; Leonem Hilarius excepit, qui obiit anno 468.

Succeſſor autem Hilarii fuit Simplicius, qui juſſit ut fructus Eccleſiaſtici, in quatuor partes dividerentur, quarum prima ad Beneficiatum, ſecunda ad Eccleſiam, tertia

ad

ad pauperes, & quarta ad ſacros Eccleſiæ Miniſtros ſpectaret. Hic quoque Pontifex rejecit celebre Imperatoris edictum Zenonis, ENOTIKON, ſive unitivum appellatum, quo Imperator ſtudebat cum Eutychianis Catholicos conciliare, edictum autem hæreſim non ſapiebat, ut oſtendit Nat. ab Alex. ſecul. 5. cap. 3. diſ. 17. quapropter perperam Baronius Zenonem hæreticum putavit. Sed Imperatoris edictum ab hæreticis æque ac Catholicis rejectum eſt, propterea quod nec partes inter ſe conciliavit; nec hæreticis fecit ſatis, unde ab his inane vocitatum fuit. Catholicis vero alia de cauſa probatum non eſt, quod ſcilicet iis perſuaſum foret, Seculares Principes nullum jus, auctoritatem nullam in rebus ad fidem pertinentibus habere. Sed demum Simplicio fato functo anno 483. Succeſſit Felix III. vel II., ut illis placet, qui ſchiſma, Liberii tempore, ſtatuunt. Hic Pontifex Romæ Concilium habuit anno 484. ubi Enoticum Zenonis damnavit, atque depoſuit, & excommunicavit Legatos ad Imperatorem Zenonem miſſos, quoniam blanditiis decepti cum Acacio, quo Auctore Imperator ad edictum uſus eſt, ac Patriarcha Conſtantinopolitano, & cum Petro Mongo hæretico in Alexandrina Sede, per ſummum nefas, collocato communicaverant.

Sed Gelaſius I. Felici ſucceſſit anno 492., qui duos poſt annos Concilium Romæ convocavit, & libros Canonicos ab Apocryphis merito diviſit. Verum duæ cauſæ ſunt, cur liber Apocryphus appelletur, quæ rectiſſime obſervantur a Sixto Senenſi lib. 1. sect. 1. Biblioth. Sanctæ, recentiuſque ab Auguſtino Calmet in Diction. Bibl. v. Apocrypha. Sic enim SS. Patribus inhærens Bellarminus de hac re ſcripſerat lib. 1. de Verbo Dei ſcripto cap. 20. *Eccleſiaſtici ſcriptores non ſemper eodem modo hanc vocem uſurpant. Interdum enim vocant ſcripturas Apocryphas eas, quas non conſtat an ſint Canonicæ, & Divinæ, etiamſi ſatis conſtet nullos in eis errores inveniri . . . . . . Interdum autem vocant Apocryphos, libros eos, qui errores admixtos habent . . . . . . Quam ſignificationem Sanctus Gelaſius in decreto de libris*

Eccleſiaſticis, eos libros vocat Apocryphos, qui ſunt editi ab Auctoribus hæreticis, aut certe ſuſpectis. Sed plura perſequi de hac re prohibet feſtinatio. Obiit Gelaſius Pontifex anno 496. ſucceſſoremque habuit Anaſtaſium II. in cujus vita nihil notatu dignum occurrit.

In Symmaci electione, qui Anaſtaſio II. ſucceſſit anno 498. ortum eodemque die Laurentii ſchiſma habuiſſe referunt, cujus partes Anaſtaſius Imperator, & Feſtus Urbis Senator ſequebantur: partes vero Symmaci Theodorus Gothorum Rex. Difficillimis his temporibus Pontifex indixit Romæ Concilium anno 499. in quo ſanctum fuit, pœna depoſitionis, atque excommunicationis propoſita, ne Clerici, dum Pontifex viveret, ſuffragium promitterent pro futura electione. At vero quanquam hoc decreto, Antipapæ ſpiritus compreſſi viderentur, tamen ad penitus ſchiſma extirpandum alterum Concilium Romæ convocatum eſt an. 501. Sed ut ſtetit in Concilio Laurentius, ſic ſubito miſericordia in Patrum animis commota eſt, ut teſte Anaſtaſio Bibliothecario, Nucerinam Eccleſiam gerendam illi tradiderint. In tertio tamen Romano Concilio lex fuit abrogata Odoacris, (qui privatus fuerat Ravennæ, ab Italiæ Poſſeſſore, vita, & Regno) qua vetabat ne Pontifex eligeretur ſine Italiæ Regis conſenſu; atque prohibita fuit alienatio bonorum Eccleſiæ. Verum e Nucerina Urbe Laurentius excedens, ſopitumque ſchiſma renovans, cauſam dedit Theodorico Italiæ Regi se Romam intrudendi, Sanctæque Sedi Viſitatorem mittendi Petrum Altini Epiſcopum, qui ſchiſmaticos protexit, ad cædes, ad rapinas, ad univerſa ſcelera, tranſeuntes in dies magis: quæ, Theodoricus licet Arianus, cum audiſſet, juſſit Synodum eſſe convocandam, in qua controverſiæ omnes reſecarentur. Itaque Romæ convocata fuit anno 503. & Palmaris dicta. Symmacus ſponte ſua Concilio ſtetit, ſeque innocentem, omnique labe purum a Romano Populo injuriis affectum oſtendit. Qua de re innocens Symmacus declaratus fuit, & Laurentius Antipapa damnatus cum Petro Altini Epiſcopo. In hoc Concilio quoque renovati ſunt veteres Cano-

no-

nones, quibus cavebatur ne Epiſcopus a Populo accuſaretur, uno excepto hæreſis caſu. Additum etiam veteribus novum decretum, Romanæ ſcilicet ſedis Antiſtitem judicio minorum Epiſcoporum non ſubjacere. Novi Joannem Launoyo in peſſimam interpretari partem hujus Concilii decretum, Pontificemque, neſcio qua ratione hinc petita, infra Concilium detrudere. Sed profecto, homo diſertus, ſciens prudens hic hallucinatur. Verum illuc redeamus. Eodem Pontifice, in ultima Romana Synodo ſtatutum eſt, ut bonorum Eccleſiæ uſurpatores, veluti hæretici haberentur.

Laudato Pontifici anno 513. Hormisda ſucceſſit, qui multum laboris inſumſit, ut Eccleſiæ pacem redderet, illam, quam Anaſtaſio Imperante, deſideraverat; nam is Chalcedonenſe Concilium penitus rejiciendum eſſe volebat, quod a Romanis Pontificibus, atque a Catholicis omnibus recte defendebatur. Sed tandem aliquando, Juſtino Imperatore, parta Eccleſiæ pax fuit: atque ſtatutum eſt, ut Chalcedonenſe Concilium inter alia œcumenica cooptaretur. Juſſit etiam Hormisda, ſicuti legitur in ejus epiſtola decretali ad Heſperiæ Epiſcopos miſſa, ut quotannis Synodus Diœceſana celebraretur, ad populos in officio, & diſciplina continendos; namque exploratum ſane eſt in iiſdem de rebus ad fidem, & mores ſpectantibus non poſſe agi, nec quidquam de iis rebus decerni, niſi Pontificis R. auctoritas acceſſerit. Verum cum hic Pontifex ſupremum diem obiiſſet, Romanam Sedem occupavit Joannes I. anno 523. per vim a Theodorico Gothorum Rege, Conſtantinopolim ire coactus, ut Imperatori ſuaderet pacem cum Arianis, niſi vellet Catholicos in Italia vexatos. Pontifex igitur ad Imperatorem pervenit, & ab eo ſummo honore fuit acceptus. Proditum quoque eſt in veteribus Annalibus, principem locum in Eccleſia illum obtinuiſſe, ac Romano Ritu rem feciſſe divinam. Eo itaque tempore quum Conſtantinopolim eſt commoratus, Juſtino perſuaſit, ut ab hæreticis perſequendis nunquam ceſſaret, donec aut victi manus darent, aut ab Imperii finibus arcerentur. Quapropter in reditu carceribus

Ravennæ mancipatus, obiit anno 526. Quamobrem miror hic Chevrau aſſerentem; Pontificem Arianis faviſſe, & Baronium putantem genuinas eſſe epiſtolas eidem tributas, dum in illa præſertim, quæ eſt ad Italiæ Epiſcopos, legitur ipſum ibi conſecraſſe Pontificem Arianorum Eccleſias, quod ab ejuſdem conſtantia falſiſſimum eſſe oſtenditur. Melius igitur exiſtimamus Epiſtolam illam eſſe Apocrypham, & ab Iſidoro Mercatore compoſitam, Nat. de Alex. ſecul. 6. cap. 2. art. 3.

Succeſſor autem Joannis I. fuit Felix IV. vel ut alii volunt III., pontificatu potitus ope Theodorici Gothorum Regis. Sed, controverſiis compoſitis ex electione per vim regiam facta, ortis; a Populo, & Clero Pontifex fuit ſalutatus hac conditione, ut Rex illum confirmaret, pecunia accepta, ut refert Caſſiodorus lib. 8. cap. 15. Atque hic mos a Gothis peſſimo publico invectus, atque mordicus a Juſtiniano, & Succeſſoribus, ſervatus, ſeminarium fuit controverſiarum. Colligit Felix ſententias Divi Auguſtini de gratia, atque ad alteram Arauſicanam Synodum miſit, ut legerentur, anno 530. Mortuus eſt eodem anno, Succeſſoremque habuit Bonifacium II. fato quoque functum anno 532. Hunc excepit Joannes II. qui vitam produxit ad annum 535. ex quo anno uſque ad ſequentem vix eam occupavit Agapetus I., nam a Theodato Gothorum Rege Conſtantinopolim ire eſt coactus, ut ejus nomine ageret cum Imperatore Juſtiniano, quod munus exequens vita eſt functus.

In Succeſſoris tamen electione Vigilii ſchiſma notatur, nam verus, legitimuſque Succeſſor fuit Silverius, ſed hic juxta de cauſa cum nollet in Conſtantinopolitanam Sedem Antimum immittere ab Agapeto P. depoſitum in Concilio ibidem habito fuit in inſulam ab Imperatrice Theodora relegatus. At Vigilius quanquam antea ſpoponderat Imperatrici, Chalcedonenſe paulatim derogare Concilium, & Antimum, ac Severum ad Sedes reſtituere; attamen poſt Silverii obitum a Clero in Pontificem acceptus anno 538. promiſſa deſeruit, unde in ſe, Imperatricis iram incitavit. Sed

Im-

Imperator Juſtinianus eum Conſtantinopolim honorifice recepit anno 547. eo invitatum ob trium Capitulorum cauſam, illorum inquam capitulorum unde tot turbæ excitatæ miſerrime Eccleſiam vexarunt. Quamobrem non abs re futurum arbitror, eorum hiſtoriam brevibus hic complecti. A Vigilio Pontifice Theodorus Mopſveſtiæ Epiſcopus fuerat damnatus; damnata quoque duodecim capitula adverſus Divum Cyrillum Alexandrinum a Teodoreto Cyrthi Epiſcopo ſcripta, & epiſtola Hibæ Edeſſæ Epiſcopi ad Marin Perſam. Sed contra hanc trium capitulorum damnationem, Theodorus Cæſareæ Epiſcopus Origeniſtarum Princeps ſurrexit, atque Imperatori Juſtiniano perſuaſit, ut ſua auctoritate, illam revocaret, propterea quod hoc modo hæretici, qui a ſuo capite defecerant (unde Acephali appellati) acciperent tamdiu contemtum Chalcedonenſe Concilium. Juſtinianus itaque lato edicto, vim damnationis imminuere ſtuduit, quam etiam delere Pontifex promiſerat, ſalvis Concilii Chalcedonenſis Sanctionibus. Hac de re Conſtantinopoli Concilium ſeptuaginta Epiſcoporum celebravit anno 548. ut P. Pagi ad hunc annum refert. Sed in varias abire ſententias Patres animadvertens Vigilius Papa, ſuum judicatum edidit, quo firmavit promiſſa; unde a Juſtiniano fuit confirmatum. Sed quantarum contentionum cauſæ hinc exarſerint, ſilentio prætерimus, brevitati ſtudentes. Legendus eſt Nat. ab Alex. ſecul. VI. At Juſtinianus aliud contra tria capitula, multis verbis conceptum edictum, emanavit, atque per loca evulgavit: quapropter Vigilius Pontifex comitiatu Græcorum, Latinorumque Epiſcoporum vocato declaravit omnes extra Eccleſiæ communionem habendos eſſe, qui edictum acciperent; deprecatus quoque eſt eodem tempore Imperatorem, ut illud abrogaret, ſed cum nullus eſſet precibus apud Cæſarem locus, ſua auctoritate uſus Vigilius Epiſcopatu Cæſareæ in Cappadocia, dejecit Theodorum edicti Imperatoris Auctorem, & Epiſcopos omnes, qui pro edicto ſtabant, excommunicavit, tandemque ſe Chalcedoniam tranſtulit. Sed per Imperatoris Legatos Conſtantinopolim vocatus, illuc redi-

redire ſtrenuiſſime renuit, ut ejus conſtantia, Juſtinianus victus omnia ad futurum Concilium remiſerit, ſuumque edictum abrogaverit. Eo in Concilio, quod caput fuit, damnata eſt doctrina trium capitulorum; probatum tandem hoc Concilium fuit a Pontifice, licet primum ægro animo ejus ſtatuta acceptiſſet, quod eadem damnatione, cum ſcriptis, nomina Auctorum eſſent involuta. Demum ab exilio Romam venit Vigilius, multaſque tempeſtates paſſus, ad æternitatis portum appulit anno 555.

In ejus locum Pelagius I. eſt electus, Socius deceſſoris in exilio, ideo inter occidentales Epiſcopos trium capitulorum damnationis abhorrentes revocationem, non fuit, qui eum conſecraret, quapropter conſecratio ab Hoſtienſi Presbytero facta fuit, ſi Baronio credimus ad an. 556. vel ut Nat. ab Alex. ſcripſit hoc eveniſſe, ne ſuſpicio forſan oboriretur, illum cauſam dediſſe, Vigilii deceſſoris, morti: prætereaque addit hunc non modo a Presbytero Hoſtienſi, ſed a duobus quoque fuiſſe Epiſcopis conſecratum. Ipſe autem Pontifex quintum œcumenicum Concilium approbavit, damnavitque iterum tria capitula, ſententiamque Pelagii ſubſcripſerunt omnes Africæ Epiſcopi. Atque hinc natæ ſunt in Italia tot contentiones a ſcriptoribus notatæ in Pontificatu Pelagii, qui vita functus eſt ann. 560. Memoriæ proditum accepimus, poſt laudati Pontificis obitum plurium menſium interpontificium fuiſſe, antequam Joannes III. eligeretur. Sed hoc mortuo anno 573. poſt nonnullorum menſium interpontificium, Pontifex ſalutatus eſt Benedictus I. Juſtinianus enim Gothorum exemplum ſequutus, Pontificis confirmandi ſibi jus vindicavit, eandemque poteſtatem, vel potius vim audaciſſimam ſibi adrogarunt Succeſſores. Per ſummum itaque Scelus Sacerdotio miſere depreſſo, ab Exarcho Imperatoris reſcriptum expectabatur. Sed ad rem redeamus ſucceſſit Benedicto Pelagius II. nulla inter illius mortem, & hujus electionem diecula interpoſita, quippe quia Langobardi Romam præmebant obſidione.

Obiit Pelagius II. anno 590. in ejuſque ſedem ſuffectus

eſt

eſt Divus Gregorius I. cognomento Magnus, licet ipſe de se humillime ſentiret, ut ex ejus epiſtola 36. & 58. lib.4. apparet. At quoniam a nonnullis scriptoribus traditum eſt Imperatorem Phocam primum Pontifices Maximos, nomine Univerſalis Epiſcopi, ornaſſe, dignoſque exiſtimaſſe, qui Patriarchæ quoque Conſtantinopolitano præeſſent, non abs re eſſe arbitror, eorum sententiam hic examinare. Et a principio quidem notum eſt, Summos Pontifices primas ſemper egiſſe in Eccleſia univerſa, antequam Catholicis per Imperatores Chriſtianos pax eſſet reddita. Et profecto hæc sententia a nonnullis probatur epiſtola Marcelli I. P. qui Conſtantinum Magnum præceſſit. Ajunt enim, hunc Pontif. decreto lato caviſſe, ne Concil. celebraretur ſine primæ sedis conſenſu, nullique liceret Epiſcopum damnare, qui Pontificem Maximum appellaſſet. At nos qui novimus ab eruditis literas Decretales, quæ primis Pontificibus a Clemente uſque ad Siricium, qui obiit anno 398. tribuuntur, apocryphas judicari: Card.Cuſan. lib.3. de Concord.Cathol. Baron. ad ann. 665. Thomaſin. P. 2. de veter. Eccleſ. Diſcipl. lib. 2. cap. 59. n.10. Petavius, Sirmondus, Philip. Labeus tom.1. Concil. probamus primatum Pontificis R. epiſtolis Cypriani datis ad Cornelium, & Lucium I. Stephani Præceſſores. Verum tamen eſt Cyprianum in citatis epiſtolis de appellationibus conqueri tranſmarinis. Sed neque hic colligas, illum defectum juriſdictionis notare voluiſſe. Sed ſolum Eccleſiam Africanam hujuſmodi appellationes ad Sanctam Sedem, ante se, nunquam adhibuiſſe. Sciebat enim Cyprianus antiquitatis non ignarus, innumeros Epiſcopos poſt Eccleſiam conditam, Romam ſemper confluxiſſe in cauſa gravaminis, propterea quod Romanæ Sedis primatum perſpectum haberent. Hoc etiam ex Pontificum epiſtolis colligitur, Leonis ſcilicet, Felicis, Gelaſii, aliorumque; & ex appellationibus ad Romanam Sedem a Divo Chryſoſtomo factis Innocentio I. Pontifice, & a Divo Flaviano Conſtantinopolitano Epiſcopo, Pontifice Leone Magno. Atque hinc patet potius dicenda eſſe vinolentorum ſomnia, & optata furioſorum,

quam

quam ſiccorum conſilia, vel cogitata ſapientum illa ſchiſmaticorum effutientium, ibi habendam eſſe primam Religionis ſedem, ubi Imperium reſidet. Contra quam ſtultiſſimam inſaniam calamum ſtrinxit Natalis ab Alexandro. Claudius ipſe Salmaſius Calviniſta in ſuis epiſtolis quoque ſcribit, Pontificem Romanum poſt Nicænum Concilium Patriarchæ œcumenici auctoritate functum in Eccleſia, quam auctoritatem habuerunt ſemper Romani Pontifices, ſed repoſitam tanquam gladium in vagina; illamque exercere perſecutionum tempora, prohibuerunt. Hinc igitur conſtat in Sardicenſi Concilio anno 347. habito, confirmatum fuiſſe, non autem inſtitutum jus ad ſedem appellandi Romanam. Quod vero Pontifices Romani gradu, & auctoritate præſtent Conſtantinopolitanis Patriarchis id illi a Phoca non acceperunt. Imperator enim ſolum prohibuit Conſtantinopolitanis Patriarchis nomen Univerſalis, quod ſibi arrogabant, ut Joannes Jejunator, fecerat. Solus autem Pontifex Patriarcha Univerſalis dicendus eſt ex Romanæ Sedis antiquitate, & ex Petri ſucceſſione. Sed ut redeam ad Pontificem Gregorium, multa ille ſcripſit, quæ ad noſtram ætatem perdurant, quæque ſibi, & Pontificatui Summo ſempiternoque ſplendori erunt, tandem ſublatus eſt anno 604.

Verum poſt semeſtre interpontificium electus fuit Sabinianus, licet Diaconus, cujus Pontificatus breviſſimus ex acerba morte fuit ut a P. Pagi adnotatur ad ann.604., a quo etiam male aſſerta Baronii, aliorumque fabella rejicitur, ſcilicet per quietem a Deceſſore percuſſum. Hoc mortuo ad interpontificium res Chriſtiana rediit, annoque integro elapſo Bonifacius III. Pontifex eſt ſalutatus. Inter ejus decreta notatu dignum eſt illud quo juſſit, ut Epiſcoporum electio fieret a Clero, a populo vero Electi vita probaretur; breviter hic quoque Eccleſiam rexit, namque eodem anno 607., quo fuit electus, deceſſit. Poſt multos vero menſes ad Romanam Sedem fuit Bonifacius IV. evectus anno 608.

Hic autem Pontifex, Beatiſſimæ Virgini, Sanctiſque omnibus Agrippæ πανθεον, dedicavit, quod etſi Plinius

lib. 36.

lib.36. cap.15. Jovi Ultori ab Agrippa erectum ſcripſerit, Dion hiſtoricus tamen refert, quod in Martis, Venerisque statuis in eodem templo conſtitutis, omnium Deorum imagines, admirando opere, cælarentur. Quam Dionis ſententiam illud probat, quod cum templum rotunditate ſua Cœli ſpeciem repræſentet, Deorum omnium, veluti domicilium, ab Ethnicis conſtitutum eſſet. Templum ipſum ab omni gentilitatis ſuperſtitione purgatum, Phoca Imperatore annuente, Sanctis Univerſis, eorumque Reginæ conſecravit Pontifex, tantoque opere perfecto deceſſit anno 615., eique quinque poſt menſibus Deodatus ſucceſſit, quo mortuo anno 618. ad interpontificium res rediit.

Bonifacius autem V. Pontifex Romanam Sedem occupavit anno 619. cujus Sanctione reis ad Eccleſiam confugientibus, datum eſt jus Aſyli. Hoc etiam Pontifice, Eraclius Imperator, facultatem fecit Exarcho conſentiendi in electione Romanorum Pontificum, ne res ad interpontificium ſæpius rediret. Quapropter Bonifacio e vivis ſublato paucis poſt diebus, creatus eſt Honorius I. an. 626. & confirmatus ab Exarcho. Sed in hujus morte viginti pene menſium ſpatio, Pontificia Sedes vacavit, quam deinde occupavit Severinus, ejuſque Pontificatus bimeſtris fuit. At vero licet in adnotando ejus obitus anno, diverſi ſint inter se ſcriptores, conſtat tamen Illum nunquam Ecthesin ſubſcripſiſſe (quid quid ſentiant, effutiantque Romani nominis hoſtes). Qua enim ratione ſubſcribere Severinus potuit Ecthesin (declarationem ſcilicet pro Monothelitis, Imperatoris nomine factam in Conſtantinopolitano Conciliabulo, Præſide Sergio Patriarcha) cum ipſe Pontifex, Concilium adverſus Monothelitas coëgerit? Legendus eſt de hac re Natalis ab Alexandro seculo VII.

Severino ſucceſſum eſt, aliquibus menſibus interpoſitis, a Joanne IV., qui in Monothelitas alterum Concilium habuit anno 641. in quo Eraclius Imperator declaravit, ſe inſcio, Ecthesim a Sergio fuiſſe compoſitam, ſed altero anno, ſui Pontificatus vita functo Joanne, creatus eſt Theodorus I.

ad quem Pyrrus Monothelita Majeſtatis ſuſpectus, & Conſtantinopolitana dejectus Eccleſia, Catholicam fidei confeſſionem miſit. Verum ad ejuratam hæreſim reverſus, excommunicatus eſt in Concilio Romæ habito, nova a Pontifice excogitata ratione, ut in eum, exemplum ederet; immiſto namque cum atramento, viviſſimo Chriſti sanguine, contra Pyrrum, adſtantibus univerſis ſummo timore, ex facti novitate affectis, damnationem ſcripſit P. Pagi ad ann. 648. At Paulus Pyrri Succeſſor, alteram impiam fidei formulam adornavit Typum dictam, atque evulgavit Imperatore annuente, ejuſque inſcripto nomine. Quapropter Theodorus Pontifex, fruſtra monitum multoties Paulum, in Lateranenſi Concilio damnavit, quod etiam fecit Martinus P. Deceſſoris veſtigiis inhærens.

Et ſane Martinus I. ad Apoſtolicam Sedem adſcitus anno 649. ſtatim Eccleſiaſticas literas dedit, ut Sergii declaratio penitus damnaretur. Imperator vero hac epiſtola, illiſque Joannis IV. Pontificis ad Conſtantinum II. Imperatorem ſuum parentem datis, commotus, Sergii declarationem igni tradendam curavit. Verum etſi *ἐκθεσιν* Imperator igne deleverit, pro Typo tamen tanquam pro aris, & focis pugnavit, in Pontificemque ira excandeſcens anno 653. ad inſulam relegavit, ſpecie quidem illius illegitimæ electionis, re tamen ipſa, quod Pontifex in Concilio Lateranenſi Monothelitas damnaverat, Typumque Pauli nec accipere, nec ratum habere voluerat. Sed in Inſula integrum annum commoratus, juſſu Conſtantii II. Imperatoris Conſtantinopolim eſt perductus anno 654. ibique tribus & nonaginta diebus carceribus obſtrictus, multiſque injuriis affectus, tandem altero anno in exilium, Cherſoneſum miſſus obdormivit. Eccleſiam vero primum, eo abſente, gubernarunt (de more illius temporis) Archidiaconus, Archipresbyter, & Notariorum Primicerius, ſed deinde, ne res Chriſtiana aliquid detrimenti caperet, creatus eſt Eugenius I. & Martino adhuc vivente Pontifex conſecratus, ut P. Pagi ad annum 652. ex ejuſdem Martini epiſtola refert, ejuſque Eugenii obitum no-

tat ad annum 657., poſtquam duos annos Eccleſiam rexiſſet. Hallucinatus igitur eſt dupliciter Baronius, tum quod Eugenii veram electionem infirmat, cum etiam, quod inter arctiſſimum temporis ſpatium Eugenii Pontificatum reſtringit. Animadvertere enim debebat doctiſſimus Annalium Parens, Martinum in exilio vitam agentem, Pontificali munere abiiſſe, illudque Eugenium ſubiiſſe; quod literæ a Martino ad Eugenium datæ, in quibus ut ſucceſſorem Petri habet, teſtantur. Pontifice Eugenio duæ Sanctiones memoria dignæ occurrunt; altera Concilii Toletani IX. an. 655., quæ Fundatoribus præſentationem tribuit ad Eccleſiaſtica Beneficia, ut nulla ſit ab Epiſcopo electio facta ſine eorum conſenſu: altera Nannetenſis Concilii, qua plura beneficia, & aliquid pro ſepultura exigere, prohibentur.

Vitalianus, aliquo poſt temporis intervallo, Eugenio I. ſucceſſit, cujus tamen obitus epocha, in diverſas ſententias ſcriptores traxit. At ceteris accuratior hac in re videtur Pagi, a quo, anno 672. eveniſſe notatur. Vitalianum excepit Deodatus anno 676., Deodatum, Domnus; atque hic Pontifex, ſchiſma Ravennenſis Eccleſiæ, quod per triginta integros annos, radices altius egerat, extirpavit. Cum enim Eccleſiam rexiſſet unius anni ſpatio, exceſſit e vita, in ejuſque locum adlectus eſt Agatho anno 678., qui ſuos Legatos Conſtantinopolim miſit ad Synodum convocatam duobus poſt annis, & in Sanctæ Sophiæ Trullo Templi celebratam, ut ſuperius ad ſextum œcumenicum Concilium notavimus. Precibus etiam hujus Pontificis Juſtinianus II. Imperator exoratus, Exarcho Ravennenſi auctoritatem confirmandi Pontificis electi, ademit, ſibique primum vindicaſſe creditur, deinde ante mortem liberam Eccleſiæ dediſſe electionem, ſi conjecturæ Anaſtaſii Biblioth. de Benedicto II. loquentis, fides ſit adhibenda.

Obiit Agatho anno 682., ejuſque locum poſt interpontificium (quam longi temporis ignoratur, diverſi enim inter ſe ſunt ſcriptores) occupavit Leo II. ſuoque Pontificatu breviſſimo eſt tempore functus. Sed quanquam altero ab ele-

ctione anno deceſſerit, ſextam tamen Synodum confirmavit. Leoni poſt annum Benedictus II. ſucceſſit anno 684., qui nonum Pontificatus menſem non abſolvit: eoque mortuo, ſequenti anno electus eſt Joannes V. Hoc vero e vivis poſt annum, ſublato, de ſucceſſore eligendo ſumma partium contentione certatum eſt. Verum tandem controverſiæ quieverunt electione Cononis omnium digniſſimi anno 686. Conone autem mortuo, nec dum anno ipſo Pontificatus abſoluto, Pontifex ſalutatus fuit Sergius I.

Eccleſiam Sergio gerente acta eſt Conſtantinopoli, Paulo Eccleſiæ illius Patriarcha Præſide, Synodus dicta Erratica, Trullana a Trullo Regii Palatii, quo Epiſcopi convenerant, vel Quinisexta, quod Canones quinti, & ſexti Generalium Conciliorum ſuppleret. Petierunt ſane Græci Sanctæ Sedis Legatos, ut hoc Concilium œcumenicum dicerent, iiſque imponerent ea fide mala, quæ Græcorum ſemper fuit, ſed fraudem, prudentia vicit. Namque Occidentis Epiſcopi, & Sergius Pontifex, licet multis Conſtantini II. Imperatoris precibus fatigatus, illius Concilii actis ſe ſubſcribere noluerunt. Quapropter Imperator, Romam miſit, Zachariam neſcio quem Protoſpatarium, ut Pontificem Conſtantinopolim perduceret, ſed ejus nefarii conatus non ſolum compreſſi fuerunt, verum etiam ſceleris pœnas morte dediſſet, niſi ab ipſo Pontifice fuiſſet ſervatus, ut Nat. ab Alex. in Sergio I. ſecul. 7. refert. Atque ex illo Conſtantinopolitana Patriarchalis Eccleſia fuit a Catholicorum communione diviſa; nam nec per Succeſſores quoque Pontifices, hæc Synodus fuit confirmata, vel ad ſummum ea, Pontifices acceperunt, ſtatuta, quæ nec Sanctæ Sedi, nec bonis moribus viſa fuerant adverſa.

Pontifice Sergio, an. 693. celebratum eſt etiam Concilium Toletanum XVI. in quo Can. 6. pœna propoſita eſt Sacerdotibus, qui non conſecrarent *Panes mundos*, *& nitidos*, ut Concilii verbis utar. Atque hinc, non omnino improbabilis videtur ſententia Sirmundi Diſquiſ. de Azymo tom. 4. adſtruere nitentis, uſum faciendi in fermentato apud Latinos

nos obtinuiſſe ad octavum uſque ſeculum : uſum vero conſecrandi in azymo ortum habuiſſe tempore, quod intercedit a ſchiſmate Photii, anno nempe 886. uſque ad annum 1053. Hoc enim tempore, novimus, Michaëlem Cerularium ſuoſque aſſeclas, traduxiſſe latinos nomine azymitarum. At vero non una, hac in re, Theologorum opinio eſt; & difficillimum negotium foret, diverſas eorum ſententias ad unum ſcopum dirigere. Bellarminus lib.4. de Euchariſtia ſcripſit, Azymum panem, apud latinam Eccleſiam, in ſacrificio conſtantiſſime ſervatum, a temporibus ipſis Apoſtolorum, neque ullum unquam locum, in ea, fermentato fuiſſe; in quam ſententiam deſcendit Chriſtianus Lupus, & alii. Verum Mabillonius licet favere videatur laudatæ opinioni, re tamen vera, cum Cardinali Bona lib. 1. Rerum Liturgi: cap.23. ſentit. Et ſane Card. Bona autumat Græcos mordicus uſos fuiſſe fermentato; Latinos vero, azymo, vel fermentato, pro variis rerum, locorumque circumſtantiis. Nam doceri omnino non poteſt, Latinos ubique locorum azimum panem adhibuiſſe, niſi poſt nonum ſeculum. Hæc quoque ſententia firma videtur Juenin in Dogmat. Hiſt. de Sacram. diſſert. 4. q.2. de Sacram. Euchar. hac tamen adhibita differentia; quod apud Latinos, variarit Eccleſia per ſexcentos annos: ſeptimo vero ſeculo, in aliquibus Provinciis, uſus Azymorum receptus fuerit: cum ante Photianum ſchiſma, uſu fermentati, Occidentis Eccleſiæ, ex interdicto, abſtinuerint. Inter tot varias Auctorum opiniones, mediam viam inſiſtit Tournely quæſt.4. art.5. de Sacram. Euchariſt., atque expoſitis primum difficultatibus, quibus ſingulæ ſententiæ undique obvallantur, tres Concluſiones ponit, ad ſententiam ſuam firmandam. In prima enim aſſerit nullo modo cum evidentia demonſtrari poſſe, Græcos, primis ſeculis, azymum panem adhibuiſſe. In ſecunda, veterem fermentati morem, probari poſſe oſtendit, eumque a primis temporibus apud Græcos obtinuiſſe. In tertia concludit, probabile cenſeri, apud Latinos nullo diſcrimine, nunc azymum, nunc fermentatum panem fuiſſe immolatum; neque argumen-

menta ſatis firma deſumi poſſe, ad evincendum, in Eccleſia latina, expulſo fermentato, ubique ſemperque azymis fuiſſe loco, ante nonum ſeculum, quum communi lege id obtinuit. Multi de hac controverſia, primi ſubſellii Auctores, ſcripſerunt; ſed præ ceteris, eam illuſtravit P. Honoratus de S. Maria lib. inſcripto: Reflexion sur le Regles, & sur l'Uſage de la Critique vol.2. diſſert.4. & 5. At vero hæc tam operoſa tantarumque turbarum plena, controverſia, ne ad minimum quidem ſchiſmaticis favet, quippeque meræ diſciplinæ controverſia, unitatem Eccleſiæ non lædit. Neque argumentis ſuis ſchiſmatici evincunt, Chriſtum D. hoc Sacramentum inſtituiſſe in fermentato, licet pro ſe adducant verba Joannis, in quo triumphum canunt. Etenim argumenta omnia enervia ſunt, & ſine ictu; atque Joannes bene conſonat cum aliis Evangeliſtis, ſi tantum ſchiſmatici advertant, ſecumque conſiderent diem diſtinqui in naturalem, & artificialem, quod notum alioquin eſt lippis, & tonſoribus.

Extremum diem clauſit Sergius I. anno 700. ſucceſſoremque habuit eodem anno Joannem VI. in cujus Pontificatu ſcriptores notant fuiſſe ab Ariperto Langobardorum Rege alpes Cottias (partem ſcilicet alpium illam a Cottio Rege ſic nuncupatam, quæ Lepontiis eſt proxima, & olim duodecim Urbibus continebatur) Romanæ Eccleſiæ dono datas. Deceſſit Joannes VI. anno 705. eumque excepit Joannes VII. ad quem Juſtinianus II. Imperator pro Eccleſiæ pace Legatos miſit. Sed infelici eventu nihil enim remiſſum eſt de ſtatutis deceſſorum Pontificum, in Synodum Quiniſextam. Obiit Joannes VII. anno 708. atque in ejus locum ſuffectus eſt Siſinnius, ſuumque Pontificatum breviſſimo viginti dierum ſpatio abſolvit, quapropter eodem ſucceſſit anno Conſtantinus I. Papa.

Hic autem Pontifex, ad Imperatoris preces, Conſtantinopolim eſt profectus anno 710. ortaſque controverſias cauſa Synodi Quiniſextæ compoſuit; confirmavit enim illos Concilii Canones, qui Sanctæ Sedis jura non lædebant: Juſtinia-

ſtinianus II. autem firmavit Romanæ Eccleſiæ privilegia, ut habetur ex Chriſt. Lupo in Schol. ad Canones Trullanos, & aliis. His peractis, Pontifex Romam ſequenti anno rediit, & pro imaginum cultu damnato in Conciliabulo Conſtantinopolitano, Concilium convocavit. Sed mortuo Conſtantino I. Pontifici anno 715., vel ſuperiori, ut aliis placet, ſucceſſit Gregorius II., cui a Luitprando fuit Cottarum Alpium donatio firmata. Pontificatum, & vitam Gregorius abſolvit anno 731. Hoc autem Pontifice uſque ad Eugenium II. Romani Pontifices Maximi, electi ſunt, nullo Imperatoris, vel Exarchi conſenſu.

Gregorio II. ſucceſſum eſt per Gregorium III. Hic autem auxilium adverſus Langobardos fruſtra petitum a Leone Imperatore, anno 741. impetravit a Carolo Martello Galliarum Rege, eique ſummam Patriciatus dignitatem conceſſit, nomen ſcilicet Defenſoris Eccleſiæ, cum quo juriſdictio, Romæ, populo conſenſiente, erat conjuncta, ſi Petro de Marca credendum ſit lib. I. de concordantia cap. 12., quapropter Carolus indixit Luitprando bellum anno 741. ſed Galliarum Rege, & Romano Pontifice eodem anno vita functis, Zacharias Gregorii III. ſucceſſor cum Luitprando pacem compoſuit.

Pontifice Zacharia controverſia de forma baptiſmi in Germania eſt orta. Sacerdos enim latine neſciens, per ſummam ignaviam, baptiſmi formam commutaverat, inquiens: *in Nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*. Cumque Divus Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus iterandum eſſe baptiſmum, putaret, in contrariam ſententiam Virgilius Presbyter abiit. Itaque Pontificem Romanum conſuluere, a quo Virgilii opinio firmata eſt, ratumque declaratum baptiſma, a Sacerdote latini ſermonis ignaro, datum, verbis tam miſere deformatis. Hoc tamen Nat. ab Alex. eveniſſe notat anno 746., vel duobus ante annis, ut aliis placet. Damnavit quoque hic Pontifex quendam Scotiæ Presbyterum, dicentem poſſe hominem ſine baptiſmo Catholicum fieri, ſola ſcilicet manus Epiſcopi impoſitione, Nat. ab

Alex.

Alex. ſec. VIII. cap. I. Mortem obiit Zacharias vergente anno 752.

Factus eſt paucis poſt menſibus Pontifex, Stephanus, ſed cum tertio die ab electione eſſet mortuus, nec Pontificatum iniiſſet, ut credere licet; nullus Auctor, quod ſciam, ante Baronium in Pontificum numerum illum recenſet, omneſque Zachariæ ſucceſſorem poſuere Stephanum II., vere III. ut Jul. Marcelli notat; contra Aiſtulphum Langobardorum Regem, a Pipino Galliæ Rege hic Pontifex auxilium petiit, multiſque pro Eccleſia laboribus ſuſceptis, obdormivit anno 752.

Eodem anno Pontifex renunciatus eſt Paulus I., initoque Pontificatu, ad Eccleſiæ libertatem tutandam animum adhibuit: quamobrem auxilium contra Deſiderium Aiſtulphi ſucceſſorem, a Galliarum Rege etiam atque etiam flagitavit, ut Deſiderius monitis Galliæ Regis commotus, Romam venerit, ultroque pacis conditiones tulerit. Paulo I. Pontifice orta eſt inter Latinos, & Græcos controverſia; quod illi adjunxerant in Concilio Galliæ habito, ad Symbolum Nicænum, verbum *Filioque*. Hæc primum de ſolo nomine quæſtio fuerat, quippe quia Græci tunc temporis de Proceſſione Sancti Spiritus a Patre, & Filio nobiſcum ſentirent, ſed ſola vocis novitate commovebantur. Græcorum vero hæreſis de Proceſſione Spiritus Sancti nono ſeculo prodiiſſe ex Photii ſchiſmate, certum eſt. Hinc vides apertiſſimum Accurſii errorem aſſerentis nonnullos quinti ſeculi Imperatores, hanc tenuiſſe hæreſim in legis ſecundæ expoſitione tit. de Sum. Trinitate, & fid. Cathol., Juſtiniani Cod.: *Is autem* (verba ſunt legis) *Nicænæ aſſertor fidei, & Catholicæ religionis verus cultor accipiendus eſt, qui Omnipotentem Deum, & Chriſtum filium Dei uno nomine confitetur; qui Spiritum Sanctum (quem ex Summo rerum Parente, & ſperamus, & accipimus negando non violat)* in quæ verba, hæc addidit Accurſius: *quod loquitur ſecundum Græcos, qui dicunt Spiritum Sanctum eſſe tantum a Patre*, quapropter non ſolum Gratiano, Valentiniano, & Theo-

dofio

doſio hæreticorum notam inuſſit, ſed & injuriam Nicæno Concilio intulit, cujus doctrinam, ipſi Cæſares, relatis profitebantur verbis. Qua de re eruditiſſimus Cujacius in ſuo commentario ſic habet: *de Spiritu Sancto, quod Imperatores ajunt in lege 2. Eum ſe ex ſummo rerum Parente, & ſperare, & accipere, Accurſius male notavit: nam & veteres omnes ita loquuti ſunt, licet non negarent Eum etiam prodire ex Filio, nec ea de re ullum erat, illorum Imperatorum ætate, in Eccleſia diſcrimen*. Sed de Accurſii erroribus Antonius Nebriſſenſis lexicon compoſuit.

Exceſſit e vita Paulus I. an. 767., & Antipapæ Conſtantini ſchiſma conflatum eſt. Hic enim licet Laicus, vi, & armis Apoſtolicam Sedem occupare auſus, in eam neceſſitatem rem adduxit, ut Stephanus IV. legitime electus an. 768, Concilium Romæ indixerit ad ætatem, conditionemque futurorum Pontificum determinandam. Cautum enim eſt, ne in poſterum Pontifex quiſquam crearetur, niſi Diaconus, aut Presbyter, & inter Cardinales cooptatus. Antipapa autem Conſtantinus tredecim poſt menſibus, ut Baronius, aliiſque referunt, fuit in exilium pulſus, omneſque a se ordinibus initiatos, reconciliationis benedictionem accepiſſe ait Natalis de Alexandro. Deceſſit Stephanus initio anni 772. Succeſſoremque habuit Adrianum I.

Et quidem occæpto ab Adriano Pontificatu, res Langobardorum, per Carolum Magnum attritæ, deciderunt, eorumque Regnum penitus extinctum. Ex illo Langobardi, in poteſtatem Romani Pontificis redacti, ejus jura, & leges, tanquam Supremi Principis, capeſſere, inquit Cl. Pagi. Menda igitur irrepſit in Gratiani decretum cap. Adrianus diſt. 63. ubi notatur, ab Adriano I. in Lateranenſi Concilio Carolo Magno fuiſſe factam poteſtatem eligendi Pontificem, ſedemque ordinandi Apoſtolicam, ſicuti & jus datum inveſtiendi Epiſcopos, ut a nonnullis fuit quoque perperam notatum ſic aſſerente Cujacio lib. 1. de feudis tit. 1. *Sigebertus, & Godefridus, & plerique alii Chronographi ſcripſerunt, ſæpe Romanos Pontifices, Imperatoribus, & Regibus conceſ-*

 ſiſſe,

ſiſſe, ut Epiſcoporum facerent inveſtituram per annulum, & virgam, & ne ante Epiſcopus conſecraretur, quam eſſet a Rege laudatus, & inveſtitus. Nuſquam enim gentium (quod ſcimus) hoc Concilium celebratum eſt, & a Sigeberto ad libidinem confictum, ut Henrico II. Imperatori gratum faceret, atque Paſchalem Pontificem, tanto mendacio, vel ad incitas redageret, vel summo afficeret timore. Falſitatis convincitur Sigebertus non ſolum a Baronio, ſed a Petro de Marca lib.8. de concordant. cap. 12. & a Mabillonio lib.3. de re diplom. cap. 3. Pontifice quoque Adriano I. fuit Generalis ſeptima Synodus Niceæ contra Iconoclaſtas habita. Hujus Concilii acta a Carolo Magno, vel ipſo jubente, in Galliam accepta non fuere, cauſa controverſiarum cum Græcorum Imperatore, de quibus legendus eſt Theophanes. Sed hinc conjecturam facias, nullam, rebus ad fidem pertinentibus, injuriam inflictam, ab Imperatore alioquin piiſſimo, ut ejus actæ vitæ rationes, reſque pro Eccleſia geſtæ, demonſtrant.

Adriano functo anno 795. ſucceſſit Leo III. qui Carolo Magno Patritiatus dignitatem, tanquam Eccleſiæ defenſori confirmavit, ut habetur ex epiſtola 84. Alcuini; immo ad evitandas Romanorum pravas adverſus Pontificem conſpirationes, ſe demum tranſtulit in Galliam anno 799., unde ſequenti anno honorifice rediit, Carolumque Romam arceſſivit, atque tunc temporis ipſi Occidentis Imperium tradidit, Sigonius lib.4. de Regnis Italiæ. Congruit huic rei numorum inſcriptio, *Renovatio Imperii*. Addit Vallemontius, Imperii auctoritatem poſt Conſtantinum depreſſam, Carolum erexiſſe, atque ex ſplendore, dignitati Imperatoriæ reſtituto, ſibi Magni nomen comparaſſe. Scio Mabillonium, cognomine Magni Carolum donatum, aſſerere, poſt mortem; ſicuti & nomine Pii Ludovicum ejus filium, quod ſentit etiam Cl. Pagi ad an. 814. n. 23. attamen contraria ſententia a multis Auctoribus, rationibus fortaſſe non ſpernendis vindicatur, ſed hoc non multum ad rem noſtram. Illud vero animadverti dignum arbitror, ne ceteri aliud agentes, in errorem inducantur: Baronium turpiter impegiſſe, dum

dum ſcripſit a Leone III. Pontifice fuiſſe Suibertum in Sanctorum album relatum: nam ante decimum seculum Chriſtianæ Æræ nunquam auditam novimus Sanctorum, Apotheoſin (ſive mavis) Conſecrationem, ut multis probat Cl. Antonius Pagi. Imo a Morino refertur in lib. 10. cap. 20. de Sacr. Pœnitent. ne ante undecimum quidem seculum, Sanctorum Apotheoſin, Pontificii unius juris fuiſſe. Primis enim, iiſque ſimplicioribus, Eccleſiæ temporibus annuente Pontifice, aram fideles erigebant ſuper defuncti corpus, eodem Baronio teſte. Accedit, quod Innocentio II. Pontifice, omnium scriptorum ſuffragio, circa medium ſcilicet seculum duodecimum, hic ritus ſollemnis hominum, in Sanctorum cathalogo, inſcribendorum invaluit. Sed ad Leonem redeamus: de hoc Pontifice memoriæ proditum apud Strabonem accepimus, pluries ſingulis diebus rem Divinam feciſſe, quod a veritate quidem non abhorret, cum de more illius temporis cuique Sacerdoti id liceret. Cardinal. Bona rerum Liturgic. lib. 1. cap. 18.

Succeſſor autem Leonis III. fuit anno 816. Stephanus IV. aut V. Pontifex, a quo ut legitur apud Friſigenſem lib. 5. cap. 32. fuit Ludovicus Caroli Magni filius in Gallia coronatus, qui omne jus in Pontificum electione, tunc ceſſit, ut habetur ex cap. *Ego Ludovicus* diſt. 63. Itaque nullius fidei habendum arbitror cap. *Quia Sancta* diſt. 23. quo aſſeritur eundem juſſiſſe Pontificem, ut Romani Epiſcopi electio, fieret coram Imperatorum Legatis.

In Stephani locum ſubrogatus fuit Paſchalis I. initio anni 817., qui Lotharium Inſubriæ Regem coronavit anno 823., unde is anno ſequenti Romam petiit, & Zinzini schiſma contra Eugenium II. legitimum enunciati Pontificis Succeſſorem evulſit, & antequam ex eadem diſcederet Urbe, ad Pontificum, Eccleſiæque ſtatus tranquillitatem, promulgavit conſtitutionem ab Holſtenio in collectionem Rom. part. 2. inſertam. Pontifex etiam ad cunctas schiſmatum cauſas deinde evellendas ſtatuit, ut Romani electio Pontificis coram Imperatoris Legatis fieret; quapropter mos,

 quem

quem vel Gregorii III. tempus aboleverat, tunc renovatus eſt, lato decreto. Quod decretum a Stephano VI. fuit firmatum, atque a Joanne IX. in Concilio Romano, ſed qua de cauſa hujuſmodi Sanctionis mentio non habeatur apud Eccleſiaſticos ſcriptores, videndus eſt P. Pagi ad an. 825. cap. 30., quod ſcilicet putarent, a schiſmaticis dolo malo, fuiſſe compoſitam. Sed illa Sanctio pro libertate electionis, tunc temporis nimirum fuit opportuna, atque ex uſu, præſertim in electione Gregorii IV., ſenſim vero deinde omiſſa, tandem anno 1073. omnino abrogata eſt.

Paucis deinde diebus Pontificatu occupato a Valentino, ceſſit, atque initio anni 828. electus fuit Gregorius IV. anno vero 844. Gregorium excepit Sergius II., cui indulgentiarum primordia refert accepta Baronius, ſed injuria. Indulgentiæ enim, quæ a Clavium poteſtate pendent, jam in Eccleſia invaluerant ante Sergii Pontificatum, earumque uſus frequentiſſimus fuerat ab Eccleſiæ, ut ita dicam, incunabilis. Ceterum quod Mabillonius aſſerit illas nequaquam antiquiores decima fuiſſe ætate, id intelligendum eſt juxta hodiernum uſum, ut ex ejus colligitur præfatione ad secul. x. PP. Benedict. Etenim primis temporibus pro arbitrio, & voluntate Epiſcoporum dabantur, ſed deinde poſt seculum decimum, tempus indulgentiarum præſcriptum fuit, ut cum ceteris docet Natalis ab Alexandro seculo ix. & x.

Enunciato tamen Pontifici Sergio II. ſucceſſit an. 847. Leo IV., quo Pontifice, ortum habuit adnotari in actis Conciliorum, Pontificatus annus, teſte Natali de Alex. Hic etiam Pontifex coronavit Romæ Ludovicum II. Imperatorem anno 850. Sed poſt quinquennium obiit: quapropter creatus eſt anno 855. Benedictus III. P., a quo Anaſtaſium Antipapam, Romanorum conſtantia, ſuperatum fuiſſe referunt. Miſſam hic facimus fabellam a nonnullis confictam de Joanna Papiſſa poſt Leonem IV. Eccleſiam gerente: Abunde enim confutata eſt integra diſſertatione Davidis Blondelli, Calviniſtæ, & a Joanne Clerico ignotæ religionis viro; ex noſtris vero a Baronio, Panvinio, Chevrau, aliiſque. Sed denique

enun-

enunciatus deceſſit Pontifex Benedictus III. anno 858., ejuſque ſucceſſor fuit Nicolaus I. Papa .

Eſt autem notatu dignum , quod hic Pontifex Nicolaus recte reſponderit , nequaquam illos eſse rebaptizandos , qui in Sanctiſſimæ Trinitatis Nomine fuerint baptizati , licet religio Miniſtri ignoretur . Nam etiamſi primitus trina conficiebatur merſione , ut habetur ex Canone 49. Apoſtolorum , ubi legitur : *Si quis Epiſcopus* , *aut Presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret* , *ſed ſemel mergat in baptiſmate* , *deponatur* : attamen ad corrigendos poſtea errores nonnullorum hæreticorum putantium baptiſmum eſſe iterandum , & ideo baptizatos rebaptizabant , ſtatuit Cóncilium Toletanum IV., habitum anno 633. canone 5.ut una merſione baptiſmus conferretur , ad notandam unicam Chriſti Domini mortem . Quapropter cum nobis Domini mortem repreſentet , & paſſionem , nullo modo eſt iterandus baptiſmus , ſed ſemel conferendus , cum ſemel tantum fuit paſſus , ac mortuus , juxta rationem , qua utitur Apoſtolus ad hebræos cap. 6. Perperam vero addidit laudatus Pontifex Nicolaus I. quod etiam validum eſſet baptiſma , ſi tantum in Nomine Chriſti conficiatur , ex quibuſdam male intellectis Divi Ambroſii verbis . Verum Natalis ab Alex.in Nicolao I. notat , illum ut privatum hominem erraſſe , cum diverſa ſit totius Eccleſiæ ſententia adhærens Chriſti Domini Inſtitutioni , ac formæ Math. expreſſæ cap. 28. *Baptizate omnes gentes in Nomine Patris* , *& Filii* , *& Spiritus Sancti* . Quam formam immutare Eccleſia non poteſt , quoniam a Domino determinata fuit , non ſecus ac materia . Si quid autem ab Eccleſia in baptiſmo immutatum aliquando fuit , id ad ritum pertinebat , fortaſſe etiam ab Apoſtolica traditione deſcendentem , cujuſmodi erat trina merſio, ex ſententia Divi Baſilii lib.de Spiritu Sancto . Eadem ratione , quum merſio in aquam , ejuſdemque aſperſio materiæ ſubſtantiam non attingerent , in deſuetudinem abierunt , atque in earum locum ſuffecta eſt aquæ effuſio , dicente Ezechiele cap. 36. *Effundam ſuper vos*

aquam

aquam mundam. Atque hac reſponſione, reſolvas difficultates, ſi quæ occurrunt, in materia aliorum Sacramentorum. Nobis vero ad alia properantibus, ſufficiat, hæc, extremis, ut ajunt, labris delibaſſe.

Poſt obitum Pontificis Nicolai I. anno 867. Adrianus II. fuit electus, & contra Legatorum Ludovici Imperatoris expectationem, conſecratus, ne hic uſus obreperet; quem conſecrationis modum, Imperator ipſe probavit. Adrianus P. non ſolum Romæ adverſus Photium Concilium coëgit, verum etiam in ejuſdem Pontificatu fuit Conſtantinopoli convocatum octavum Generale, ſive œcumenicum Concilium anno 869. adverſus Iconoclaſtas ſacrarum ſcilicet imaginum oppugnatores, damnatos quoque in Concilio ſeptimo œcumenico. Quod Concilium in Galliis cauſa extitit tot controverſiarum. Enimvero cum in Gallia acta hujuſce œcumenicæ Synodi fuiſſent adducta anno 790. Carolus Magnus contra imaginum cultum vehementer ſcripſit, quippe quia Græcis tunc temporis eſſet infenſiſſimus. Et in cauſa fuerat, quod Conſtantinus Porphyrogenneta Græcorum Imperator, Caroli ſorore repudiata, uxorem acceperat Mariam Armenam (quam deinde etiam repudiavit). Dolore igitur Carolus elatus, & iracundia, longius prope digreſſus, quam ſapientis hominis cogitata ratio poſtularet, ut privatas injurias ulciſceretur, Græcorum ſtatutis, ſive jure, ſive injuria, bellum indixit; Ejuſque partes ſequuti ſunt Agobardus, & Jonas Aurelianenſis. Sed ex adverſo ſtetere Valfridus Strabo, & Hincmarus Remenſis. Verum enim vero ſi æquiſſimos Judices hac in cauſa nos ipſos præbere velimus, ſtatuemus Caroli partem, immoderatum imaginum cultum ferre non potuiſſe, deſcriptum in hac Nicæna 2. Synodo προσκυνησις vocabulo. Atque idcirco Galli oppugnantes imaginum cultum, ſuperſtitionem oppugnare crediderunt, & ſi fieri poſſet delere, ut apparet ex Synodo ab ipſis Lutetiæ habita anno 825. Ludovico Imperatore. Nam in ea Synodo, ut Natalis ab Alex. refert, ſeptimi Generalis Concilii fides recepta eſt, & judicatum, non eſſe ſacras imagines contemnendas, ve-

rum

rum nec etiam adorandas. Laudibus quoque exceptum eſt apud ipſos Sereni, Maſſilienſis Epiſcopi exemplum, qui initio ſeptimi seculi, ut populos ſibi commiſſos a ſuperſtioſo cultu imaginum abduceret, illas fregit (quanquam in hoc repræhenſus a Divo Gregorio Magno Pontifice fuerit, ut notat Baronius ad an.794.) Sed ceteris omiſſis: quid commodi heterodoxis afferent Caroli Magni ſcripta, quibus decrevit ſolum Deum eſſe adorandum? vel Synodi Francofordienſis ſtatuta damnantia septimam œcumenicam Synodum, sacrarumque imaginum cultum improbantia? Auctoritati enim Francfordienſis, conſulta, & decreta duorum Conciliorum Generalium alterius Nicæni ſcilicet, & Conſtantinopolitani, Catholici opponunt. Caroli Magni ſtatutis, objiciunt perpetuam Patrum traditionem, Eccleſiæque univerſæ conſenſus. Sed vero Ponifici Adriano mortuo anno 872. succeſſum eſt a Joanne VIII.

Hic Pontifex Carolum Calvum Galliæ Regem Imperii corona donavit Romæ, die natali Domini, anno 875., qui non ſolum Romanæ privilegia Eccleſiæ, ſed etiam firmavit jus Pontificis conſecrandi, nulla ratione Imperatoris legatorum habita. Honeſtavit quoque eadem corona Carolum ex nomine Pinguem anno 881. juxta Patris Pagi opinionem. Obiit anno ſequenti, succeſſoremque Pontificatus habuit Marinum I., perperam a nonnullis Martinum dictum.

Huic Pontifici, Græci obtemperare noluerunt, quod Synodicam Epiſtolam ad Photium non dederit. Sed e vivis ſublato Marino, Pontifex ſalutatus eſt Adrianus III. anno 884. Revocatum ab hoc Pontifice fuit decretum Eugenii; voluit enim ut impoſterum Pontifex nullo Legatorum Imperatoris ſuffragio eligeretur, quinimo ſtatuit ut Imperator Italus crearetur ſi Carolus Pinguis deceſſiſſet ſine liberis, quoniam exteri negligebant Italiam a Saracenorum incurſionibus defendere, quamobrem Carolus in Italiam venit, ut Sigonius notat lib.5.de Regn.Ital. Summam præterea Adrianus Pontifex animi præſentiam, & firmitudinem oſtendit adverſus Baſilium Imperatorem multa minantem, ut Pho-

tius

tius a Secundo Nicæno Concilio damnatus, reciperetur in Fidelium communionem.

Deceſſit Adrianus III. anno 885. in ejuſque locum ſuffectus fuit Stephanus V., vel Imperatore adverſante, atque invito, illiuſque depoſitionem viribus omnibus conante, quod ad ſedem eſſet evectus, ſine Imperatorio conſenſu. Nec poſt Pontificis obitum cauſæ irarum deferbuerunt; eoſdem enim perturbationum fluctus Formoſus cum Pontificia dignitate ſubiit: quibus tempeſtatibus acceſſerunt etiam, illæ permaximæ, a Sergio Antipapa commotæ. Sed tandem fato cedens, vel potius tempeſtatibus, & undis diſcordiarum ſe ſubducens Formoſus, ſummum ſui deſiderium bonis omnibus reliquit. Secutus enim eſt in Pontificatu Bonifacius VI., cujus mens anguſta, atque ad Chriſtianam Rempublicam gerendam minus accomodata, nomen ipſum Pontificatus, ſplendorem illius honoris, magnitudinem tantæ dignitatis vel ſuſtinere non potuit, vel miſere traduxit. Divino tamen conſilio factum eſt, ut ejus Pontificatus breviſſimo quindecim dierum ſpatio, contineretur: At vero poſt ejus mortem Stephanus VI. ad dignitatem obrepſit.

De tempore non convenit inter Baronium, & Natalem ab Alex., ſed ab utroque tamen notatur Bonifacium fuiſſe Antipapam, cui ſententiæ adhæret quoque Jul. Marcelli in ſuo memoriale, additque, Bonifacium ex Romana Sede dejectum, quindecim poſt diebus, a Stephano VI. vel VII.: Atque hic ille Stephanus fuit, qui cum Alberti Hetruriæ Marchionis opera, Romanam Sedem per vim occupaſſet, crudeliſſimo exemplo, & poſt hominum memoriam inaudito, in Formoſi Pontificis cadaver sævire eſt auſus. Quippe citatum, tanquam ſi in vivis ageret, gradu movit, ejuſque oſſa, & cineres in Tiberim projici juſſit. Præterea, quoniam perſuaſum habebat illum contra jura, & leges Pontificatum obtinuiſſe, iccirco in ſui muneris functionibus nihil egiſſe; ordinibus inſignitos omnes a Formoſo, iterum inaugurari, & conſecrari curavit, ut Natalis de Alex. refert ſecul. IX. & X.: legendus eſt de hac re Morinus p.2. de ſacris ordin.

Reno-

Renovavit Stephanus Adriani III. decretum de Pontificis electione, renovavitque ſtatutum Eugenii II., quod electio apud Imperatoris Legatos fieret Cap. *Quia Sancta*. diſt. 33. ex obſervatione Cl. P. Pagi, a quo caſtigatur Baronius, quod crediderit a Stephano IV. vel V. id ſtatutum fuiſſe. At denique Stephano ab Apoſtolica, quam per vim invaſerat, Cathedra detruſo, in ejus locum adlectus eſt Romanus I. anno 897., quanquam Baronius aliique id eveniſſe putant nono vergente seculo; ſed verius tamen eſt, tunc Stephanum VI. laqueo injecto, ſuorum ſcelerum, nefariorumque conatuum, pœnas dediſſe.

Romani I. Pontificis obitus a Baronio notatur ad annum 900., cujus opinio non arridet: ſatius fortaſſe alii Auctores duobus ante annis, illum acquieviſſe ſtatuunt. Succeſsor fuit Theodorus II., ſuumque Pontificatum viginti dierum ſpatio complevit, cum tamen Deceſsor quatuor, iiſque nec integris menſibus, abſolviſset.

Pontifex poſt Theodorum II. factus eſt Joannes IX., conſecratus nonnullis poſt menſibus, ex abſentia Lamberti Imperatoris; quanquam alii Sergium III. perperam elegerint, Roma tandem pulſum. Monitum hic velim, Baronii verbis, Lectorem, ut has rerum perturbationes Eccleſiæ, pacis, & tranquillitatis amanti, vel in vindicando jure ſuo libero eligendi non adſcribat; ſed potius Principibus tribuat, qui oppreſsa Italia, aliena rapere, Eccleſiæque libertatem invadere ſtuderent. Sed manum de tabula. A Joanne IX. Pontifice Concilium Romæ convocatum eſt adſtante Imperatore Lamberto, in eoque cauſa Pontificis Formoſi diſcuſſa, improbatum eſt Concilium eadem de re a Stephano VI. habitum: confirmata quoque fuit damnatio Sergii ejuſque Aſſeclarum, atque cadaveris Formoſi Pontificis violatorum. Ad dirimendas vero impoſterum cauſas controverſiarum in electione Pontificum, sancitum quoque fuit, ut electi coram Legatis Imperatoris conſecrarentur.

Quod autem ad obitus tempus Pontificis Joannis IX. attinet, non congruunt inter se scriptores, nam ſi Vallemon-

tio, ac Julio Marcelli credendum ſit, evenit anno 905. ſi Cl. Pagi multis ante annis. Hic enim Benedicti IV. P. ſucceſsoris mortem ſtatuit ad annum 903., quam tamen Baronius notat ad an.907. Verum ut ut ſe res habeat, Joannis Pontificatus trimeſtris fuit, eique a Leone V. ſucceſſum eſt, cujus regimen quadraginta dierum ſpatium non exceſſit, Leo ſucceſsorem habuit Chriſtophorum; Chriſtophorus ſeptem poſt menſes Sergium III. ab exilio poſt ſuam primam ſchiſmaticam electionem, revocatum. Obiit, ut ſentit Cl. Pagi anno 911., vel antecedenti, ut aliis placet, eumque excepit Anaſtaſius III., Eccleſiamque geſſit duos annos, totidemque menſes, eumque ſecutus eſt Lando Pontifex anno 913., ut P. Pagi notat, cui etiam ſex menſes pauciſque dies in Pontificatu aſſignat; ſucceſſit deinde Joannes X. anno 914., qui Berengarium Imperatorem coronavit anno 916.

Pontificem Joannem X. in carceres truſit Guido Hetruriæ Marchio, atque inſtigante Macotia uxore, muliere audaci, ſceleſta, immani, laqueo illum ſuffocavit anno 928. In ejus locum ſuffectus fuit Leo V., qui Pontificatum geſſit ſeptem, iiſque non integris menſibus, carceribus mancipatus, extremum diem clauſit. Sequutus eſt Stephanus VII. anno ſequenti teſte Cl. Pagi. Stephanum excepit Joannes XI. anno 931., quanquam annum ætatis decimum quintum non adhuc expleſſet: obiit tamen anno 936., & ei Leo VII. ſucceſſit; Leoni anno 939. Stephanus VIII. vel IX.; Stephano Marinus II. anno 942., a nonnullis Martinus nuncupatus. Sed horum errorem invictiſſime refutat Natalis ab Alex.cap.1.artic.20. Acceptam dignitatem Pontifex Marinus honeſtavit, vitæ ſanctitate, prophetiæ dono, innumeriſque virtutibus, atque poſt tertium annum nonnulloſque menſes optime geſti Pontificatus, ad Cœlum advolavit.

Apoſtolicam deinde Sedem obtinuit Agapitus II. anno 946., quo mortuo, anno 955. ex calculo Vallemontii, Eccleſiam gerendam accepit Octavianus Alberigi Marchionis Hetruriæ filius, annos natus duodeviginti, nomenque Joan-

nis

nis XII. ſumſit; quod exemplo ſucceſſoribus Pontificibus fuit, nomen commutandi. Nimirum exagitatus Joannes fuit a Berengario Italiæ Rege, atque Adelberto ejus filio. Hic enim Ravenna occupata, Sedem Regni ibi fixit, Pontificemque ab ejus Urbis poſſeſſione exturbavit, cujus pleniſſimum dominium Deceſſores omnes obtinuerant, ut ex quadam Conſtantini Porphyrogennetæ conceſſione probat Cl. Pagi ad annum 954. num.5. Quapropter Joannes ad Othonem I. Legatos miſit, ut Eccleſiæ, contra vim illatam, ſubſidio veniret, eique Imperatoriam coronam ſpopondit, dummodo juramento præſtito, fidelem ſe futurum, atque omnino obſequentem Sanctæ Sedi, polliceretur. Quod fidelitatis jusjurandum præſtitiſſe Othonem conſtat ex cap. *Tibi Domino Joanni* diſtin.64. Scio Cujacium id juramentum apertiſſime inficiari lib.2. de Feudis tit.7.de nova forma fidelitatis: sed ejus opinio pluribus, a nobis ſuperius eſt refutata. Joanne Pontifice coronam Romæ accepit Otho Magnus anno 962., juratus nunquam se cum Eccleſiæ vexatoribus pacem, fœduſque facturum Nat. ab Alex.cap.1.art.21. Ab hoſtibus igitur Eccleſiæ, loca occupata, recuperavit, iterumque in Pontificum poteſtatem redegit, atque Imperatoria munificentia, ſuum munus novis muneribus cumulavit, ut Baronius ex diplomate in arce S.Angeli aſſervato, probat. Verum nec Otho a Pontifice indonatus abiit. Nam sociatis inter se conſiliis, renovata ſunt decreta Eugenii II. & Leonis IV. de Pontificis conſecratione coram Imperatoris Legatis. Sed vero Heterodoxi, ut Othonis diploma infirment; reſpondent Othonem ab Antipapa Leone VIII. fuiſſe coronatum. Addunt præterea, Leonem ope, atque auxilio Cæſaris, irrepſiſſe ad Pontificatum. Nec animadvertunt maleſanam illam opinionem, cum temporibus non congruere. Eſto enim quod Imperator anno ſequenti Romam veniſſet, & Comitiis convocatis expoſuerit Pontificem contra ſocietatem initam, præſtitumque jusjurandum, Berengario, ejuſque filio faviſſe. Quam ſocietatem, quæro, Pontifex fregit niſi factam cum Impera-

tore dum illum corona donavit? Itaque cum Leo VIII. ad S. Sedem irrepſiſſet Joannes tempori cedens, Urbe exceſſit. Sed ut Romam rediit, anno 964., in Leonis Antipapæ fautores, aſſeclaſque, exempla edidit. Breviter deinde vixit, cumque acquieviſſet electus eſt Benedictus V. Verum Imperator Romam iterum advolavit cum Antipapa Leone, electumque Pontificem non ſolum depoſuit, ſed in exilium miſit, ubi anno ſequenti deceſſit, quo etiam Leo Antipapa obiit. Pontifex ſalutatus deinde anno 965. Joannes XIII. fuit, Capuam in exilium miſſus a Roffredo Romæ Præfecto, in quo exilio brevi tempore commoraſſe illud conjecturæ eſt, quod ſequenti anno Othonem II. Romæ coronavit, ex Baronii ſententia. Anno quoque 969. eodem Pontifice, Romæ Concilium coactum fuit, ubi Beneventana Eccleſia Archiepiſcopali titulo eſt honeſtata, ut colligitur ex Epiſtola Joannis XIII. tom. 9. Conc. Mortem obiit Joannes anno 972., ejuſque in locum Benedictum VI. ſubrogarunt, jugulatum deinde opera cujuſdam Romani, in Imperatoris Adriani Arce, quod in libertatem Urbem vindicare ſatageret. Ante Benedicti necem, nonnulli Bonifacium VII. Antipapam elegerunt, cujus Imperium triginta tantum dierum fuit, nam a maleparta Sede exturbatus Conſtantinopolim ſe recepit anno 974. atque legitimo jure electus eſt Domnus, cui, cum celerrime naturæ debitum reddidiſſet, Benedictus VII. ſucceſſit, ejuſque inauguratio, ut fertur, apud Imperatoris Legatos eſt facta anno 975. Ferunt quoque hunc Pontificem, Romæ Concilio coacto, Antipapam a Fidelium communione dejeciſſe. Morbo conſumtus eſt anno 984. ſucceſſoremque habuit Joannem XIV., mancipatum carceribus deinde in Adriani arce a Bonifacio Antipapa anno 985., ubi morte affectus fuit, ſed an fame, an veneno, eſt incertum. Verum paucis a tanto ſcelere patrato, diebus, periit etiam Antipapa; atque vocatus eſt ad Pontificatum eodem anno, Joannes XV., qui Pontificatu inito in Hetruriam profugus receſſit, vitaturus concitati populi iras. Sed timore ab Imperatore Othone III. affecti Romani, Pontificem ut in Ur-

bem

bem rediret, rogarunt. Deceſſit anno 996., creatuſque eſt Bruno affinitate Othoni conjunctus, sanctitate ſingulari prædıtus, nomenque Gregorii V. ſibi invenit.

Hic Pontifex Othonem III. lauro Imperatoria donavit, illumque exoravit, ne Creſcentium Conſulem Romanum, peſſime de Pontificibus Deceſſoribus meritum, in exilium pelleret. Sed cum Imperator Italia exceſſiſſet, Creſcentius ingratiſſimam beneficii vicem Pontifici retulit. Hoc enim Urbe ejecto, Joannem Placentiæ Epiſcopum in Apoſtolicam Sedem intulit, Joannem XVI. Antipapam dictum (hoc enim nomine a ſucceſſoribus Pontificibus traducitur, ut ejus bullæ, ab aliis diſtinguantur.)

Sed oportet hic nonnullorum errorem adnotare fortaſſe ex libro de regimine Principum, qui D. Thomæ Aquinati, tribuitur, invectum: laudatum ſcilicet Pontificem Gregorium V. ad ſolos Germaniæ Principes tranſtuliſſe, jus Imperatoris eligendi. In quem errorem turpiſſime impegiſſe novimus Auguſtinum Triunphum, Ptolemeum Lucenſem, Bellarminum de translatione Imperii cap. 1. Baronium ad ann. 996., alioſque plurimos. Quanquam enim extra dubitationis aleam poſitum ſit, Occidentis Imperium factum fuiſſe electivum, quum Caroli Magni genus interiiſſet; attamen exploratum quoque eſt Deſignatum Imperatorem, a Romano Pontifice probandum, atque coronandum fuiſſe. Verum de hujuſmodi eligendi formæ origine, multum dubitatur, quoniam Fridericus II. ex omnium Comitiis Principum fuit anno 1220. electus. Lebnitius in Præfat. Cod. diplom. putat, ab eodem Imperatore fuiſſe Electores ad minorem numerum redactos, ut ſuus Filius Henricus VI. deinde facilius eligeretur; immo addit, quod primum de Electoribus mentio habeatur in quodam Breve Alexandri IV. miſſo ad Gerardum Moguntiæ Archiepiſcopum, ut Conradi II. electio impediretur. Ceterum quod ſeptem Electorum numerus expreſſe legatur in Urbani IV. Epiſtolis Riccardo Romanorum Regi datis, nihil id moramur nam Cl. Pagi invictiſſimis rationibus probat, nec ejuſmodi numerum defi-

definitum fuiſſe anno 1258. (errat igitur Sleidanus aſſerens lib.3., id ſtatutum fuiſſe anno 1000.) ſed probabilior videtur Panvinii aſſertio, numerum Electorum firmatum fuiſſe a morte Friderici II. anno ſcilicet 1271., ſcriptores vero facili negotio erraſſe, & pro Gregorio X., poſuiſſe Gregorium V. Nec fortaſſe aſpernenda erit opinio aliorum aſſerentium, hanc Imperatoris eligendi poteſtatem, penes Germaniæ Principes viros, summoque loco natos fuisse. Videndus eſt de hac re Nicolaus Cuſan. de concordantia Cathol. lib.3. cap.4., & Panvinius de Comitiis Imperatoriis. Nos vero ad rem noſtram redeamus.

Gregorius autem V. fuit iterum in Pontificia Sede ab Othone reſtitutus, a quo Antipapa Joannes XVI. effoſſis oculis, injuriis, pœniſque aliis affectus eſt: Conſul autem Creſcentius Pontificum Perſecutor, interfectus fuit ejuſdem Imperatoris juſſu. Verum inflictæ hujuſce necis pœnituit; piguitque dejeratæ fidei. Quamobrem nudus pedibus Garganum Montem ab Urbe petiit, aliaque innumera in se pœnitentis animi, exempla dedit. Eodem anno 998. Concilium Romæ Pontifex convocavit, damnavitque tanquam inceſtas, nuptias Roberti Galliæ Regis cum Berta: illi ſpiritali vinculo, & ſanguinis nexu conjuncta. Nat. ab Alex. cap. 1. art. 25. Rex vero, ut Galliam univerſam interdicto Eccleſiæ ſuppoſitam vidit, ad se rediit, atque Bertam dimiſit. Supremum tandem diem obiit Gregorius V. anno 999. Pontificatumque obtinuit Sylveſter II. fato functus anno 1003. Breviſſime quoque vitam egit Succeſſor Joannes XVII. ideoque eodem anno Joannem XVIII. Pontifex factus eſt.

Pontifici Joanni XVIII. Sergius IV. ſucceſſit ann. 1009. Sergio Benedictus VIII. anno 1011.; at ſequenti anno, ex Baronii calculo, Gregorius Antipapa electus fuit: qua de re ad Imperatorem Henricum I. perfugit Pontifex, a quo fuit Pontificia in Sede repoſitus anno 1014. Pontifex autem beneficii memor, illum Imperatoria corona ornavit. Sed neque in tanto munere Imperatoris munificentia eſt deſiderata; etenim

nim ipſe ſingula dona a Deceſſoribus Principibus Eccleſiæ oblata, confirmavit; itaque Sacerdotio cum Imperio Sociato, leges Eugenii II., & Leonis IV. de ordinatione Pontificis apud Imperatoris Legatos, iterum floruerunt. Profectus eſt Benedictus VIII. in Germaniam anno 1019. perſuaſum Imperatorem Henricum I., ut ex Daunia Græcos ejiceret, atque perfecta re, Bambergam Urbem dono ab eadem accepit; commutatam deinde tempore Leonis IX. ab Imperatore Henrico III. cum Benevento, Oſtienſis lib.2. cap.47.

Morbo interiit Benedictus VIII. anno 1024., eique ſucceſſit Joannes XIX. (hoc enim nomine ipſe uſus eſt, in diplomatis ſignandis, & ab Uchellio tom.1. referuntur) coronatus ab hoc Pontifice Imperator Conradus II. fuit, anno 1027. Accipe hinc Sleidani errorem aſſerentis Conradum coronatum fuiſse a Joanne XXIII. Deceſſit laud. Pontifex anno 1033., ſucceſſoremque habuit Benedictum IX. nepotem ſuum, atque Alberici Conſulis filium, pene puerum, decimum enim annum nondum attigerat, teſtibus Nat. ab Alex. ſecul.XI. cap.1. art.4., Baronio, aliiſque non infimi ſubſelli Auctoribus. Urbe, & Sede expulſus eſt Benedictus IX. a Romano populo anno 1037., ſed tamen Conradi Cæſaris auxilio ad priſtinam dignitatem, locumque fuit revocatus, ut probe advertit Cl. Pagi, ad dictum annum, a quo caſtigatur etiam error autumantium id eveniſse Deceſſori Pontifici Joanni XIX. At vero Henrico Rege Germaniæ III.Conradi filio Imperium gerente iterum Pontifex eſt ejectus a Romanis anno 1044., quorum audacia huc evaſit, ut Joannem Sabinæ Epiſcopum, nomine Sylveſtri III., Pontificem cooptarent. Verum tribus poſt menſibus, ope Tuſculanorum Comitum, ſibi affinitate conjunctorum in ſuam Sedem reſtitutus fuit Benedictus. Sed rebus nondum bene pacatis, miſceri iterum partium factiones viſæ ſunt, novuſque excitatus eſt Antipapa Joannes XX., Jul. Marcelli in notation. ſchiſm. Itaque ceſſit tandem invidiæ, atque odio inimicorum, vel ut melius dicam, Pontifex pacis & otii ama-

tor,

tor, diſcordiarum, & tempeſtatum, quibus jactabatur, cauſam removit, abdicato Pontificatu. Quo exemplo, & ſuaſionibus Presbyteri Gratiani commoti, Sylveſter, ac Joannes voluntatem invadendi, aut per vim occupati Pontificatus retinendi abjecerunt. Electus eſt igitur Pontifex anno 1044. idem Gratianus, optime, cauſa extirpati ſchiſmatis, de Eccleſia meritus, dictuſque eſt Gregorius VI. ex Baronii ſententia.

Verum ſi hic accuratiorum ſcriptorum opinioni dandus eſt locus Gregorium VI. Simoniaca labe inquinatum aſseremus, quod Pontificatus reditus abdicantibus attribuerit. His accedit Sutrenſis Concilii decretum, quo maleparta dignitate, fuit motus. Scio Auctores alienæ ſententiæ aſserere, Gregorium Sutrenſi Concilio præſediſse, & ſponte ſua Pontificatu se abdicaſse. At utinam aſsertionem hanc probarent; ſed non probant inquit Cl. Pagi. Quamobrem dum Gregorium Simoniaci ſceleris purum oſtendere conantur, ſe ipſos ignaviæ reos agunt. Profecto Clementis II. P. bulla, quæ in omnium oculos incurrit, in illos Baronii incurrere debebat, niſi prudens, videnſque errare voluiſset. Ex Clementis igitur bulla apparet Gregorium Præceſsorem Simoniacum fuiſse, & Antipapam (prætereo cetera argumenta Nat. ab Alex. secul.XI.cap.I.art.4) Sane novimus ex Leone Oſtienſi Chron.Caſin.lib.II.cap.80. multos fuiſse Pontifices ſimoniace electos, & tanquam legitimos Eccleſiam geſſiſse. Statutum enim eſt conſtitutione Alexandri III. P. incipiente: *Licet evitanda*, quod quamvis Cardinales fortaſse fuerint pecunia corrupti in Romani Pontificis electione, ne Chriſtianæ Reipublicæ pertubetur ordo, rata, firmaque erit electio; atque hæc eſt communis DD. ſententia in Canone *Si quis pecunia* diſsert.29. Sed enim de Simoniaca Romani Pontificis electione eſt Julii II. P. Conſtitutio legenda, habita anno 1505. quæ incipit *Cum tam Divino, quam humano jure*, approbata deinde anno 1512. in Sacro Lateranenſi V. Concilio ad abundantiorem cautelam (ut Synodi verbis utar) laudata conſtitutione decretum eſt, Pontificem Simo-

niacè

niacè electum, non Apoſtolicum, ſed Apoſtaticum habendum, neque Simonem Petrum, ſed Simonem Magum præſeferre, atque icciroo omni, in Pontificiis muneribus obeundis, poteſtate deſtitui. Extat quoque de hac re Pauli IV. P. conſtitutio lata anno 1558. cujus initium *Cum ſecundum Apoſtolum*. Quapropter ex laudatis conſtitutionibus, licet a ſucceſſoribus PP. editis,clarum fit, Sutrenſe Concilium optime se geſſiſſe, vel in deponendo Gregorio, vel in ſufferendo (in gratiam Auctorum diverſæ ſententiæ ſit dictum) Gregorii regimen, & Pontificatum. Et quidem, quod ad Simoniam attinet, duplicem eſſe Doctores ſtatuunt. Alteram ſcilicet contra religionem, infuſam; alteram contra religionem, acquiſitam Divus Thomas 2. 2. q.100. art. 2., & in Divum Aquinatem Cajetanus, Durandus,Riccardus, & Suarez lib.4. cap. 2. Prima autem jure divino, ac naturæ prohibetur, eſt enim contra divini doni excellentiam, quod nullo pretio, mercede nulla, nobis largitur; ideoque in actis legitur 8. 20. Petrum Simoni Mago, pecuniam pro divino munere obtinendo offerenti, dixiſſe: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*. Altera vero Simonia eſt contra religionem acquiſitam, quæ ſolo jure Eccleſiaſtico prohibetur, ut venditio Eccleſiæ officiorum. Sed prætermiſſis Simoniæ diſtinctionibus, in mentalem ſcilicet, realem, conventionalem, & fictam; atque ſilentio quoque præteritis de hac re quæſtionibus, in quibus toti ſunt Canoniſtæ, illud unum hic apponendum cenſemus: Romanum Pontificem, ex Divi Thomæ doctrina, nequaquam in illam Simoniæ labem incurrere, quæ juris poſitivi ſit, ideſt Eccleſiæ ſtatutis caveatur; cum Pontifex ſit Eccleſiæ, ejuſque Sanctionibus longe ſuperior. Quapropter dum Pontifex aliquid,vel de jure Canonico prohibitum,vendit Simoniæ criminis purus eſt, cum ipſe Sanctionem, Sanctioni contrariam ſtatuere poſſit, quod etiam in dubio facere præſumitur,ut relatus Eccleſiæ Doctor docet 2.2.q.100. art.1.ad 2. & Cajetanus ibidem, ac Suarez lib.4. cap.52.n.2. aliique. At enim omnes conveniunt Doctores, Pontificem

Simoniæ reum eſſe, cum contra jus divinum illa vendit, quæ ſuapte natura spiritualia ſunt. Quamobrem Vaſqueſius n.183. hanc, innumeris ſuffragantibus ſcriptoribus, opinionem ſuſtinet, nullo pacto ſine Simoniæ labe, Pontificem vendere poſſe Eccleſiaſtica beneficia, quippe quæ bona spiritualia. Sed, pace Vaſqueſii dictum ſit, fallitur hac in re, turpiterque fallit. Pontifex enim jus spirituale non vendit, ut rectiſſime Suarez advertit in cap. 52. n. 73. verſ. *Veritas nihilominus eſt*. Et bene infert hoc peculiare eſſe in Summo Pontifice, ut ex multis juſtis titulis, & modis ex ſua suprema paſtorali prudentia illi occurrentibus pecuniam accipere poſſit, vel aliis applicare, quum alicui dat beneficium ſine illius venditione, & ſine intentione pretii, atque ideo ſine minima simoniæ labe. Atque hinc, ex sententia ejuſdem Suareſii, ratam habebis opinionem, in Romanum Pontificem vix, aut nullo modo cadere poſſe ſuſpicionem Simoniæ, nec ipſum in pœnas incurrere contra Simoniacos latas; quoniam juris Eccleſiaſtici ſunt. Vide eundem Suareſium dicto cap. 52. n. 9. nos vero ad ſeriem Pontificum redeamus.

Succeſſit in Pontificatu anno 1046. Clemens II., qui Henricum II. Imperatorem coronavit, ſed is, ut P. Pagi refert ad an. 1049. pecuniæ largitione a Romanis, obtinuit, ut niſi se annuente, Pontifex non eligeretur; qui mos (ſi mos dicendum eſt, quod contra leges, & per vim invectum fuerat) obtinuit uſque ad Gregorii VII. tempus, a quo tandem Pontificis electio in libertatem vindicata eſt, vel contradicente, totiſque viribus obſiſtente Henrico IV. Imperatore. E Germania in Italiam cum veniſſet Clemens II. vitam reliquit: Eccleſiam rexit novem menſes, & dies quindecim, ejuſque cadaver Bambergam, ad ſuam Eccleſiam deportatum, honeſto funere eſt humatum. P. Pagi ad ann. 1047.

Benedictus deinde IX. ad Pontificatum obrepſit, atque octo poſt menſibus, decemque diebus, legitimo jure electus fuit Damaſus II. cujus Pontificatus unius menſis ſpatio abſolutum eſt, atque poſt ejus mortem Bruno Epiſcopus ad

Apo-

Apoſtolicam Sedem eſt evectus, de Imperatoris Henrici II. voluntate. Verum Pontificatum nunquam Bruno iniit, niſi ſuæ electioni Cleri, populique Romani univerſi accederet conſenſus Nat. ab Alex. ſecul. xi. cap. i. art. 6. dictuſque eſt Leo IX. Summa omnium ordinum frequentia, exceptus fuit, Urbem ingreſſus, quo venerat, nudus pedibus, novum ipſe inter populi lætitiam, interque ſigna geſtientium civium, humilitatis factus ſpectaculum.

Multos pro Eccleſia labores Leo ſuſtulit, multiſque fractus eſt itineribus, vel cauſa præſidendi Conciliis, vel populos in officio continendi, vel denique effrænæ licentiam legibus, atque cenſuris compeſcendi. Primum enim ipſo præſide Ticini Synodus eſt coacta: deinde in Galliam tranſiit, & ad Saxoniam. Remenſi, Moguntinoque Concilio interfuit, & Colonia tranſiens Archiepiſcopum, Archicancellariæ S.R. Eccleſiæ dignitate, honeſtavit. Venit ſequenti anno in Dauniam Normannos ſedatum. Sed longum eſſet ſingulas hujus Pontificis res geſtas perſequi; ſinguloſque ejus labores percenſendo numerare. Is enim non modo tribus Romanis præfuit Synodis, ſed etiam pluries Beneventum venit, atque in Galliam, Germaniamque rediit, ubi Henrico III. Imperatori Fuldenſem Præbendam, & Bambergenſem ceſſit Epiſcopatum, vel potius cum Beneventi dominio commutavit, ut ſuperius, Oſtienſe Auctore, notavimus. Memoriæ quoque ab eodem Auctore proditum accepimus, quod Leoni IX. Pontifici veneno in calice propinato, calix tantum gravitatis divinitus acceperit, ut altius tolli non potuerit. Subdiaconus vero tanti ſceleris inceptor, immundis ſpiritibus repente correptus, pœnas luit.

Verum Pontifice Leone IX. mortuo, anno 1049. Romani ad Imperatorem Legatum miſere, ut quendam Gerardum Epiſcopum in Pontificem obtinerent, qui ordinatus eſt anno 1055. Victoriſque II. nomen ſuſcepit. In Italiam vero rediens vi morbi eſt abſumtus Florentiæ anno 1057., eique ſucceſſit Stephanus IX. cujus virtutem, Apoſtolicamque pectoris firmitudinem, in Presbyteros præſertim in-

continentes; atque inceſtas conſanguineorum nuptias, refert Oſtienſis lib.2. cap.98. Extremum diem Florentiæ obiit, anno 1058.

Sed poſt relatum Pontificem Sanctam Sedem occupavit Joannes Mincius, factione popularium corruptorum largitione, adjutus, appellatuſque eſt Benedictus X. Antipapa. Verum poſt nonnullos menſes ex eadem ejectus a Goffredo Hetruriæ Duce, atque creatus eſt in Senenſi Urbe Gerardus Florentiæ Epiſcopus, qui poſteriori anno 1059. Pontifex eſt conſecratus, & Nicolai II. nomen ſumſit, protinuſque Antipapam excommunicavit. Sed deinde fuit ab eodem abſolutus, ſine tamen Eccleſiaſticorum graduum reſtitutione. Simulque Romæ Concilium tenuit, ubi ſummum jus in Presbyteros incontinentes, & Simoniacos exercuit, eoſque gradu movendos cenſuit. Sed ut eſt animus a ſeveritate ad miſericordiam proclivis, tandem ab eodem Pontifice aliquid de ſumma juſtitia remiſſum eſt, parcitumque fuit Clericis, ac Simoniacis inauguratis, ut ex laudatæ Synodi actis conſtat. Atque ut omnia inpoſterum ſchiſmata vitarentur, decrevit, ut Cardinales, Pontificem, ex Romano Clero, eligerent. Atque ex illo Cardinalium dignitas maximi haberi cæpit. Decretum quoque eſt in eodem Concilio, *ut obeunte Apoſtolico Pontifice Succeſſor eligeretur, & electio ejus, Regi notificaretur*. Quæ quidem Sanctio multarum deinde contentionum cauſa extitit inter Sanctam Sedem, & Henricum IV. Imperatorem, cujus impii conatus eo proceſſerunt, ut auſus fuerit Nicolaum II. P. Pontificatu, leviſſima, vel nulla cauſa exturbare. Cautum ab eodem Concilio fuit, teſte Natale ab Alexandro, ne plura Sacerdotia, ſive Eccleſiaſtica beneficia, uni Clerico conferrentur, atque ut ſingularum Eccleſiarum Miniſtri ad communem vitam reducerentur.

Firmavit idem Pontifex Nicolaus II. Riccardo Capuæ Principatum, & Roberto Guiſcardo Calabriæ, Dauniæque Ducatum, ſed aliquid tamen vectigalis ex eis, ſibi reſervavit, Oſtienſ. lib.3. cap.15. Deceſſit tamen anno 1061. adle-

ctuſque fuit in ejus locum Lucenſis Epiſcopus, nomenque Alexandri II. accepit. Ægre tulit Imperatrix Alexandri electionem, quid, ſe inſciente, fuiſſet facta, Imperiique jura ab se tunc temporis geſti, vice filii Henrici IV., qui adhuc infans, Imperium obtinuerat anno 1056., imminuiſſet. Quapropter Imperatrix inſtigante Cancellario, anno 1061. quendam Pallavicinum Parmæ Epiſcopum, eligendum curavit, atque a Placentiæ, Vercellique Epiſcopis inauguratum, nomine Honorii II. Romanæ Eccleſiæ præfecit. Sedem occupavit Antipapa Honorius uſque ad annum 1067. Quanquam enim altero ab electione anno coactus fuiſſet malepartam dignitatem relinquere, tamen contra bonorum omnium suaſiones, preces, obteſtationes, obfirmato animo ſtetit. Sed multis in illum coactis Conciliis, quæ videri poſſunt in IX. tomo Conciliorum, in Mantuana tandem Synodo Pontificatu eſt exturbatus. Alexander vero Simoniæ labæ juramento purgatus, verus, legitimuſque Pontifex fuit recognitus anno 1067., quo anno Mantuanum Concilium eſt habitum, ex sententia accuratiorum ſcriptorum. Quod autem de hoc Pontifice notatu dignum putamus, id eſt, quod cum fuiſſet anno 1073. apud Pontificem Henricus IV. Imperator Simoniæ accuſatus, ea, quæ Apoſtolica eſt, libertate, Romam citavit, ut se crimine purgaret.

Morbo abſumtus eſt Alexander, eumque quidam Ildebrandus excepit Gregorius VII. nuncupatus (licet probe putent Gregorium VI. fuiſſe Antipapam) ejus electio Imperatori eſt probata, atque icciro Romam ſuum Legatum miſit, ut Pontificis conſecrationi adeſſet, ex quo hujuſmodi uſus, in deſuetudinem abiit P. Pagi ad h. an. 1073. memoriæ quoque proditum eſt, rem divinam ſollemni ritu pro Pontificis conſecratione, Sacerdote faciente, circumvolaſſe columbam circum Gregorii VII. caput. At vero quanquam miraculis divinitus probatus fuiſſet Gregorii Pontificatus, nec odium, nec linguas malevolorum effugit. Contra Pontificem enim ſcripſere Germaniæ Epiſcopi, quod effuſi

in

in venerem, caſtimoniæ, & puritatis aſſertorem, atque vindicem ferre non poſſent. Neque Gregorium a ſua ſententia dimoverunt hominum maledicta: Concilio enim Romæ habito, anno 1074. Simoniacos, Concubinarios, atque ejus furfuris Presbyteros Univerſos, Eccleſiaſticis, iiſque ſeveriſſimis pœnis coercuit. Excomunicatione in eodem Concilio iterum petivit Gotifredum in Mediolanenſem Eccleſiam, pulſo per vim legitimo Archiepiſcopo Actore, intruſum ab Imperatore, conſecratumque ab ejus partis hominibus. Sed hoc factum cum Imperatori diſplicuiſſet, voluntate ab alienatus eſt a Pontifice, eumque veluti Imperii hoſtem impetere. Steterunt tamen pro Gregorio, vel potius pro Gregorii conſtantia, & veritate, non ſolum Cæſaris Mater, ſed etiam Beatrix Gotifredi Lotharingiæ Ducis vidua, ejuſque filia Matilda, ex primis nuptiis cum Hetruriæ Duce, genita. Verum ſui pulcherrimi facti non ſolum Gregorium non pænituiſſe novimus, ſed majorem illum animi conſtantiam contra Principum conata, deſumſiſſe. Quamobrem Robertum Apuliæ Ducem Urbem Beneventum, aggreſſum, excomunicationis armis objectis, compeſcuit. Eiſdemque armis uſus eſt contra nonnullos Imperatoris Conſiliarios, quod simoniæ criminis participes fuiſſent.

Coactum eſt eodem Pontifice Gregorio alterum Romæ Concilium, anno 1075., ad extirpanda veluti e radicibus Eccleſiaſticorum vitia. Atque hinc eſt, quod fidelibus prohibitum ab eadem Synodo legimns, ne Sacræ Sinaxi, Presbyterorum vitiis, ſceleribusque notatorum adeſſent, non quod eorum sacrificia nulla forent, ſed ut a populis contemti, & repudiati Presbyteri, colligerent ſeſe, atque reſipiſcerent (quod primum a D.Gregorio VII. P. factitatum, pluries deinde a ſucceſſoribus uſitatum eſt, ut cum aliis Sigebertus notat) prohibuit etiam Gregorius Laicorum Principum inveſtituras. Etenim ipſi ſui juris fines longius quam par eſſet, tranſeuntes, ab Epiſcoporum, ut ajunt, nominatione, quæ eorum juris erat, illuc progreſſi fuerant, ut ab Epiſcopis exigerent univerſa obſequii, & ſervitutis ſigna, quæ

a Feu-

a Feudatarlis exigi moris eſſet ; atque hinc erat ; quod Epiſcopos ad fidelitatis juramentum adigerent . Natalis ab Alex. secul.9. , & 10. cap.5.art.7. Itaque tantam corruptelam, ſeu potius tam impium Simoniæ seminarium, cum diutius ferre non poſſet Gregorius , hujuſmodi a Laicis Principibus inveſtituras vetuit , ne ſcilicet in Eccleſiæ bonis fierent , Septimi Oecumenici Concilii , aliarumque Synodorum adhærens ſtatutis , licet prævideret hanc prohibitionem nimis ægre ab omnibus Principibus latam iri , cujus cauſa quo ad vixit peraſſiduas vexationes ſuſtulit . Verum ne in longum de hac re protrahamus narrationem , brevibus animadvertere cenſemus , quod plures Theologi putabant aperte hæreticum eſſe , Epiſcopatuum , ac Præbendarum inveſtituras, viros Principes seculares largiri per annulum,ut ajunt,& baculum, miſcerique , hac re, diſcrimen , quod intercedit inter laicas , Eccleſiaſticasque perſonas . Contrarium tamen aſſeruit Ivo Cartonenſis in epiſt.60. credidítque hæreſis labe puros fuiſſe viros Principes , quoniam inveſtituram in rebus , non autem Epiſcopalem Characterem impertiri illo ſollemni ritu , vellent . At Cardinalis Vindocinenſis Abbas , utramque conciliat opinionem , hac nova ſententia . Hæreſis nota inurit viros Principes inveſtituras Epiſcopis ante conſecrationem , impertientes ; & cum Theologis ſentit . Si vero conſecratio, inveſtituras præiret , omni crimine abſolvit ; atque hoc pacto Auctores contrariæ ſententiæ , ſequitur . Vide de hac re Nat. ab Alex. secul.xi. & ſeq. diſſert.4.p.2. . Leges quoque iterum ſancivit Gregorius adverſus incontinentes Sacerdotes, multum nequicquam obſiſtentibus Germanis , teſte Sigonio lib.6. de Regn. Ital. Multas epiſtolas ad Henricum Imperatorem dedit , ut a Communione cum Simoniacis abſtineret , cumque Imperator non reſipiſceret , Apoſtolica uſus auctoritate , a Fidelium communione ejecit . Sed hoc magni , & conſtantis animi argumentum , cauſa fuit tot , tantarumque tempeſtatum , quibus ab Imperatore ira excandeſcente , jactari non deſtitit . Enimvero Henricus omnem lapidem movit , ut Summus Pontifex optime de Eccle-

ſia

ſia meritus, gradu moveretur, Pontificiaque Sede exturbaretur. Nec defuit etiam qui per summum ſcelus, cauſa excomunicationis a Pontifice inflictæ, Pontificem ipſum contumeliis, verberibusque affectum, in carceres conjiceret. Sed hac in re animi etiam ſui magnitudinem demonſtravit Gregorius. Nam in libertatem a Romano Populo vindicatus, ſuos inimicos, non ſolum non eſt perſecutus, ſed iis nec petentibus, nec ſperantibus, veniam dedit. Imperator vero, licet audaciam ſuam deteſtatus, in Italiam, flagitaturus veniam veniſſet anno 1077., ea tamen impetrata, Imperatoriam coronam, ut ſperabat, non impetravit. Etenim Germaniæ Principes, Pontifice permittente, Rodolphum Sueviæ Ducem, Imperatorem ſalutarunt, quo facto jus ſuccedendi in Germania, eſt deturbatum. Eodem anno fuit Robertus Dux Dauniæ abſolutus, itidemque inveſtitus Calabriæ, ac Apuliæ Dominatu, cum annuo tamen, licet tenui, cenſu Eccleſiæ reddendo. Poſteriori anno Pontifex Legatos ad Germanos miſit, ut componendarum diſcordiarum, inter duo Imperia, Auctores eſſent: pœna excommunicationis propoſita in illos, qui tantæ molis legationem impedirent Nat. ab Alex. ſecul.XI. cap. I. art. XI. idemque ſcriptor refert, Imperatorem Græcorum tanquam ſchiſmaticum fuiſſe excommunicatum, legatoſque imperatorios adjuraſſe, ſuos Dominos, nullo modo, Pontificiæ obſiſtere legationi auſuros. Neque hic eſt prætereundum, quod cum Boleslaus II. Poloniæ Rex Stanislaum Gueſnæ Epiſcopum obtruncaſſet, a Gregorio VII. Pontifice non modo fuit excommunicatus, ſed etiam Regia dignitate exturbatus anno 1081., ut Baronius ad h. an. ſcribit, atque a nobis P. P. Diſſertationis notatum fuit.

Romæ coëgit quoque Gregorius alterum Concilium, anno 1080., contra Principum inveſtituras, atque Henricum antea depoſitum excommunicavit: Rodolpho autem Imperatoriam poteſtatem, dignitatemque confirmavit Baron. ad d. an. n.8. Quapropter Henricus in Brixienſi Conciliabulo, ut ex x. tomo Concil. habetur, Pontificem eligendum

dum juſſit Robertum Ravennæ Epiſcopum, Clementem III. Antipapam appellatum, a Moguntino Conciliabulo deinde confirmatum, atque a Mutinæ, Ariminique Epiſcopis coronatum anno 1083.

Sed vero Rodolpho ab Henrici armis superato, ferroque abſumto Friſig. lib.6.cap.35. victor Henricus cum exercitu Italiam adventavit anno 1081., Gregoriumque, atque ejus partis homines eſt adortus in Urbe Roma. Verum ab impiis conſiliis, Antipapæ in Romana Sede collocandi, fruſtratus fuit, quod fortiſſime ejus impetum retardarunt Matilda Hetruriæ Comitiſſa, & Robertus Guiſcardus, defenſores Pontificis. Nec meliori fortuna rem geſſit anno 1083., cum iterum copias ad Urbem admovit, namque in hac ſecunda aggreſſione, vix Leonina fuit Urbe potitus (illis ſcilicet muris, quibus Leo IV. P. contra hoſtium impetus obvallaverat Vaticanum) ex qua fruſtratus ſua ſpe ob Pontificis magnanimitatem, diſceſſit. Verum ſequenti anno cum Romanos multa largitione corrupiſſet, in Urbem eſt exceptus, compoſque voti factus, Antipapam in Sedem intruſit, qui, vicem beneficii referre, ut credo, cupiens, Imperatoria corona Henricum donavit. Interea dum hæc geruntur, Pontifex Gregorius ad arcem S.Angeli se receperat, ſuamque ſalutem, & vitam ſumme neceſſariam illis temporibus Chriſtianæ Reipublicæ, muris, foſſis, aggeribusque oppoſitis tuebatur; Robertus Guiſcardus vir Eccleſiæ divino munere natus, Romam cum exercitu venit, manum cum hoſte conſerit, cogitque Urbe exire, vel potius in fugam agit. Itaque victoria lætus, Pontificem ingenti periculo liberatum, in Lateranenſe Palatium veluti triunphantem duxit, armisque ultus eſt ejus inimicos. Quibus rebus confectis, cum nec ſatis contra invidiam malevolorum tectum Pontificem animadvertiſſet, illum poſt decimam Synodum Romæ habitam, ſecum Salernum duxit; ubi anno ſequenti nempe 1085. morbo implicitus, a miſeriis ad felicitatem, ab ærumnis, & tempeſtatibus ad quietem, æternamque tranquillitatem emigravit.

Gregorio ſucceſſit Victor III. P. electus anno 1086., conſecratus vero anno poſteriori, quod tantam dignitatem impoſitam detrectare cuperet, ſibique vivere in Caſſinenſi Cænobio, cui Cardinalis ipſe preerat. Verum Capuanæ tandem Synodi precibus pene eſt adactus, ad Pontificatum ineundum anno 1087. Pontificatu itaque occæpto Beneventanum Concilium convocavit, adverſus inveſtituras, atque in ſimoniacos, ſchiſmaticoſque. Hoc in Concilio Ugo Lugduni Epiſcopus, & Riccardus Maſſiliæ Abbas fuere excommunicati, quippe quia de Pontificis legitima electione contendentes se a Romana, atque Catholica Eccleſia abduxerant, teſte Baronio. Deceſſit Victor III., celebrato Concilio, atque moriturus Cardinalibus commendavit Othonem Epiſcopum Hoſtienſem natione Gallum, qui fuit electus anno 1088. appellatusque eſt Urbanus II. Probata ab omnibus Fidelibus electio Urbani fuit, uno Henrico Imperatore excepto, qui cum Antipapa excommunicatus a Gregorio VII. fuerat; nec audiendus eſt Sigebertus, qui ſcribit a Gregorio,ante extremum diem,Imperatorem fuiſſe abſolutum, namque hac in re caſtigatur a Baronio, & Cl. Pagi.

Subiit Pontifex Urbanus II. eaſdem Deceſſorum Pontificum tempeſtates, quas volentes brevitati conſulere, præterimus, libet tamen hic apponere Claramontanum Concilium ab hoc Pontifice celebratum anno 1095., dum in Galliam eſt profectus, ut se ſubduceret vi, atque audaciæ ſchiſmaticorum. Longum eſſet perſequi Canones univerſos Claramontani Concilii, notatu alioquin digniſſimos; ſed ne ſicco, ut ajunt, veſtigio, illos prætereamus, paucos adnotabimus. Canone igitur 28. prohibetur abuſus, qui in nonnullas Eccleſias irrepſerat, communicandi ſcilicet Fideles Euchariſtia in Domini ſanguine immiſta; hoc enim contra Chriſti inſtitutionem erat. Decretum quoque fuit ne Presbyterorum filii ad sacros ordines admitterentur, niſi prius Monaſticam vitam profeſſi eſſent, vel Sanctæ Sedis gratiam accepiſſent: lata eſt ab eodem Concilio excommunica-

nicationis ſententia in Philippum I. Galliæ Regem, qui in venerem effuſus, Bertrandam duxerat, Berta uxore legitima repudiata, cauſa conſanguinitatis, quam cauſam nec Urbanus II., nec ejus ſucceſſor probarunt.

Quod vero in Claramontano Concilio potiſſimum ſtatutum novimus, fuit recuperatio Sanctæ Terræ, pro qua univerſæ Europæ urbes, urbiumque tecta, domusque pene commoveri ſunt viſa. Undique enim ab omnium ordinum hominibus ad arma concurſum eſt, non ædibus ſolum, & monaſteriis, ſed uxoribus etiam, liberisque relictis; quamobrem vix credi, aut ne vix quidem poteſt Guilielmo Tyrio de bello Sacro lib. I. cap. 16., dum ſcripſit, *quod non apud omnes erat in cauſa Deus*. Urbanus vero II. P., ut eos Cœleſtibus donis cumularet, omnibus plenariam conceſſit indulgentiam, quod conceptis verbis expreſſum legimus can. 2.: *quicunque pro ſola devotione, non pro pecuniæ, vel honoris adeptione ad liberandam Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur*, hi autem rubro erant Crucis ſigno diſtincti, qua de re fuerunt hujuſcemodi expeditiones, Cruciatæ dictæ; quippe quæ religionis cauſa fiebant; quanquam illas Cl. Abbas Fleury in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica non admodum commendaverit: verum tunc primum indulgentiarum nomen auditum eſt (ſicut ſupra expoſuimus, cum earum originem adverſus hæreticorum calumnias attigimus). Noſtri inſtituti non eſt, ſingula tantæ expeditionis negotia perſequi: ſat nobis erit adnotare, quod primus Gottifredus Bullionius Euſtachii Comitis Bononienſis Filius, Jeroſolymitanum regnum ſit adeptus anno 1099., ejuſque poſſeſſionem deinde nactus eſt Balduinus frater. Quæ vero geſta Jeroſolymis ſunt per annos octoginta, quum a Chriſtianis ibi regnatum fuit, videri poſſunt apud ſcriptores, qui res illius regni memoriæ tradiderunt. Sed nos ad Urbanum redeamus, hic cum ex Gallia in Italiam reverſiſſet, multis laboribus fractus, in morbum implicitus deceſſit anno 1099. Ejus ſucceſſor fuit Rinerius, Paſchalis II. dictus, creatuſque

eſt Divino Spiritu peculiari modo, afflante.

Paſchalis Pontificatus incidit in ſeculum undecimum vergentem, in tempora nempe Chriſtianæ Reipublicæ diſficillima, tenebris undique ignorantiæ, & vitiorum offuſa, atque iccirco diſcordiarum tempeſtatibus præ ceteris temporibus, divexata.

Enim vero mortuo Clemente III. Antipapa poſt integros viginti ſchiſmatis annos, duo ſchiſmatis Patroni a ſchiſmaticis ſunt electi, vel potius ab inferis excitati, Albertus ſcilicet Atellanus, a Catholicis ſtatim carceribus mancipatus, & Theodoricus Romanus, nonnullis poſt menſibus monaſterio addictus. Quæ vero nomina, hæ Peſtes Eccleſiæ, ſibi invenerint, ignoratur. Sigebertus tamen in Chronico auctor eſt, tertium Antipapam electum ab aſſeclis Guarnerii Anchonæ Principis, appellatum fuiſſe Sylveſtrum IV., in quam ſententiam deſcendit etiam Cl. Pagi ad ann. 1100. num.4.

Multos quoque Paſchalis II. Pontifex labores ſuſtulit in gliſcentibus vitiis extirpandis, atque aſſerenda Eccleſiæ libertate, præſertim in inveſtituris; qua de re duo Lateranenſia Concilia celebrata ſunt. Et quidem Henricus V. Imperium adeptus, pro inveſtituris totis viribus pugnare, Pontifex contra obſtare, cæpit. Quod ut fortius Paſchalis faceret profectus eſt Galliam anno 1106. teſte Cl. Pagi; quod vero Baronius refert inter eos aliquo modo fuiſſe conventum, ab omni prorſus veritate abhorret, nam anno MCXI. Imperator Romam venit, Leonina Urbe potitus eſt, & Paſchalem II. Pontificem in carceres truſum, vel invitum coëgit, ut inveſtituras cederet. Sed tribus poſt menſibus liberum Pontificem dimiſit, atque ab eo coronam accepit. Pontifex autem ſui juris factus anno 1116. in Lateranenſi Concilio declaravit, ſe timore adactum Imperatori inveſtituras conceſſiſſe, illudque factum improbare. Atque hæc Pontifice dicente, teſte Uſpergenſe: *Tunc ab univerſis conclamatum eſt: Fiat, Fiat.* His igitur geſtis, Pontifex licet lege Eccleſiaſtica agere in Imperatorem poſſet, illum-

que

que excommunicationis pœnis afficere, potens noluit: confirmavit tamen excõmunicationes in eundem a ſuis Legatis intortas, ut Baronius ſcribit. At Imperator Romam iterum venit anno 1117. abſolutionem petiturus, ſed ſua ſpe dejectus fuit; quippe Pontifex petenti, & nequicquam multa roganti reſpondit (fortaſſe ut verba daret) ea in cauſa Concilio opus eſſe; qua reſponſione Imperator indignatus, a Mauritio Burdino Archiepiſcopo Bracarenſi iterum coronam petiit (is enim Romæ perpetui Legati Pontificii vices gerebat; Pontifex vero Beneventi commorabatur) quæ cum Paſchali nuntiantur, alterum in legati locum ſuffecit, excommunicato Burdino. Interim Paſchalis II. Pontifex moritur; atque ejus Sedem occupat Joannes civis Cajetanus, Monachus Caſſinenſis, Cardinalis, eligiturque Romæ anno 1118., qui cum Pontificatum iniiſſet, nomine Gelaſii II. Imperatorem abſolvere renuit, niſi primum Concilio ſe ſiſteret. Verum Imperator Urbem ingreſſus in Apoſtolicam Sedem per vim intruſit Burdinum, Gregorium VIII. Antipapam dictum, a quo denuo fuit coronatus. Petr. Diacon. in Caſſin. Chron. lib. 4. cap. 64.

Obiit Gelaſius II. P. ſequenti anno in Cluniacenſi Monaſterio (profectus enim fuerat in Galliam, ubi Rhemenſe indixerat Concilium) ei ſucceſſum eſt a Calixto II. Pontificia corona donatus in Viennenſe Delphinatus Urbe. Celebravit Calixtus Toloſæ Concilium, & Rhemenſe a Deceſſore ſuo (ut ſupra docuimus) indictum, contra Antipapam, atque Imperatorem, contra quoque ſimoniacos, & Principum inveſtituras, ut ex x. Concil. tom. habetur. Ex Gallia deinde Romam venit Pontifex anno 1120., atque ſumma omnium ordinum lætitia fuit exceptus. Roma, Beneventum petiit perſuaſum Normannos, ut Antipapam in Urbe Sutrii, Aprutii, commorantem, aggrederentur. Pandulphus in vita Calixti II. Quod factum eſt a Normannis, atque Burdinus Antipapa captivus, ſummis injuriis affectus Romam eſt ductus anno 1121., poſteriori vero anno Legatis Pontificis adlaborantibus pax inter Imperatorem, & Ponti-

ficem

ficem conciliatur conditionibus Sanctæ Sedi æquiſſimis. P. Pagi ad an. 1122., & Goldaſtus verba ceſſionis refert, quæ utpote Eccleſiæ honeſtiſſima, apponere non piget: *Ego Henricus dimitto Deo, & SS. ejus Apoſtolis Petro, & Paulo, Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum, & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis fieri electionem, & liberam conſecrationem, &c.* Quæ conciliata pax in generali Lateranenſi Concilio firmata fuit anno 1123. Nat. ab Alex. in Calixto II. ſecul.XI. & ſeq.part.2.diſtint.4., & Balutius ad lib.8. de concordant. Sacerdot. & Imp., multaque alia fuerunt in eodem ſtatuta Concilio, ſed ejuſdem Canones videri poſſunt in X. Concil. tomo.

Emigravit Calixtus anno 1124., atque non ſine turbis diverſarum factionum, in ejus locum ſuffectus eſt Honorius II., Hoſtienſis primum Epiſcopus, Lambertus e Funiano dictus. Enimvero altera pars Lambertum elegerat, altera Theobaldum Cardinalem nomine Cœleſtini II., compoſita res eſt abdicatione muneris ab utroque facta: quapropter Honorius toto ſuffragante comitiatu, iterum fuit electus.

Hoc autem Pontifice cum Gulielmus Dux Apuliæ Salerni obiiſſet anno 1127. ſine liberis, heredem bonorum omnium ſcripſit Divum Petrum, ejuſque dignitatem gerentem Honorium II. P. Pagi ad d. an., quapropter hac de cauſa Pontifex Rogerium Siciliæ Comitem excommunicavit in Apuliæ Ducatum invadentem, iiſdemque excommunicationis armis terruit, ne occuparet Boëmondi Antiochiæ Principis terras in Apulia poſitas, & ne Epiſcopis Siciliæ, Romam proficiſci vetaret, hac ſuprema ſua poteſtate a Pontifice demonſtrata, Rogerius pacem petiit, & homagium, vel hominium (ſicut Cujacius melius dici putat) Summo Pontifici ſpopondit, a quo in Apuliæ Ducatu inveſtituram accepit, ut cum aliis a Patre Pagi notatur ad annum 1128.

Sed ſtatim ac obiit anno 1130. Pontifex Honorius II. fuit electus quidam Gregorius Cardinalis Diaconus, ac Lateranenſis Canonicus regularis, non vero ex Benedictinorum

rum familia, ut Baronius autumavit, a P. Pagi ad d. an. n.3. caſtigatus, vocatuſque eſt Innocentius II. Verum quia ejus electio fuit feſtinanter facta ob Cardinalis Petri Leonis factionem, ideo ab eadem, oppoſitiones de illegitima electione fuerunt productæ. Atque denuo contra jura, & leges electus eſt ipſe Petrus, Anacletus II. a ſuis aſſeclis vocatus. Profecto ſchiſma Anacleti Antipapæ ſummas peperit Sanctæ Dei Eccleſiæ perturbationes. Et primum quidem Innocentius II. verus Pontifex fuit coactus se Piſas transferre, namque Antipapa literas ad Principes miſit, ut in ſuam ſententiam, ſuamque partem illos traheret, & aliqua ratione conata ſua perfecit. Nam cum Rogerius Siciliæ Comes in ſummam potentiam creviſſet, Salerni generalem ſuorum primorum Conventum habuit, ibique concluſum eſt, Regis titulo Rogerium honeſtandum, atque Panormi coronandum, ut videre eſt apud P. Pagi. Qua re perfecta titulum quoque Italiæ Regis ſibi adſcivit, firmatuſque ei fuit diplomate Anacleti Antipapæ, ut Baronius refert. Atque hinc fuit, quod Anacletus pro se habuit Rogerium, in cujus gratiam Itali pene univerſi, illum ut Pontificem habuerunt. In his rerum perturbationibus Innocentius II. in Galliam tranſiit, ubi Leodienſis Synodus ipſo præſide fuit convocata anno 1131. adverſus Antipapam, & in eadem fuit Lotharius II. Cæſar cum uxore coronatus, qui juramento se adegit Pontificem in ſanctam Romanam Sedem repoſiturum, ut P.Pagi ſcribit. Neque in hoc Concilio, ut Diaconus Caſſinenſis perperam autumavit lib.4. cap. 99. a Pontifice inveſtituræ Lothario fuere conceſſæ: etenim etſi Imperator modeſtiſſimis verbis, id quæſiviſſet, non impetravit Nat. ab Alex. secul. 12. cap. 3. Rediit deinde Pontifex in Italiam an. 1132. & ſequenti anno cum se imparem viribus Antipapæ, ejuſque aſſeclarum, cognoſceret, regreſſus eſt Piſas, ibique manſit uſque ad obitum. Deceſſit quoque Anacletus Antipapa, anno 1138. & in ejus locum ſchiſmatici elegerunt Gregorium Cardinalem, nomine Victoris IV. Antipapæ, qui poſt quintum menſem, gradum, ad quem obrepſerat,

abdi-

abdicavit, ut Baronius ſcribit.

Nec eſt prætereundum, quod in ſecundo Generali Lateranenſi Concilio, in quem mille Patres convenerant anno 1139. fuit ſtatutum in Can. 30. ut acta Anacleti Antipapæ reſcinderentur; prætereaque Rogerius ut ſchiſmaticus fuit ab hoc Concilio excommunicatus, licet non multo poſt tempore Rogerium inter & Pontificem pax conciliata ſit, ex qua pace Regis titulus Rogerio firmatus eſt per Pontificem.

Innocentio II. Eccleſiam gerente, accidit Saracenorum profligatio ab Alphonſo Luſitaniæ Comite facta, qui ante rem cum hoſtibus feliciter geſtam ſalutatus fuerat Rex ab univerſo exercitu nomine Alphonſi I. parta vero victoria, cum quinque hoſtium vexilla adeptus eſſet, gentilitium ſtemma quinque clypeis, in ſuæ virtutis argumentum, voluit ornatum: deinde vero ſuum regnum Sanctæ Sedi vectigale fecit, timore ductus Alphonſi VII. Caſtellæ Regis. P. Pagi ad an. 1140. n. 23. quanquam Nat. ab Alex. ſcripſerit hoc Lucii II. P. tempore eveniſſe, ut ſupra oſtendimus. Præterea hujuſce Pontificis Innocentii II. perturbationes, Guelforum, Chibellinorumque factionibus auctæ ſunt; primi enim Pontificem, alteri vero Imperatorem ſequebantur, quæ ambæ factiones, multis inter se se præliis commiſſis, ſequentium ſeculorum hiſtoricis, uberem materiam præbuerunt.

Eccleſiaſtico interdicto laudatus Pontifex ſubmiſit Galliæ regnum anno 1141. quoniam Ludovicus VII. quodammodo fovebat Burgenſis Eccleſiæ ſchiſma. Ad hæc, cenſuit omne jus in Pontificum electione eſſe Romano Populo auferendum, uni Clero jure ſuffragii relicto. Qua de cauſa, ni fallor, Romani, inſtigante Arnaldo Brixienſi, cum a Pontifice deſciviſſent, in Patricium elegerunt filium Petri de Leone, pontificiis vectigalibus, pro tantæ dignitatis fructibus, aſſignatis. Aſſerebant enim alieniſſimum a Pontificibus, quorum mens eſt Cœleſtibus devota rebus, fortunæ bona poſſideri, atque in hujuſmodi veluti jactis fundamentis novum

vum

vum Senatum inſtaurarunt. Friſigenſ. lib. 7. cap. 27. Fato tandem ceſſit Innocentius II. & anno 1143. electus eſt Cœleſtinus II. P. qui Galliam, veniam petentem, & pacem, interdicto ſubduxit, amicitiamque cum Ludovico VII. firmavit.

Breviſſime vixit in Pontificatu Cœleſtinus, nam ſequenti anno Lucium II. creatum Pontificem novimus. Hic enim S. Sedis poſſeſſionem nactus, auxilium ab Imperatore Conrado adverſus Romanos rebelles petiit Arnaldiſtas, ſic ex eorum capite dictos, fœduſque ſancivit cum Rogerio Rege. Lapide ictus interiiſſe dicitur Lucius II. dum in Capitolium contenderet, quo ne veniret prohibebatur a Romanis Senatoribus.

Factus eſt Pontifex deinde anno 1145. Eugenius III. P. licet non dum in Cardinalium Collegium cooptatus. Ab Arnaldiſtis eodem ab electione die, in fugam eſt actus: ſeque a fuga in Monaſterium Farſenſem recepit, ubi conſecratus eſt ſollemni ritu. Recepit, ut ſcribunt, Græcos Legatos: quin Friſigenſis lib. 7. cap. 32. teſtis eſt oculatus, Armenos amplexatos fuiſſe Romanæ Eccleſiæ ritum, ex duarum columbarum viſu aſcendentium deſcendentiumque de Cœlo dum ad altare operaretur. Verum Pontifex anno 1146. cum Romanis civibus pace facta Romam rediit. Sigonius autem lib. 11. de Regn. Ital. refert illum denuo Tiburim veniſſe, ut rebellium, urbem illam diruere cupientium, conata impediret, ac deinde in Galliam tranſiiſſe: Ibi nonnullis præfuit Conciliis, atque Romam poſtea rediit anno 1149. teſte Anonymo Caſinen. an. 1152. Hujus Pontificis juſſu, Gratianus ſuum Decretum adornavit, de quo multis ſupra dictum eſt.

Verum enim vero licet Pontificem inter, & Imperatorem Fridericum I. Ænobarbum, pace facta, cauſæ contentionum deferbuerint, brevi tamen tempore fervere iterum, iterumque in flammas erumpere ſunt viſæ. Enim vero ſtomachatus eſt Pontifex, quod Guitmannus Cizicenſis Epiſcopus nulla de cauſa, ſola voluntate Imperatoris ex una ad

alteram Eccleſiam contra Canonum Sanctiones, tranſierit. Friſigenſis lib. 2. cap. 6. Neque excitatæ diſcordiæ, compoſitæ ſunt ex morte Eugenii III. obiti anno 1153. In ejus locum ſuffectus fuit Sabinienſis Epiſcopus, vocatuſque Anaſtaſius IV. qui ſequenti anno, fato cedens, Nicolaum Cardinalem natione Anglum ſucceſſorem habuit.

Pontificatum adiit Nicolaus, nomine Adriani IV. atque Arnaldiſtis tanto dolori fuit, ut indignatione, iracundiaque elati ad vim, & arma concurrerint, ſanctiſſimumque alterius Cardinalium corpus violarint, læſerint, vulnerarint. Quapropter P. Adrianus ad tantum ſcelus procurandum, in Urbem Romam, Eccleſiaſtico interdicto, animadvertit: quod ablatum non eſt, niſi prius ab omni Senatu Pontifici venia fuiſſet flagitata, hac conditione jurata, ut ab Arnaldo, & ſua factione pœnas repeterent. Quod adamuſſim factum teſtatur Baronius: namque Arnaldus comprehenſus, vivus concrematus fuit, ejuſque cineres in Tiberim conjecti.

Permiſit Adrianus IV., Henrico II. Angliæ Regi, ut Hiberniam adipiſceretur, eaque adeptione Sanctæ Fidei fierent incrementa, ut præ ceteris Arturus Duck ſcripſit lib. 2. *accedente Adriani Romani Pontificis conſenſu, qui in Regis noſtri deſiderium valde propenſus fuit, ut Hibernos a barbarie ſua ad Chriſtianos mores reduceret*. Henricus itaque II. ſub ſua redegit poteſtate illud Regnum, anno 1171. Nec præteriri debet, quod laudatus Anglicus ſcriptor addit cap. ſeq. *Philippus, & Maria Titulum Regis Hiberniæ, iis legitimo jure prius delatum, iterum a Pontifice acceperunt, ut ad Sedem Romanam nuper poſtliminio reverſi, obedientiæ ſuæ eidem teſtimonium relinquerent*. Sed de hac re fuſius ſupra.

Deinde cum ab eodem Pontifice Beneventi pax fuiſſet facta anno 1156. cum Guilielmo Rogerii Regis filio, cum quo, ſuperiori anno manus conſeruerat, Illum in omnibus Sanctæ Sedi obſequentem, & vectigalem, recepit in amicitiam, & inde Romam rediit. Quæ res peractæ Imperatori Friderico I. diſplicuerunt, quod cogitaret Guilielmum ab

Ita-

Italia pellere, ſuaque ſpe ipſe fruſtratus, varias, eaſque futiles occaſiones, se a Pontifice abaliendi, ſuſcepit. Prohibuit itaque ne beneficia Eccleſiaſtica juris Pontificii eſſent, nec a Pontifice diſpenſarentur: Pontifex vero, ut Friſigenſis auctor eſt, literas, Legatoſque ad Eum miſit anno 1157: qui aſpere nimium ab Imperatore accepti, Romam redierunt ferentes literas Imperatoris ad Adrianum plenas veneni, & peſtilentiæ, quarum exempla habes apud Baronium ad an. 1159. Sed præcipua in Imperatore indignationis cauſa fuit, exprobratio beneficiorum a Pontifice acceptorum, Imperii nempe coronæ, ſi Cujacio credimus, lib. 1. de feud. tit. 1. Cæſarem excuſanti his verbis: *controverſia eadem eſt, quæ inter Fridericum fuit Imperatorem, & Adrianum Pontificem Romanum. Hic cum ſatis ſuperbe per literas Friderico exprobraſſet oblivionem beneficii de manu ſua accepti, collata Imperii Corona . . . . . . re tamen vera ita Adrianum ſenſiſſe demonſtrabat inſcriptio quædam Lateranenſis Palatii, & ſenſerunt etiam alii plerique, quaſi feudi jure regna, & Imperia a se dependerent*. Sed de his fuſius prima parte diſſertationis, & Friſigenſis lib.1. cap.8. Ceterum quanquam aliquo tempore pax inter Imperatorem, & Pontificem, vel emendicata interceſſiſſet; tamen brevi poſt ſpatio res miſceri iterum, & in apertas perturbationes erumpere cæperunt. Radevicus lib.2. cap.30. de geſtis Friderici. Atque hinc fuit quod Fridericus Romam venerit, eamque occupaverit. Baron. ad d. an. n.1. & Nat. ab Alex. secul.12. cap.2. art.9.

Mortuus eſt Adrianus IV. anno 1159. ſalutatuſque eſt Pontifex Rolandus Bandinellus Senenſis, Canonicus Piſanus (non vero Ciſterſienſis Monachus ut Cl. Pagi putavit) a tribus, & viginti Cardinalibus electus; eodemque tempore a paucis Cardinalibus electus fuit Octavianus, qui Pontificiam Sedem invaſit, occupavitque, Friderico Imperatore auxiliante, quatuor annis, & menſibus ſeptem, nomine Victoris IV. Antipapæ. Verus autem Pontifex dictus fuit Alexander III. in cujus electione Natalis ab Alex. cum aliis aſſerit, non conveniſſe, ut vulgo creditur, numerum viginti

trium Cardinalium, ſed aliquantulum minorem. Eſto vera, & firma Natalis sententia. Nihil hinc eruitur, quod legitimam Alexandri electionem, vel infirmet, vel minimum officiat. Legitimus itaque Pontifex Alexander cum vidiſſet ſibi, & ſuæ partis Cardinalibus interitum comparari ab Antipapa, in S. Angeli arcem se recepit, ubi aggreſſus tamen eſt, ſed fuit liberatus undeviceſimo die ab obſidione.

Invexit hic Pontifex Baptiſmi formam conditionalem, ut ajunt, quod colligitur ex cap. 2. extra. de Baptiſm. Et Sanctorum Apotheoſin Pontificii juris fecit. Mabillon. Præfat. seculi v. Benedict. n.99. Profectus eſt deinde in Galliam, ibique aliquibus interfuit Conciliis adverſus Imperatorem Fridericum, & Victorem Antipapam habitis, quo tandem Antipapa anno 1164. Lucæ mortuo, a schiſmaticis, Guido Cremonenſis, electus fuit, atque in conſecratione ab uno Episcopo facta, vocatus Paſchalis III. Antipapa.

His peractis rediit è Gallia Pontifex Alexander III. Romam, summa lætitia a Senatu, populoque Romano exceptus anno 1165. poſteriori anno recepit Legatos a Guilielmo nomeclatura Bono, ad Siciliæ regnum evecto, poſt obitum Guilielmi I. Patris, in argumentum obſequii, & obedientiæ, ut Anonym. Caſſinen. eſt Auctor. Scio Baronium hæc omnia peracta aſſerere anno 1167. Sed ut ut ſit; hoc anno Imperator obſidione clauſit Urbem Romam, ut per vim in eam, Antipapam immitteret. Interea Pontifex timore affectus aufugerat Beneventum. Imperator vero ex Cœli intemperie, caſtra movit, Urbemque liberam reliquit. Excommunicatus deinde fuit Fridericus in Lateranenſi Concilio, imperatorioque honore privatus, ſolutis subditis juramento fidelitatis. Sed schiſmatici denuo poſt Paſchalis III. Antipapæ obitum, Joannem Hungarum Calixti III. Antipapæ nomine elegerunt anno 1168.

At vero Fridericus I. Ænobarbus in se reverſus anno 1177. Venetiis cum Pontifice ſe conciliavit: quod etiam ſequenti anno fecit Antipapa, ab Alexandro paterna pietate exceptus. Hic schiſmatici Landonem eligunt, quem Innocen-

centium III. Antipapam vocant; truſum deinde in Cavenſem Monaſterium anno 1180. P. Pagi ad hunc annum n.8.

Conceſſit etiam laud. Pontifex Alexander III. Alphonſo Luſitaniæ Principi Regis titulum, ut Baronius, ac Natalis ab Alex. referunt, licet hoc nomine antea honeſtatus fuiſſet, ut alibi diximus. Quod vero pertinet ad illud regnum sanctæ Sedi omnino ſubjectum, legendum eſt diploma Innocentii IV. P. apud Raynal. ann. 1253. n.46.

Deceſſit autem enunciatus Pontifex, creatuſque eſt Lucius III. anno 1181. qui poſt aliquod tempus, cauſa rebellium, Velitras pergere fuit coactus, ibique ſimiliter perſecutus, Veronam tranſiit, ubi adſtante Friderico Imperatore, adverſus eoſdem rebelles, atque adverſus hæreticos Concilium tenuit. Cl. Labbè tomo x. Concil. obiit tamen anno 1185. & in ejus locum adlectus eſt Urbanus III.

Hoc Pontifice Urbano III. nonnullæ denuo cum Imperatore excitatæ ſunt contentiones. Imperator enim patrimonium Matildæ Comitiſſæ Hetruriæ uſurpaverat, & quicquid reliquum eſſet bonorum, Epiſcopis mortuis ſibi vindicabat; quin imo ſpecie reformationis sanctimonialium Monaſteriis derogabat, eorumque reditus in fiſcum Regium importabat. Qua de re Pontifex Aquilejæ Patriarcham cum nonnullis Epiſcopis, qui Henrici Imperatoris filii coronationi in Germania adfuerant, ab officiis ſuſpendit. Verum obiit anno 1187. quo anno ſe cum Imperatore conciliaverat.

Deinde tamen fuit Albertus Cardinalis Beneventanus Gregorii VIII. nomine, ad Pontificatum evectus, ſed duobus, nec integris menſibus, Pontificatu abſoluto, ſucceſſit Cardinalis Paulus Præneſtinus Epiſcopus, vocatuſque eſt Clemens III. qui primus pacem cum Romanis compoſuit, hac conditione, ut Urbs Roma Pontificio dominatu omnino ſubjiceretur, Patriciique auctoritas deleretur. Voluit quoque ut Urbi Præfectus crearetur, Senatoreſque ad arbitrium Pontificis adlegerentur. Præcepit idem Pontifex Abbati Joachimo, ut librum Apocalypſeos arcanis undique involu-

tum

tum exponeret (divino enim ſpiritu corripi dicebatur Joachim., licet hoc nomine, inſecutus a ſuis Monachis tanquam veterator, vel Cacodæmone abreptus, & apud ipſum Pontificem criminatus fuerit). Hoc loco libet interponere, etſi ſejunctum a re propoſita ſit: quod quanquam liber Abbatis Joachim de Trinitate adverſus Petrum Lombardum, in Concilio Lateranenſi IV. improbatus fuerit: Honorius tamen III. declaravit, illam damnationem nullo modo ipſi, ſuiſque Monachis officere. Cl. Pagi ad annum 1188. num. 19.

Succeſſit Pontifici Clementi III. anno 1191. poſt duos interpontificii menſes, Cardinalis Urſinus, dictus Cœleſtinus III. P. a quo fuit Imperator Henricus VI. coronatus. Neque eſt ſane prætereundum, quod de hac coronatione retulit Baronius, auctoritati innixus Rog. Hoveden Annal. Angl., Pontificem ſcilicet coronato Imperatori, & ante ſe genibus flexis poſito, pede coronam ex capite dejeciſſe, ut ſignificaret, credo; penes ſe poteſtatem eſſe Imperatores facere, atque exauctorare. Non inficior Natalem ab Alex. hoc factum in dubium revocaſſe his conjecturis, & quod a Sinchronis ſcriptoribus, de eo altum ſit ſilentium, & quod Pontifex, tum natura ad lenitatem factus, cum ipſa ætate quinque, & octoginta annorum, prohiberetur. Sed pace tanti viri dixerim, conjecturæ non ſunt hujuſmodi, quæ nos in ſuam ſententiam adducant. Enimvero argumentum poſitivum Baronii, validius eſt negativo Natalis. Accedit huc, quod quamvis Cœleſtinus pene nonagenarius fuerit, & natura ſua lenis, atque benignus, potuit ad breve tempus perſonam vehementem, & acrem induere. Et ſane induit aliquando, quum Chriſtiana Reſpublica voluit illum eſſe ſeverum. Teſtes ſunt Alphonſus Gallæciæ Rex, & Leopoldus Dux Auſtriæ excommunicationis armis a Cœleſtino appetiti ambo: ille quod uxorem haberet Tarſiam Luſitaniæ Regis, Patruique ſui, filiam; hic quod Riccardum Angliæ Regem in libertatem aſſerere nollet. Teſtes ſunt Philippus Auguſtus Rex Galliæ, & Indelburga canuti Regis Danımarcæ, ſoror, quorum divortii ſententiam, a Remenſi Epiſcopo ſanctæ

Sedis

Sedis Legato, aliiſque Galliæ Epiſcopis latam, improbavit, quamvis octogeſimum octavum annum ageret. Teſtis denique Henricus VI. Imperator anathemate affectus, quod bona uſurpaſſet Riccardi Angliæ Regis. In quo anathemate ſe adeo ſententiæ ſuæ tenacem præbuit Cœleſtinus, ut Meſſanæ Imperator extra Eccleſiam deceſſerit; quanquam pœnituerit ſe perſecutum fuiſſe Eccleſiam Romanam; eamque, in ſuæ pœnitentiæ argumentum, heredem ſcripſerit Siciliæ, ſi filius Fridericus obiiſſet ſine liberis. Baronius ad ann. 1197. a num. IV. uſque ad XI.

Succeſſit Cœleſtino Innocentius III. P. anno 1198. qui fidelitatis juramentum primitus a Romano Præfecto recepit, deinde, quæcumque fuerant ab Henrico VI. per vim occupata recuperavit Rayn. ad d. an. n. 12. Per Apoſtolicum Legatum excommunicationem quoque intorſit in Alphonſum Lugduni Regem, atque in Epiſcopos univerſos, inceſtas Regis nuptias cum nepte Berengaria Caſtellæ Regis, filia, probantes. Præterea conceſſit Siciliæ Apuliæque inveſtituram Friderico II. Henrici VI. filio, ac ejus Matri Conſtantiæ Imperatrici, hac conditione, ut ſanctæ Sedi annuum penderent cenſum, ut ſupra oſtendimus.

Neque hic prætereunda eſt controverſia de Imperio ab Innocentio III. tandem deciſa. Cum enim Philippus alter Friderici Ænobarbi filius, Imperator electus fuiſſet, & ab Archiepiſcopo Tarenti coronatus, Pontifici id diſplicuit, eumque excommunicavit ſtatim ac Eccleſiæ ſtatum invadere eſt conatus. Electus itaque fuit Bertolphus Zaringiæ Dux a Principibus, qui Philippo dignitatem ceſſit, qua de re Othonem Saxoniæ Ducis filium, iidem Principes tandem elegerunt Aquisgranæ a Colonienſi coronatum Archiepiſcopo. Habita deinde ſunt comitia ad tantam litem reſecandam, ſed cum incaſſum in comitiis laboratum eſſet, Summus Pontifex, ex voluntate, & arbitrio ſuo judicavit pro Othone, licet ipſo, viribus potentior Philippus eſſet in Germania; quapropter Otho IV. anno 1209. ab eodem Pontifice fuit coronatus in Divi Petri Baſilica (ſuperiori enim anno Phi-

lip-

lippus Anticæſar (liceat cum Vallemontio novum hoc cudere vocabulum) fuerat interfectus, retinuit tamen ſibi Pontifex Marchiam Anchonitanam, quippe quæ a Comitiſſa Matilda ſanctæ ſedi dono data. Sed vero Pontifex quanquam primum propenſione voluntatis in Othonem inclinare viſus fuiſſet; tamen cum ipſe Imperator miſcere ſacra profanis voluit, Eccleſiæque terras aggredi, excommunicatione, frænum ejus audaciæ injecit, ut Uſpergenſis refert: quin imo ſubditos a fidelitatis juramento ſolvit, quapropter Fridericus II. Henrici VI. Cæſaris, & Conſtantiæ filius fuit Norimbergæ in locum Othonis, ibi denuo excommunicati, Imperator factus.

His igitur rebus geſtis addidit etiam illud Pontifex Innocentius; voluit ſcilicet ut in Sanctorum Apotheoſi Judicialis proceſſus fieret. Hoc etiam Pontifice Concilium Lateranenſe IV. Generale XII. anno 1215. celebratum eſt a frequentibus Patribus; eo in Concilio fuit Friderici II. Electio, & Othonis depoſitio firmata. Mortuus eſt poſteriori anno Peruſiæ, eique ſucceſſit Cencius Savellus, appellatus Honorius III.

Hic Pontifex mediam Corſicam Genuenſibus conceſſit, onere tamen annui tributi, unius ſcilicet auri libræ; coronavitque Romæ Fridericum II. cum uxore anno 1220., ſed cum is poſtea maximam dediſſet cauſam amiſſioni Damiatæ, & a Pontifice reprehenſus eſt acriter, & deinde excommunicatus. Ab hoc Pontifice quoque inſtitutum eſt officium Magiſtri Sacri Palatii, quod Fratribus e Dominicana familia obtigit.

Pontifici Honorio III. Gregorius IX. ſucceſſit anno 1227., qui Fridericum II. Imperatorem, quanquam cum deceſſore Pontifice conciliatum, excommunicavit, ut Uſperg. refert, quod ad ſacram expeditionem proficiſci neglexerat: eadem quoque cenſura impetitus eſt Fridericus a Romano Concilio: quin & interdicti pœna propoſita fuit in locos univerſos, in quibus Imperator, vel ad breve tempus, commoraretur. Sed nec Imperator manus ab opere

con-

continuit; atque ne longius quam par eſt narratio producatur, sat erit uno verbo dicere; tot tantasque turbas, & ſeditiones Fridericum Romæ ſuſcitaſſe, ut Pontifex in fugam actus, Peruſiam ſe receperit. Quo cum veniſſet Romanos excommunicavit; iique conſcientia facti, & inſueta Tiberis inundatione perterriti, poſt duos annos Pontificem precibus, & lacrymis Romam redire coëgerunt. Illumque redeuntem anno 1230. summa animi demiſſione, summa reverentia, & infinito deſiderio exceperunt Rayn. ad h. ann. num. .

Eodem tempore Imperator gratiam abſolutionis accepit, perfectis operibus a Pontifice impoſitis, verum ſicut Romani denuo a Pontifice defecerunt anno 1234., ita nec etiam Fridericus in inſtituta reſipiſcentia ſtetit. Sed malefactum pœna secuta eſt: Illi enim vi compreſſi, & ſub poteſtate vel inviti redacti; hic cenſuris iterum affectus fuit anno 1239., & ſubditis a fidelitatis juramento ſolutis, Imperio decidit: loca inſuper, & tecta, quo ſe recipiebat, interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſita. Sigon. lib. 18. de Regn. Ital. Sed dum Fridericus II. multa, & magna contra Pontificem, & contra Eccleſiaſticum ordinem moliretur, Gregorius IX. moritur anno 1241., atque poſt triginta dierum Interpontificium, non ſine diſſentionibus, creatur Pontifex Archiepiſcopus Mediolanenſis, Cœleſtinus IV. nuncupatus. Hic vero decimo septimo, ab inito Pontificatu, die emigravit, non ſine propinati veneni ſuſpicione. Quapropter Interpontificium factum eſt viginti menſium; atque hæc in cauſa fuere: quod Fridericus II., multos Cardinales carceribus obſtrictos haberet, atque ipſe cum exercitu Romam oppugnaret. Sed duobus poſt menſibus Urbe obſidione liberata, Anagniæ Pontifex eligitur anno 1243. Cardinalis Sinibaldus Fieſchi nomine Innocentii IV. Is in Galliam poſteriori anno aufugit, & tunc temporis rubro Galero Cardinales honeſtavit, teſte Calviſio: (quanquam ex aliorum ſententia Galero a Lugdunenſi Concilio donati fuerint Cardinales, ſequenti anno) Enimvero Lugdunenſe Generale Concilium habitum fuit

an.1245., atque in eo Pontifex emanatas adverſus Fridericum II., ſuosque ſequaces, cenſuras firmavit, ſubditosque e fidelitatis juramento denuo ſolvit Nat. ab Alex. diſ.1. de Conc. Lugd. In eodem quoque Concilio facta eſt novi Imperatoris electio, & nonnulli autumarunt tunc primum fuiſſe Electorum Imperii nomina audita, qui non ſunt hic apponendi, verum poſſunt in aurea Caroli IV. Imperatoris bulla, cum ſuis prærogativis videri; Calviſius vero putat Electores fuiſſe etiam nominatos ſub relato Othone IV. anno 1208. in Francofordienſibus Comitiis; ſed de hac re jam ſatis ſupra fecimus mentionem. In Lugdunenſi quoque Concilio, ad Luſitanorum preces, ſtatutum eſt, ut Regi Sancio Luſitaniæ Regni adminiſtratio auferetur, & Alphonſo Fratri ſuo Bononiæque Comiti concederetur. Bodinus lib.1. de Republ. cap.9.

Sacrum bellum indixit etiam Pontifex Innocentius IV. contra Conradum IV. Imperatorem, quod crudeliſſima exempla, & poſt hominum memoriam inaudita ederat Neapoli: atque, indicto bello, primum Carolo Andegavenſi Neapolitanum regnum obtulit, & renuentibus Gallis, Riccardo Henrici Regis Angliæ, fratri, & hujuſce filio Edmundo, Raynaldus ad an. 1255.n.8. obiit Conradus in Apulia impænitens anno 1254. hauſto fortaſſe veneno a Manfredo ejus notho fratre, propinato, ut cum aliis Maleſpina ſcripſit in cap. 146. deceſſit quoque eodem anno Pontifex Neapoli, ejuſque ſucceſſor fuit Epiſcopus Hoſtienſis, dictuſque Alexander IV. P., qui ſuos Neapolim legatos miſit, ubi Manfredus victoria lætus ſine Pontificis auctoritate regnabat, quamobrem a deceſſore Pontifice fuerat excommunicatus. His rebus geſtis Alexander denuo Neapolitani Regni inveſtituram Edmundo, Henrici Angliæ Regis filio, conceſſit; quam inveſtituram nomine Henrici, recepit quidam Epiſcopus. Raynal. ad an.1255. n.8. Mortuus eſt Alexander Pontifex Viterbi anno 1261. quo cauſa Romanorum ſeditionum ſe contulerat, & in ejus locum ſuffectus eſt Urbanus IV. natione Gallus. Itaque cum occæpiſſet Urbanus IV. Pontificatum,

catum, sacrum bellum jam intermiſſum renovavit, indixitque contra Manfredum nothum magis, magiſque in dies Eccleſiam vexante, ope Saracenorum, & coronatum Siciliæ Regem aliquot ante annis. Verum is Pontifex Urbanus IV. Carolo Andegavenſi Divi Ludovici IX. Galliæ Regis, fratri, regnum conceſſit. At vero quoniam (ut ſupra docuimus) hujuſce regni inveſtituram ejus deceſſores Innocentius ſcilicet IV. & Alexander IV. quod Andegavenſes renuiſſent, conceſſerant Edmundo Henrici Angliæ Regis, filio, atque hic jam acceperat, Pontifex Urbanus Archiepiſcopum Conſentinum in Angliam miſit, ut ſe apud Regem de hac re, excuſaret.

Succeſſit Urbano P. Clemens IV. anno 1265. quo Pontifice Carolus Andegavenſis in Lateranenſi Baſilica a quatuor Cardinalibus utriuſque Siciliæ inveſtituram recepit, cum quo regno illud etiam Hieruſalem continebatur: hac tamen conditione, ut tanquam Romanæ Eccleſiæ feudum cognoſceret, ac propterea quadraginta octo ducatorum millia ſingulis annis pro tributo ſanctæ Sedi penderet, ut cum aliis Arthurus Duck refert. Sequenti deinde anno, teſte Summontio lib. 2. fuit cum uxore a quinque Cardinalibus coronatus; ideoque ille in regnum duxit exercitum, & prope Beneventum ſuperavit Manfredum nothum, qui in conflictu fuit inter mortuos enumeratus, Sum. lib.2. quamobrem anno 1266. regno potitus omnino eſt. Sed quanquam ſequenti anno, Conradinus, paternum adepturus regnum in Italiam veniſſet; is tanquam Eccleſiæ perſecutor, a Clemente IV. P. fuerat excommunicatus. Corius part. 2. in Mediolan. hiſt. In aciem itaque venit Conradinus an. 1268. teſt. Sum.lib.3.tom.2. hiſt. & in agris Palentinis ad Fucinum lacum agmina diſpoſuit ex Germanis, Hiſpanis, Italiſque militibus, quos inter plurimi erant aviti regni Primores, atque innumeri Salentini, præſertim Lycii Cives, eximia affectione ducti erga peculiares Dominos Suevos (ut in nonnullis M.S. notatum novimus) quæ res cauſam præbuit vetuſtiſſimæ, nobiliſſimæque Urbis illius direptioni.

Sed ad rem redeamus. Carolus I. Andegavenſis profligato exercitu Conradini, rem illuc adduxit, ut Suevus regni cupidus, ſe fugæ dederit, ementita veſte, ſed cognitus tandem ex annulo, quem largitus fuerat; in victoris manum, ſumma diligentia illum quærentis, pervenit, ab eoque capite eſt damnatus.

Operæ pretium duximus huc afferre rem geſtam, pene adſcititiam, vel alienam a propoſita materia: quod crudelitatis nota, in ea re, nobis purgandus erat Pontifex. Enimvero proditum a nonnullis ex trivio scriptoribus, accepimus Pontificem Conradini mortem conſilio ſuo, præcepiſſe. Atque ex imbibita ſimplicioribus hominibus opinione, evulgatum illud verbum, vita Conradini, mors Caroli: mors Conradini, vita Caroli. Verum Conradinus non ſolum inconſulto Clemente IV. morti traditus fuit, ſed etiam multum diſplicente, teſtibus Malaſpina, plurimiſque aliis scriptoribus. Et profecto, hujus facinoris purum Clementem IV. hæ conjecturæ demonſtrant. Primum, quod Pontifex ſanctitate præditus ſingulari, alienum a ſua vitæ inſtitutæ ratione putaret, his ſe rebus immiſcere: ejus vero ſanctitatis hæc ſigna accepimus a Baronio tom. 10. p. 232. quod quarto anno ejus Pontificatus, dum hæc Caroli I. Andegavenſis victoria in Aprutio ab exercitu compararetur, eam Cardinalibus Viterbi, Pontifex annunciavit. Etenim dum in feſto die Divi Bartholomæi ad populum ageret, sermone intermiſſo, abreptus eſt spiritu, ac deinde ad ſe rediens dixit, *feſtinate in vias, & comprehendite hoſtes Eccleſiæ profligatos*, Spondanus ad an. 1268. tom. 1. Præterea Conradinus morte affectus eſt Clemente IV. e vivis jam ſublato: obiit enim Pontifex eodem anno victoriæ Caroli Andegavenſis, ut permulti ſcripſere; verum poſt ejus mortem duorum annorum, atque nonnullorum menſium Interpontificium fuit; multæ enim ſurrexerant contentiones, quibus pacatis, electus eſt Teobaldus Viſconti anno 1271. dictuſque Gregorius X. P. conſecratus Romæ ſequenti anno teſte Panvino.

Hoc

Hoc Pontifice, fuit Generale Lugdunenſe Concilium, ipſo Præſide, habitum anno 1274., ubi Imperatoris Rodulphi Legati firmarunt, ſollemni ritu,ſingula privilegia ab Imperatoribus conceſſa Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; itidemque Græci fidei formulam conceptis verbis ſcriptam, profeſſi ſunt. Præſcriptus quoque eſt ordo in Pontificum electione ſervandus: ex quo præſcripto ordine, irritum haberi debet juramentum, ſi quod antea præſtiterint Cardinales, in gratiam alicujus.

Gregorio ſucceſſit Petrus Cardinalis Hoſtienſis anno 1276. & Romæ conſecratus Innocentii V. nomine, ubi eodem anno deceſſit, quapropter creatus eſt Cardinalis Fieſchi e Franciſcana familia, nomenque Adriani V. ſuſcepit; acerbo, celerique fato Viterbi abreptus poſt novem, & triginta ab electione dies, Pontificia corona non eſt donatus. Electus eſt eodem anno Petrus Julianus Cardinalis natione Luſitanus, vocatuſque Joannes XXI. emigravit ſequenti anno ruina cubiculi obrutus. In ejus locum ſuffectus eſt Viterbi, Cardinalis Urſinus, Romæ die ultimo ejuſdem anni conſecratus nomine Nicolai III. cujus Pontificatus breviſſimus fuit, nam anno 1280. Apoplexi correptus prope Viterbum, interiit.

At vero quod Roma in partes, diſtrahebatur, Pontificia sedes vacavit sex menſibus. Sequenti autem anno elegerunt Simonem de Bria natione Gallum, dictum Martinum II. (non vero IV. ut ab aliis perperam vocatur). Cumque in Eum contuliſſent Romæ Senatoriam dignitatem, cum facultate, alium in ſuum locum ſubrogandi, ipſe cum deceſſoris Nicolai III. P. abrogaſſet conſtitutionem prohibentem, illam Regibus tribui, ut habetur ex cap. fundamenta de electione, & electi poteſtate, Carolo Neapolis Regi contulit, qua Pontifex deceſſor, cum Vicariatu Hetruriæ, Illum privaverat. Excommunicavit Martinus Michaëlem Paleologum Orientis Imperatorem, quod ad veterem schiſmatis errorem rediiſſet, & Ladislaum Hungariæ Regem ob mores diſſolutos (licet nonnulli ſcripſerint Imperatorem demum

reſi-

reſipuiſſe) ſimilique pœna Pontifex affecit Siculos,& Petrum Aragoniæ Regem, quod anno 1282. Siciliam occupaſſet, in cujus poſſeſſionem jure conjugii, ut ipſe aſſerebat, vocabatur. Quapropter Pontifex anno 1283. abſtulit Petro Aragoniæ Regi, patris regnum, idemque Philippo Pulchro Galliæ Regi conceſſit, quo ſtatim potitus eſt, ejuſque regni corona ſequenti anno filium honeſtavit, teſte Surita.

Succeſſit, hoc Pontifice ſublato, Cardinalis Savelli anno 1285. qui fuit Romæ conſecratus nomine Honorii IV. Siculos nonnullis oneribus ſubtraxit Honorius hac conditione, ut Aragonenſem relinquerent factionem. Enimvero mortuo Petro Rege, ejus filius Jacobus Siciliæ Regni corona decoratus in eo regno, ſe obfirmaverat contra Pontificis voluntatem. Quamobrem Pontifex & Jacobum Regem excommunicavit, & inſulam interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſuit, anno 1286. Rayn. n.6. Verum poſteriori anno Honorius Pontifex obiit, & poſt decimum Interpontificii menſem anno ſcilicet 1288. Nicolaus IV. P. creatus eſt, qui antea Cardinalis, ac Frater Franciſcanus fuerat.

Is vero Pontifex primum ſuos ad Alphonſum Aragonenſem Legatos miſit pro Neapolitani Regis libertate, Caroli ſcilicet II. cognomento Claudi, qui in prælio prope Neapolim captivus ab Aragonenſibus factus, miſeriis, & diuturna captivitate confectus, Siciliam inconſulto Pontifice, ceſſerat, obſideſque duos filios dederat. At poſtea anno 1289. Reate in Umbria a Pontifice Nicolao IV. coronatus (nec probamus ſententiam, Carolum fuiſſe Romæ donatum corona aſſerentium) & juramento ſolutus in novam ſpem venit, auxiliiſque, in tanta re gerenda, ſtipatus eſt Pontificiis, Rayn. ad d. an.

Obiit Pontifex Nicolaus IV. anno 1292.& poſt duorum annorum interpontificium, electus eſt anno 1294. Petrus Iſerniæ, qui pene invitus conſecratus eſt Aquilæ in Aprutio, nomine Cœleſtini V. Sed poſt quinque ſui Pontificatus menſes ad Cardinalis Cajetani perſuaſiones Conſtitutionem tulit: poſſe ſcilicet Pontificem, ſua ſe dignitate abdicare. Itaque

que conſtitutione lata, Pontificatum primus abdicavit, vel potius ſummum, & poſt Eccleſiam conditam inauditum humilitatis exemplum edidit (quicquid oblatret more ſuo, Aligherius infenſiſſimus Eccleſiæ Romanæ).

Itaque Cardinalis Cajetanus lumen, ſine controverſia, & ornamentum nobiliſſimæ ſuæ familiæ, atque Neapolitanæ Civitatis Pontifex eſt electus, & Romæ deinde Bonifacii VIII. nomine conſecratus, qui Neapolitano quoque Regi ad Siculos profligandos ſuum elargitus eſt auxilium. Nam etſi Jacobus Alphonſi frater jam filios, & Siciliam Carolo II. reſtituerat, alter ejus vero frater a Siculis, qui Andegavenſes odio proſequebantur, Rex eſt ſalutatus. Hic Pontifex interdixit fidelibus univerſis, ne quidquam ſolverent in poſterum, laicis Principibus, inconſulta ſancta Sede, ut habetur ex ſuis conſtitutionibus. A Bonifacio compoſitus eſt ſextus liber Decretalium, nunquam in Gallia receptus, ut ſupra oſtendimus. Cujus rei fortaſſe in cauſa fuere, controverſiæ permaximæ, quæ inter Philippum Pulchrum Galliæ Regem, & Pontificem exarſerant. Conceſſit etiam Bonifacius Sardiniæ, ac Corſicæ inveſtituram Jacobo Aragoniæ Regi, ut e Piſanorum manibus illas Inſulas abreptas, in ſuam poteſtatem redigeret. Statuit ut annus Jubilei celebraretur quovis centeſimo anno, ut ex cap. *antiquorum* de pœnitent. & remiſſ. Verum inter ſtatuta, ſempiterna memoria digna, quæ Bonifacius Pontifex edidit ſummopere elucent celebres illæ de temporali ſummi Pontificis Poteſtate conſtitutiones, altera, quæ incipit *unam Sanctam*, extr. de majoritat. & obedient. altera cujus principium *Clericis Laicos*. Ex quibus conſtitutionibus tantum odium, tantamque indignationem in Pontificem concepit Rex Galliæ, ut ab excommunicatione renuit abſolvi. In ſe enim credebat a Pontifice bruta fulmina fuiſſe intorta, ut Rayn. auctor eſt: quin imo in Supremo Pariſienſi Senatu eundem Pontificem an. 1303. impie calumniis oneravit, ſuiſque maledictis in Gallicæ nationis exulceratis animis, veluti unguis extitit, ut dolore, an livore cæca? ad œcumenicum Concilium, gens univerſa, appel-

appellarit. Nec Pontifex quicquam de ſua conſtantia remiſit, ſed ſanctæ Sedis jura servans, Eccleſiarum in Gallia vacantium nominationes, ſibi ſemper reſervavit. Verum dum Anagniæ Bonifacius commoraretur, ex conſiliis Galliæ Regis (ſi nonnullis ſcriptoribus eſt fides præſtanda) horrendis carceribus fuit mancipatus, e quibus poſt trium dierum ſpatium, a populo eſt liberatus, & Romam ab Urſinis ductus, ubi breviter tædio, & mærore confectus occubuit. Nat. ab Alex. in Bonifacio VIII. Quapropter ut calumnias habendas eſſe cenſeo aliquorum ſcriptorum narrationes de hoc Pontifice, quos inter primas agunt Ellies Dupinus, & iniquiſſimus Forſterius, hunc Pontificem brevibus, ſed maledicentiſſimis verbis deſcribens lib. de juris hiſtoria.

Succeſſit deinde Bonifacio VIII. anno 1303. Benedictus XI. a quo deleta ſunt ſingula, quæ fecerat deceſſor adverſus Galliæ Regem, itaut relatæ quoque Bonifacii Conſtitutioni derogaverit, vel potius ejus amplam auctoritatem arctiſſimis finibus circumſcripſit, alia Conſtitutione, quæ incipit, *quod olim*, eamque ad Lateranenſis Concilii amuſſim, exegit. Voluit enim, ut Principibus, in publicis neceſſitatibus Eccleſiaſtici ſuccurrerent, ſancta Sede permittente, cum tamen laicorum deficiant facultates. Præterea omnes Galli, & Columnenſes ab eodem Pontifice fuerunt abſoluti, qui tandem Peruſiæ deceſſit anno 1304. non ſine veneni ſuſpicione.

At poſtea cum nonnullis menſibus Pontificia Sedes vacaſſet, ad eandem Clemens V. natione Gallus pervenit anno 1305. Peruſiæ electus, ac Lugduni eodem anno coronatus ſumma magnificentia. Comitatus enim eſt illum Philippus Pulcher, & Carolus II. Claudus, alter Galliæ, alter vero utriuſque Siciliæ Rex, equi fræno ducente Joanne Barbantis Duce.

Multis calumniis ſcriptores hunc Pontificem onerarunt, ſed tamen inficiandum non eſt, Illum fuiſſe legitime electum, & Pontificem se ſemper geſſiſſe, nam licet Galliæ Regi aliquibus in rebus indulſit, vel quum ei quinque annorum,

norum, Eccleſiaſticis in rebus, decimas conceſſit; vel cum Cardinales crearit Petrum, Joannemque Columneos, vel demum quum declaravit Galliæ regnum temporalibus in rebus ſanctæ Sedi nullo modo habendum eſſe ſubjectum, uti habebatur ante Bonifacii VIII. Conſtitutionem, cap. *meruit* extra. de privilegiis; attamen quamvis fuiſſet a Philippo Pulchro vehementiſſime inſtigatus Avenione, ubi commoravit, ut ſeveriſſimum adverſus Bonifacii VIII. memoriam inſtitueret judicium, nec Regi hac in re obſecundavit, nec ipſum e legitimorum Pontificum numero delevit, ſed illa tantummodo expunxit, quæ in dedecus Galliæ, in Pontificio tabulario erant inſcripta.

Juſſu Clementis V. Pontificis, ac Philippi Pulchri omnes equites Templarii carceribus fuere mancipati anno 1307. in Gallia, quippe qui multarum hæreſum poſtulati. Eorum tamen cauſa acta fuit deinde in Viennenſi Concilio anno 1312. in quo fuit definitum, ut, innocentes religionis fructibus alerentur, pœnitentes vero truderentur in monaſteriis; quanquam vero Templariorum bona, magna ex parte fuiſſet equitibus conceſſa Hieroſolymitanis, Vallemontius tamen auctor eſt, Templariorum equitum loco, inſtitutos fuiſſe illos Sancti Salvatoris in Aragonia, dictoſque Monrealis. Sed fortaſſe nonnulli Templariorum ordinem nulla cauſa fuiſſe extinctum, crediderunt, in errorem inducti a M.S. Vaticanæ Bibliothecæ poſito in n. 6418. atque a ſcriptoribus relato, ubi de Viennenſi Concilio, ſic legitur: *Præcipue autem actum eſt de Templariis: de quorum extinctione videtur modeſte loquendum, ita ut non conferatur culpa in Pontificem, cum conſtet ipſum, & Concilium feciſſe judicium ſecundum allegata, & probata*. Etenim ante relatum Viennenſe Concilium jam erant, coram bis mille teſtibus ex eorum confeſſionibus convicti. Quapropter crediderim relatum M.S. Vaticani locutum eſſe de pœnis Templariis irrogatis duobus ante annis a celebrato Viennenſi Concilio. Nam Pariſienſe Concilium quum octo, & quinquaginta templarios in erroribus firmos, damnaſſet, atque

ad ignis ſupplicium eſſent tracti, tantam dolentium ſpeciem adſtantibus præbuere, ut innocentes crediti a nonnullis fuerint, Joan. Villan. lib. 8. cap. 121. & deinde eodem anno ex eis novem dum ſuppliciis afficerentur, jurantes teſtati ſunt, ſe tormentorum timore, & vi, ea confeſſos fuiſſe, quæ nunquam vera extiterant. Paulus Æmil. quoque in Philip. Pulchr. refert, Magnum eorum Magiſtrum, cum aliis, fuiſſe vivum Lutetiæ combuſtum, maximamque conſtantiam in tanto ſupplicio demonſtraſſe. Verum inter plurima Concilia hac de cauſa habita, in Moguntina, ac Treverenſi Synodo, ob probationis defectum, abſolutos fuiſſe legitur; quibus omnibus cognitis, fortaſſe aliquis illius ævi ſcriptor pietate motus, præfatam gloſſam in Generale Viennenſe Concilium appoſuit. Extra dubitationis enim aleam poſitum eſt Templarios reos criminum fuiſſe; nam Raynaldus notavit ad an. 1308. n.3. nonnullos ex eis captos, confeſſos se Catholicam fidem abdicaſſe, tantique patrati ſceleris, abjuratos, veniam impetraſſe.

Longius fortaſſe narrationem hac in re produximus; quod Lector æqui bonique conſulat. Vindicare enim oportuit Pontificem miſere a ſcriptoribus traductum: quod hac in cauſa, nimium indulſiſſet Galliarum Regi. Quid? quod ab aliis repetundarum reus agitur? aſſerunt enim Templariorum divitias, & opes illis loco criminum fuiſſe, eoſque deletos, quod Pontifex, & Rex Galliæ tantis opibus inhiarent. Apage has calumnias. Deceſſit Clemens V. anno 1314. & Interpontificium ſecutum eſt duorum annorum.

Electus tandem eſt Lugduni in Gallia anno 1316. Joannes XXII. natione Gallus, de cujus genere contra malevolorum calumnias videndus eſt Baluzius Vit. PP. Avenione commorantium tom.2. ubi etiam refert ſingulares ejus virtutes; conſulendus eſt quoque Brietius, qui falſitatis agit aſſerentes hunc Pontificem se ipſum elegiſſe, dum de electione, Cardinales in ejus manus, ſe compromiſiſſent.

Hoc Pontifice celebris illa Fratrum Mendicantium controverſia eſt orta. Sed antequam ad diſſentionem Mendican-

dicantium deveniamus oportet, breviſſimis verbis, ejus originem adnectere. Et a principio quidem cum a deceſſoribus Pontificibus Nicolao ſcilicet III. & Clemente V. in eorum conſtitutionibus, quæ habentur in cap. *exiit qui seminat.* de verb. ſignificat. in VI. & in Clementina *exiit de Paradiſo*, eod. tit. pro aſpera, & severa paupertate Mendicantium declaratum eſſet; ſic appoſite ipſi Pontifices rerum uſum diſtinxerunt: alterum eſſe uſum juris, & irrevocabilem, alterum uſum facti, & revocabilem; declararunt quoque, quod in rebus uſu conſumtibilibus poteſt dominium ab uſu eſſe diſtinctum revocabili. Sic ſervus, licet uſum ciborum habeat, eorum tamen dominium ſemper pendet, etiam in actu a Domini voluntate; quapropter laudati Pontifices concludebant, uſum rerum conſumtibilium penes Fratres Mendicantes, revera eſſe ſejunctum a dominio, cujus jus ad Apoſtolicam Sedem pertinet, vel ad eos, qui ciborum uſum Mendicantibus concedunt. Addebant ad hæc Pontifices, paupertatem omne a se dominium removentem eſſe sanctam, & meritoriam, eamque Chriſtum Dominum verbo, & exemplo docuiſſe. At Joannes XXII. Pontifex in diverſam sententiam abiit in ſua extra.*ad conditorem Canonum*, & in duabus ſequentibus de verb. ſignif. namque oſtendit dominium in rebus uſu conſumtibilibus, nullo modo eſſe ab uſu diſtinctum, deceſſorumque Pontificum conſtitutiones non ſolum abrogavit, verum etiam declaravit earum rerum dominium penes Sedem Apoſtolicam non eſſe, nulliuſque meriti haberi paupertatem a se omne dominium abdicantem, uſu retento. Denique definivit hæreticum eſſe aſſerere, Chriſtum Dominum nihil unquam proprii nec ſpeciali, nec communi modo habuiſſe in terris. Verum etiamſi ex uſque adhuc enunciatis appareat, hac in re præfatos Pontifices nimium inter se diverſos fuiſſe, Bellarminus tamen lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 14. etſi apertis verbis aſſerat hac in quæſtione Pontifices omnino conciliari non poſſe; tamen ſtudet illos inter se componere ea, qua fieri poſſit, ratione. In tres igitur partes dividit quæſtionem prima

an in rebus uſu conſumtibilibus poſſit a dominio uſus diſtingui? Et diſtingui aſſerunt Nicolaus, & Clemens PP. Etſi enim Fratres Mendicantes rerum conſumtibilium habeant uſum, tamen iis uti non poſſunt pleno jure, nec perinde ac domini, eas conſumere, profundere, perdere. Quapropter qui rerum hujuſmodi uſum habet, qua, quæſo, ratione dici poſſit, plenum earum dominium poſſidere? Ceterum ſi Joannes XXII. in alia omnia abiit, nihil ejus ſententiam moramur: Cum hæc quæſtio juris civilis ſit, nec ad fidem pertineat, ut ipſe Joannes in ſua extra. notavit, & Bellarminus loco citato; quapropter hac in re liberum cuique eſt, illam opinionem amplecti, quæ magis arridet. Secunda vero quæſtionis pars in hoc verſatur; an hujuſmodi paupertas ab omni diviſa dominio, ſit nec ne ſancta, & meritoria. Quod Nicolaus III. P. affirmavit, aſſerens hujuſce rei dominium apud Sedem eſſe Apoſtolicam, quod tamen Joannes XXII. inficiatus eſt, in extra. *ad conditorem Canonum*. Res Mendicantibus donatas eſſe, non ſanctæ Sedi declaravit, namque abdicavit, omnem, dominii ſpeciem, Apoſtolicæ Sedi, quod tribuebant. Nec eſt dubitandum quin hoc ab ipſo fieri potuerit; atque iccirco hæc quæſtio facti fuit, non autem fidei. At vero tertia quæſtionis pars majorem, clarioremque explicationem requirit: Nicolaus enim P. ſic se expreſſit, Chriſtum Dominum, hanc perfectiſſimam aliquando paupertatem verbo, & exemplo docuiſſe; at quandoque ipſam minus rigidam exemplo demonſtraſſe. Sed Joannes deinde definivit eſſe hæreticum dicere, Chriſtum nihil proprii in terris unquam habuiſſe, nec ſpeciali, nec communi modo. Sed hæc attendenti, minime inter se pugnare videbuntur. Nam etſi Nicolaus non inficias ivit Chriſtum aliquando habuiſſe aliquid proprii, aſſeveravit tamen ipſum Dominum nequaquam hujuſmodi vitam ſemper egiſſe. Quinimo Joannes quoque aſſerit, Chriſtum aliquando nihil habuiſſe, negat ſolum ejuſmodi vitam ſemper degiſſe; namque conſtat ex cap.18. Joan. Chriſtum habuiſſe loculos, quos Judas ſervabat, ex quibus in communi cum diſcipulis vivebat:

bat: ſententiam vero Nicolai firmat illud Math. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Quibus bona fide præmiſſis, evidentiſſimum eſt, laudatorum Pontificum ſententias, diverſas alioquin inter se, ad fidem nullo modo pertinuiſſe. Quamobrem nulla ratione, hinc materiam ſumunt Catholicæ fidei hoſtes, Pontifices traducendi, tanquam erroribus obnoxios, atque ideo eorum ſententias a Generali Concilio reformari debere. Verum tandem Martinus V. P. omnia poſtea decrevit, Nicolai Conſtitutionibus adhærens. Sed ad ea, quæ in Joannis Pontificatu hæc Mendicantium controverſia peperit, tranſeamus.

Et quidem cum Compertum Pontifici Joanni XXII. fuiſſet, a Fratribus Minoritis Catholicam habere hanc propoſitionem, Chriſtum Dominum, & Apoſtolos nullam rem poſſediſſe, proprietatis jure non ſolum in particulari, ſed nec etiam in communi modo; antequam laudatus Pontifex ſuas de hac re emanaſſet Conſtitutiones, juſſit, ut hæc propoſitio examinaretur, qua de re Michaël Ceſena Generalis Fratrum Minoritarum Miniſter, vesano Spiritu actus, Generalem Capitulum Peruſiæ habuit, ibique definivit, eam eſſe veram, etiam quo ad bona mobilia, ductus fortaſſe male intellecta Conſtitutione Nicolai III. P. superius expoſita. Quamobrem cum Guilielmo Ochamo ejuſdem ſententiæ fautori, hæreſi notatus, perſugere ambo ad Ludovicum Bavarum, qui tunc temporis, cauſæ ſuæ electionis, Sanctæ Sedis judicium inique renuebat, cui Ochamum dixiſſe ferunt: *Tu me gladio, Ego te calamo defendam*; indeque primum adverſus Joannis ſtatuta in extrav. *Ad conditorem Canonum*, ſcripturam Piſis edidere, ac deinde exarata fuit defenſio in Norimbergenſibus Comitiis pro Bavari electione, de Imperio cum Friderico Pulchro contendentis. Bavarus enim nullo pacto Sanctæ Sedis judicio acquieſcere voluit, & ad futurum Concilium, vel ab Avenionis Sede ad illam Divi Petri Romæ, appellavit. Verum neque hæc finis contentionis fuit, ſed longius proceſſit. Etenim Bavarus a Summo

Pon-

Pontifice excommunicatus non modo appellationem denuo protulit, ſed etiam maledicta, & calumnias cum Marſilii Patavini, ac aliorum ſcriptis, adverſus eundem Pontificem evulgavit. Studebat enim per ſummam dementiam, perditiſſimam hanc ſtatuere opinionem; Sancta Sede vacante, Imperatorem Pontifici Romano ſuccedere. Quapropter impiiſſime auſus fuit in quibuſdam Comitiis Tridenti habitis, maxima audacia dicam, an inſania? præcipere Pontificem eſſe excommunicandum: unde hæreticus recte a Joanne declaratus, & dignitate privatus. Idem excommunicationis fulmen intorſit Pontifex in Marſilium Patavinum, qui Bavaro inſuſurravit, Pontificem a Cæſare pendere. Bavarus vero contra jura, & leges coronatus, majores Spiritus ſumſit, & Pontificem morti damnavit tanquam hæreticum, ejuſque imaginem igni dedit. Deinde furore ſuo abreptus Nicolaum V. Antipapam a plebe, atque a nonnullis ſuæ partis Presbyteris perditiſſimis, eligendum curavit. Ac veluti fædere icto inter se, in Lateranenſi Baſilica, ut amborum nefarium facinus perduraret, alter alterum mutuo coronavit anno 1328. quibus rebus peractis Piſas fugiſſe ferunt; quapropter Joannes XXII. Sacrum bellum indixit Ludovico Bavaro, & Antipapam Nicolaum V. excommunicavit, a quo ipſe Joannes, ſine vi, & ictu, iiſdem excommunicationis armis, fuit appetitus. Legendus eſt de illorum temporum perturbationibus liber 1. Alvari Pelagii appoſite de planctu Eccleſiæ inſcriptus. Sed tandem Ludovicus Bavarus poſt tot, tantasque commotas tempeſtates, ab Urbe Roma, Eccleſiaſtico interdicto jam ſuppoſita, diſceſſit, & Antipapa arbitratu Pontificis captus, atque in carceres conjectus, ibi quoad vixit detentus eſt. Bavarus autem ad verum Pontificem Legatos miſit anno 1331. Eique se obſequentem præbuit.

Multa, & maxima a Joanne XXII., aut eo Pontifice, geſta, libens prætereo ne per longas rerum ambages Lectorem ductum, faſtidio afficiam. Sed prætereundum non eſt, quod ipſe privatum se doctorem gerens, adverſus nonnullos Theologos pro hac ſententia pugnavit: Beatos ſcilicet Dei viſio-

viſione,ut Schola loquitur, intuitiva, non frui niſi poſt finalis Judicii diem. Ex qua ſententia Ochamus Joanni infenſiſſimus, anſam arripuit, Pontificem, Pontificiſque doctrinam peſſime traducendi. Verum ante obitum, Joannes veritate perſpecta, opinionem commutavit. Edidit præterea in lucem Clementinas a ſuo deceſſore compoſitas, & tandem acquievit Avenione anno 1334., inſúmque, ferunt, ducenties quinquagies centena millia Philippeorum, reliquiſſe.

Succeſſit Joanni Benedictus XII. P., Toloſanus, Avenione eodem anno electus, primusque ſtatuit, Beatos intuitiva viſione frui ante finale judicium (licet eorum gloria adaugeatur judicio facto; non ſecus ac damnatorum pœna) multa pro Eccleſia hic Pontifex geſſit, multaque conſtituit Chriſtianæ Reipublicæ apprime utilia; quæ videri poſſunt apud Balutium, & Ludovicum Jacobum a Sancto Carolo. Fixum illi in mente hærebat, atque uſurpabat ſæpiſſime in quotidianis ſermonibus, Davidis dictum: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Sed deceſſit anno 1341. & Clementem VI. ſequenti anno ſucceſſorem habuit.

Clemens VI. P. ſtatim ac Pontificatum iniit multum operæ, & laboris inſumſit in componendis inter ſe Chriſtianis Principibus, & in partibus Guelfis, Ghebelliniſque ſedandis. Gratiam Hic communicandi ſub utraque ſpecie Joanni tunc Normandiæ Duci, & poſt obitum ſui Patris Philippi VI., potiusve primi ex Collaterali linea de Valois (ut inquiunt Galli) ad Galliæ Regnum vocato, vergente anno 1351:, ac propterea Pontificis Clementis VI. privilegium ad Galliarum Reges ſucceſſores, Joannes I. transmiſit; eoque ipſi utuntur coronationis, ac mortis tantum tempore. Eandem quoque gratiam, Otho Burgundiæ Dux, ab ipſomet Pontifice obtinuit.

Sanctæ Sedi idem Pontifex reſervavit beneficiorum collationes in Eccleſiaſtico ſtatu, ac in utriuſque Siciliæ Regnibus vacantium; ſuamque temporalem in Neapolitanum regnum auctoritatem oſtendit. Nam mortuo Rege Rober-

to,

to, Joanna Nepte, ex Filio Carolo Calabriæ Duce præmortuo, ſuperſtite in minori ætate, Pontifex Cardinalem Almerigum ad regnum gerendum miſit, Rayn. in Chron. ad an.1343. num.70., quæ tamen deinde ex avi diſpoſitione nupſit Andreæ ſuo Patrueli, minorique filio Caroli Alberti, Hungariæ Regi, in Averſana deinde Arce anno 1346., ab eadem ſponſa ſtrangulato, ut Villan.lib.12. cap.50., aliique referunt ſcriptores. Qua de re Pontifex tanti ſceleris Auctores, anathemate percuſſit. Ex quo factum eſt ut Joanna Romæ cauſam ſuam egerit, ſceleriſque ſe purgavit, eoque judicio non ſolum innocens a Pontifice declarata; ſed benigne ſecum quoque actum. Gratiam enim accepit, & facultatem, ut se nuptum collocare poſſet cum Patruo, Ludovico ſcilicet Filio Philippi Tarenti Principis, Fratriſque Regis Alberti. Interim Ludovicus Hungariæ Rex Neapolim adventat, cauſa Fratris necem ulciſcendi, & nullo ſuorum militum ſanguine, potitur Neapolitano Regno: etenim Joanna ejuſdem Regina, cum Rege conjuge profecta fuerat in ſuum Provinciæ Comitatum. Sed vero Pontifex nunquam Ludovico Hungarico ejuſdem Regni inveſtituram conceſſit, quin potius omnes vires intendit, ut iterum in Joannæ poteſtatem redigeretur. Atque hinc fuit (ut a nonnullis memoriæ proditum accepimus) quod Joanna I. Regina beneficii memor, in grati animi ſignum Pontifici dono dederit Urbem Avenionem; quæ tunc temporis Sedes Romanorum Pontificum erat; vel potius illa urbs S.Sedi obvenit, ex fructibus multis annis, a Joanna Eccleſiæ non ſolutis. Vel ut, aliis placet, illa urbs, ab eodem Pontifice emta fuit pretio a Collen. in lib.2. cap.8. notato. Clementi VI. Pontifici acceptum quoque referimus, jubileum in quinquageſimum quemlibet annum, ut colligitur ab extra. *Unigenitus* de pœnitent. & remiſſ. Qui plura cupit de hoc Pontifice, atque de ejus rebus geſtis, summis laudibus commendatis a Brietio, adeat Balutium in ejuſdem Pontificis vita tom.1. obiit anno 1352.

Mortuo Clemente Pontificatum eſt adeptus Innocentius

tius VI. ; natione etiam Gallus. Is literatos homines unice dilexit, eoſque ad Sacerdotia provexit, & apud se summo honore habuit. Quamobrem dum literæ ſtabunt, ejus quoque Nominis fama apud literatos homines ſtabit, atque in dies magis magisque vigebit. Interdixit quoque Innocentius Epiſcopis, ceterisque Sacerdotibus curam animarum habentibus, extra ſuæ Eccleſiæ fines commorari. Plerosque viros Principes excommunicavit, eoſque reſipiſcentes abſolvit. In hæreticos extremo ignis ſupplicio animadvertit. Multaque alia edidit, quæ videri poſſunt apud Scriptores, qui acta Pontificum literis prodiderunt. Emigravit anno 1362. Innocentium excepit Urbanus V., quoque Gallus, cui obſequentes, ut par erat, Orientis, atque Occidentis Imperatores fuere, ipſique equitanti adfuerunt in famulantium potius, quam comitantium ſpeciem, Brietius ad an. 1368. Joannes Paleologus non ſolum per ſuos Legatos anno 1366. Summo Pontifici obedientiam præſtitit, verum etiam ſchiſma ſe relicturum adjuravit. Itaque Catholicum ſe profeſſus Romam venit, ut coram ageret, quod per Legatos ſpoponderat, teſte Ducange, aliiſque. Romam quoque eodem tempore profectus eſt Carolus IV. Imperatoriam coronam accipiendi cauſa. Sed Pontifex cum Romam perveniſſet summa omnium lætitia eſt exceptus, ejusque ſtatuta sanctiſſime ſunt ſervata. Etenim ſtatuit, ut Epiſcopi in propriis ſedibus manerent; & unum uni Sacerdotium conferretur; quæ Sanctiones, ut firmiores eſſent, & florentiores Nationalia Concilia sanxit, quorum partes eſſent Pontificiis decretis invigilare. Quæ vero reliquæ ſunt hujus Pontificis res geſtæ a Vertone notantur, & a Balutio in vitis Pontificum, qui Avenione commorati ſunt tom. I. pag. 357., nam cum illuc rediiſſet anno 1370., perſuaſionibus Gallorum Cardinalium, ſpecie quidem conciliandæ Galliæ cum Anglia (licet de venturo ſchiſmate monitus a Diva Brigitta fuiſſet) eodem anno ibi occubuit. Et poſt breve Interpontificium, creatus eſt Pontifex Gregorius XI. natione etiam Gallus, ætate juvenis (trigeſimum quintum enim annum vix at-

tigerat) ſed prudentia ſingulari ſupra ætatem.

Itaque ſanctiſſime, prudentiſſimeque Eccleſiam rexit Pontifex Gregorius XI. Conſtitutionem de Epiſcoporum reſidentia emanavit. Feſtos dies inſtituit Exaltationis, Inventionis Sanctæ Crucis; atque Beatiſſimæ Virginis Purificationis (quanquam hic feſtus jamdudum apud Orientales obtinuerat, teſte Natale ab Alexandro). In Florentinos bonorum ſtatuſque Eccleſiæ invaſores animadvertit. Sed cum apprimis memoria dignum cenſemus illud, ineunte ſcilicet anno 1377. opera Gregorii, Pontificum Sedem Romam fuiſſe translatam, vel potius jure poſtliminii revocatam. Quod Pontificis factum intuens Brietius, ſcribere non dubitarit: Gregorio ſimilem in Pontificatu Eccleſiam multis annis exoptaſſe, & nequicquam futurum (abſit verbo maledictum) ut requireret poſteritas. Enim vero Gregorius tandem aliquando perfecit, quod a multis inſtitutum, a multis inceptum, incaſſum fuerat, & perfecit, quod ſempiterna laude dignum eſt, reluctantibus, contraque obnitentibus conſanguineis. Atque ut ſarta tecta ſua voluntas foret, ſuumque pulcherrimum factum firmius perduraret, ante ſuum obitum, ante annum nempe 1378. quum fato ceſſit, juſſit ut in futura Pontificis electione Cardinalibus liceret convenire quocumque voluiſſent. Quapropter eodem anno poſt permultas contentiones inter Gallos, & Italos Cardinales fuit electus Archiepiſcopus Barenſis, Neapolitanus, dictus Urbanus VI.

Verum Pontifice Urbano creato, schiſma excitatum eſt maximum, quo schiſmate multos per annos univerſa Eccleſia miſere dilaniata, & in partes diſcerpta fuit. Etenim Galli Cardinales cum ægre tuliſſent, Pontificem Urbanum VI. velle in Italia Sedem figere, Anagniam primum se contulere, ibique electione legitima, ſi ſuperis placet, infirmata, Pontificem, veluti ſi ad Pontificatum obrepſiſſet, citarunt; deinde Fundis Robertum Genevrinum elegerunt, nomine Clementis VII. Antipapæ, qui a Joanna Neapolis Regina, & a Galliarum Rege, ut Pontifex habitus fuit, vel

mul-

multum Lutetiæ univerſitate, boniſque omnibus reluctantibus. At Pontifex Cardinales hujuſce ſchiſmatis auctores, fautoreſque Principum Legatos, alioſque quamplurimos ejuſdem partis excommunicavit. Antipapa vero profugus Neapolim, alioſque in locos adventavit, & tandem Avenionem profectus eſt. Quapropter Urbanus VI.P. Neapolis Reginam, quod fugientem excepiſſet, a fidelium communione dejecit, atque in poſſeſſionem Regni Carolum e Duratio vocavit, donavitque Romæ corona anno 1381. Summontius lib.3. hiſt.

Regnum itaque adeptus Carolus e Duratio, ſequenti anno ejus Reginam interficiendam curavit. Omittimus hic injurias quibus ab hoc Rege Urbanus P. fuit affectus, dum Roma peſte graſſante, diſceſſiſſet in ejuſque regnum eſſet commoratus. Longum quoque eſſet hic ſingula Concilia indicta, & habita pro ſchiſmate evellendo, numerare. Tamen velut agmen duxit, illud Lutetiæ celebratum pro Pontifice, contradicente Carolo V. Rege Galliæ, teſte Paul. Æmil. ſed morti proximus deinde Carolus maleſanam ſententiam dejecit, eique Pontifici obſequium, & reverentiam ſpopondit, erga quem Generale Concilium adhibenda decreviſſet. Huic Pontifici acceptum referunt Jubileum ad ſingulos tres, & triginta annos reductum, ut etiam feſtum Viſitationis B.Virginis inſtitutum. Declaravit quo tempore in locis Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, fas eſſet ſollemni ritu celebrare. Atque hoc extremum operum mortalium Urbani VI. fuit, deceſſit anno 1389. in ejus locum cooptatus eſt Bonifacius IX. Neapolitanus, conſtantiſſimus aſſertor, temporalis, Romanorum Pontificum, Poteſtatis.

Bonifacio IX. Pontifice, Clemens VII. Antipapa anno 1394. ſubita correptus eſt morte. Sed neque ſchiſma compoſitum fuit: Etenim ejus aſſeclæ elegerunt Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII. Antipapam, qui primum juratam fidem dederat, gradum abdicare, ſi hoc idem Bonifacius P. feciſſet. Unde in Pariſienſi Concilio de hac cauſa habito conſilium initum fuerat, ut utrique ſponte

ſua, dignitate ſe abdicarent. Sed Antipapa abdicationem facere renuit, qua re ſtomachatus Carolus VI. Rex Galliæ non ſolum quam ei præſtabat obedientiam, abjecit, verum etiam ipſum Avenione invaſit, territumque adegit, ut juraret ſe Pontificatum, abdicante Bonifacio, abdicaturum. Verum non multo poſt tempore, Antipapa nullum aſſeruit ſuum juramentum, iterumque dum novis rebus ſtuderet, carceribus obſtrictus eſt uſque ad annum 1403. quum Avenione aufugit.

Occubuit tandem Pontifex Bonifacius IX. anno 1404. atque Pontifex renunciatus eſt, eodem anno Innocentius VII. qui, ne religio aliquid detrimenti caperet, prontum ſe, alacremque præbuit, Pontificatu abeundi, dummodo Romæ Generale Concilium indiceretur ad ſchiſma evellendum, legitimumque eligendum Pontificem. Non probata Antipapæ æquiſſima conditio eſt: Romæ res perturbatæ; quamobrem Pontifex Viterbum eſt profectus. Deinde rebus aliquo pacto compoſitis, Romam rediit Innocentius pœnaſque a Ladislao, ejuſque Miniſtris pro tumultu exegit. Romæ deceſſit anno 1406. juratiſque Cardinalibus ſingulis, cuicumque Pontificatus obtigiſſet, abdicaturum dignitatem, ſi rei Chriſtianæ pax, & tranquillitas, id flagitare videretur, renunciatus fuit Pontifex Gregorius XII. Venetus, qui a jurata fide nunquam aberrans, ſe ſemper paratum, Pontificatu abire, oſtendit.

Pontifice Gregorio XII. Piſis peractum eſt illud Conciliabulum, de quo ſupra verba fecimus, quo Conciliabulo potius auctum eſt, quam imminutum ſchiſma. Enim vero ab eo ſententia depoſitionis lata eſt tum in Benedictum XIII. Antipapam, cum in Gregorium XII. verum Pontificem, quod renuiſſet citationi obtemperare. Fortaſſe (ſi conjecturæ locus eſt) credebant Epiſcopi illuc coacti, Pontificem Generali Concilio ſubjici; eaque maletuta (ne graviori verbo utar) opinione ducti, judicarunt ſe poſſe novum Pontificem cooptare, ut cooptarunt. Galli a legitimorum Pontificum albo non ſolum non expungunt Alexandrum V.

ſed

ſed etiam majoribus characteribus ſignant. Jul. Marcell. in Mem. Chronol. Neque id mirum videri debet: nam Galli amarent Conciliabulum Piſanum firmum, & ratum eſſe, quippe quia ex illo argumenta depromunt, ad Pontificem infra Concilium detrudendum. At Gallorum optata, amantium, vel amentium ſunt ſomnia. Norunt enim omnes Piſanum Conciliabulum improbatum fuiſſe: quapropter Pontifex Gregorius XII. Cajetæ ſuos adverſarios excommunicavit, Benedictum ſcilicet XIII. & Joannem XXIII. (Alexander autem V. Antipapa jam deceſſerat, & in ejus locum a ſchiſmaticis adlectus fuerat Baldaſſar Coſcia dictus Joannes XXIII.)

Compoſitæ tandem aliquando contentiones ſunt, & ſchiſmata omnino avulſa, convocatione Conſtantienſis Concilii a Joanne XXIII. indicti, quod Concilium Pontifex Gregorius XII. primum autumavit Conciliabulum eſſe, quod nulla auctoritate ab Antipapa foret coactum: verum ut ſuam voluntatem promtam patefaceret abdicandi pro Eccleſiæ pace, Pontificatum, illuc ſuos Legatos miſit. Verum dum hæc geruntur, Joannes Antipapa, ut pene obductas Chriſtianæ Reipublicæ cicatrices, refricaret, Concilium ſolvere toto conatu ſtuduit, vel in fugam se conjicere. Sed fruſtra: nam Patres ſeſſ. IV. decrevere Concilii imperio, & poteſtati Pontificem ſubjici ſchiſmatis tempore. Emanuel Schelſtrate diſſert. de Concil. Conſtanſ., quamvis Natalis ab Alex. diſſert. de eodem Concil. in diverſam ſententiam abeat. Deinde ſeſſ. X. Patres Antipapam Joannem deturbarunt e dignitate, is autem depoſitionis ſententiam humiliter demiſſeque accepit, ſuorumque ſcelerum pœnituit, atque coronæ Epiſcoporum confeſſus eſt, se venenum propinaſſe Alexandro V. Antipapæ, in seſſione vero XII. fuit Cardinalibus vetitum ne ad electionem venirent, nullumque ex tribus petentibus eligerent; firmataque eſt quoque convocatio Concilii a Legatis Gregorii veri Pontificis; quibus rebus geſtis, per Legatos ſollemni ritu, Pontificatum abiit, quapropter Patres Cardinalatus dignitatem Gregorio firmavere, eique

Mar-

Marchiæ Anconitanæ legationem, quoad viveret, conceſſerunt, ut ex Niemio, aliiſque habetur; demum tanquam contumax damnatus fuit in ſeſſione XXXVII. Antipapa Benedictus XIII. Ventum eſt tandem ad electionem Pontificis, quod felix, fauſtumque fuit, die S.Martini feſto anni 1417. Creatus igitur eſt Pontifex Otho Cardinalis Columna, dictuſque Martinus V. (licet III. nomine ex vero, dicendus eſſet, cujus erroris cauſam fortaſſe præbuit affinitas inter Martinum, & Marinum, quo nomine, duos in Eccleſia Pontifices Max. appellatos novimus).

Itaque Pontifex Martinus V. Præſes Conſtantienſi Concilio poſteriori anno hæreticos, eorumque fautores damnavit, confirmatiſque Sanctionibus ad fidem pertinentibus, Concilium dimiſit, ut ex Concil. tom. 12. habetur, anno vero 1419. humaniſſime Baldaſſarem Coſcia Florentiæ excepit, qui primitus fuerat Joannes Antipapa; ſimulque in Petrum de Luna mordicus in ſchiſmate perdurantem, detrectantemque nomen Benedicti deponere, excommunicatione in bulla Cœnæ Domini lata, animadvertit. Mortuo vero Antipapa Benedicto anno 1423. cum omnes boni, partam Eccleſiæ tranquillitatem crederent: Alphonſus Rex Aragoniæ Egidium e Munione eligendum curavit nomine Clementis VIII. Antipapæ, a quo quinque ipſis annis Eccleſia conflictatur. Idem Rex Alphonſus in cauſa fuit cur Pontifex Maximus Martinus V. Senenſe dimiſerit Concilium. Rex enim de Martini V. P. electione non dubitare ſolum cæpit, ſed nullam aſſerere; ejuſque rei fama paſſim increbeſcere, ita ut Senæ Pontificis auctoritas in diſputationem vocaretur, tom. 12. Concil. pag. 365. Itaque Baſileæ Concilium indictum eſt. Verum ante quam Martinus V. P. decederet anno 1431. ſchiſma omnino extinctum fuerat conciliatione Pontificis cum Rege Alphonſo. Qua de re Clemens VIII. vi adactus eſt, ad quam obrepſerat dignitatem, abdicare.

Martino ſucceſſit Eugenius IV. P., qui Cardinalium dignitatem ſummis honoribus, variiſque honorum prærogativis affecit. Verum male intellecta Conſtantienſis Concilii

cilii

cilii Sanctione a Patribus Baſileenſis Synodi, ipſe Eugenius, ut legitur tom.XI. Concil. pag. 459. Citatus eſt, ut Synodo ſe ſiſteret. Quam audaciam compreſſurus Pontifex anno 1437. declaravit Baſileenſe Concilium ſolutum eſſe, illudque Ferrariæ celebrandum indixit: eaque de cauſa, maleferiata ſchiſmaticorum cohors, gradu, & dignitate motum Pontificem aſſeruit: eorumque impiis conatis, vis, & auctoritas acceſſit Caroli VII. Galliæ Regis, qui in Bituricenſi Conciliabulo celebrem tulit Pragmaticam Sanctionem, ut præter alios refert Æneas Sylv. de geſt. Concil. Baſil. lib. 1. Quanquam vero Ferrariæ Concilii celebratio eſſet inſtituta anno 1438. eaque in Urbe œcumenica Synodus declarata; attamen ſequenti anno, lue graſſante, Florentiam translata fuit, deinde Romam, ubi fuit omnino perfecta. Eo in Concilio Græci conſeſſi ſunt appoſite Symbolo fidei Nicæno additum verbum filioque: Armeni quoque cum Latinis conciliati ſunt. Gennadius in actis Concil. Florent. Quod autem Florentinum Concilium Generale fuerit extra dubitationis aleam poſitum eſt, cum in illo concurrerint conditiones univerſæ, quas Theologi æque ac Canoniſtæ requirunt, ut Concilium Generalis nomine poſſit inſigniri: Et primo quidem a Pontifice fuit congregatum, ejuſque auctoritate approbatum. Concilio ipſe Pontifex præfuit (potuerat per ſuos Legatos). Præterea univerſi Epiſcopi illuc convocati ſunt: & denique, de Religione, & rebus ad univerſam Eccleſiam ſpectantibus actum fuit: nam diſputatum eſt de Proceſſione Spiritus Sancti, contra Græcorum impiam opinionem. Adfuit huic Concilio Conſtantinopolitanus Patriarcha cum Paleologo Orientis Imperatore; adfuere ſapientiores Eccleſiæ Epiſcopi, iique omnes, qui Chriſtianam Rempublicam ſalvam vellent. Nam perditi Epiſcopi, & Religionis deſertores, proditoreſque, Baſileenſe Conciliabulum proſecuti, Pontificem Eugenium IV. dignitate deturbare, tanquam hæreticum, auſi ſunt in ejuſque locum adlegerant Amedeum Sabaudiæ Ducem, dictum Felicem V. Antipapam. Æn. Sylvius de geſt. Concil. Baſil. lib.2. Ex huc uſque

dictis clarum ſit Conciliabulum Baſileenſe illuc ſpectaſſe, ut Pontificiam dignitatem deprimeret, legeſque & inſtituta Eccleſiæ peſſundaret; quamobrem ejus acta flocci habenda ſunt, quippe quæ a Romano Pontifice omnino abrogata. Atque hinc fuit, quod Rex Galliæ perſpecta Baſileenſis Conciliabuli, audacia, & maleſana mente ab ejus opinione ſectanda receſſerit, Romanoque Pontifici adhæſerit. Non impetravit tamen idem Rex, ut Generale Concilium in Galliis celebraretur, nam Pontifex firmam auctoritatem Pontificatus ſui in diſputationem vocari noluit, teſte Raynal. Nonnullis tamen in rebus benigne indulſit, ut ſchiſmaticos ab errore poſſet revocare: ſpopondítque Concilium in Germania indicturum, ubi celebrandum eſſe flagitabant, qui tertias partes agebant, vel nulli parti adhærerent, quos inter erat Albertus II., ejuſque ſucceſſor Fridericus III. Imperatores. Præterea Pontifex Eugenius IV. ſuam fuit Alphonſo Aragoniæ Regi largitus gratiam, ac Neapolitani inveſtituram Regni, quæ ad extraneos etiam ſucceſſores ampliaretur Summont. lib.4. ſchiſmaticos Coloniæ, Treverique Archiepiſcopos depoſuit, in eorumque locum obſtrepentibus Imperii Principibus, non dubitavit alios ſufficere. Cocleus hiſt. Huſſ. lib. 9. Sed tandem obiit anno 1447. Eique Nicolaus V. P. eodem anno ſucceſſit.

Obſequentes ſe præbuerunt, veniamque demiſſe poſtulavere Epiſcopus, civeſque Baſileenſes. Vide de hac re concordatum in tom. 1. Bullarii. His rebus geſtis Felix Antipapa in Sabaudiam ſe recepit anno 1447. Rayn. n. 17., & deinde maleparta dignitate abdicata, obſequentem ſe Nicolao V. P. præſtitit, a quo Cardinalatus dignitate eſt honeſtatus, & legatione Apoſtolica in Sabaudia, ut in tom. 12. Concil. pag. 663. Nicolaus V. Pontifex Patriarchalem Sedem Gradenſem, Venetias tranſtulit, eaque dignitate Divum Laurentium Juſtinianeum decoravit anno 1450. Spondanus num. 5. apud quem multa occurrunt de hoc Pontifice notatu digna, a nobis brevitatis ſtudio prætermiſſa. Emigravit anno 1455. eique Calixtus III. ſucceſſit.

Pon

Pontificatum iniit eodem anno Calixtus, ſtatimque animum applicuit ad ſacrum bellum, pro quo comparando, omnem induſtriam omnemque diligentiam adhibuit. Juſſit, ſermones in Pontificio ſacello habendos a ſacri Palatii Magiſtro, obſervari. Permiſit etiam Orientalibus Catholicis Epiſcoporum electionem: & demum extremo ſui Pontificatus anno concedere Ferdinando Aragonenſi Neapolitani regni ſucceſſionem præſenti animo renuit, inquiens, regnum fuiſſe devolutum ſanctæ Sedi, ideoque in illud Eccleſiam ſuum jus vindicare. Afferebat pro ſe Ferdinandus Eugenii IV. & Nicolai V. PP. inveſtituram; neque his rebus potuit Pontificem a ſententia dimovere. Obiit Calixtus an. 1458. ſucceſſoremque habuit Pium II. qui faciliorem ſe Ferdinando præbuit, ſivitque ſe exorari, quamobrem inveſtituram Illi conceſſit. Quod cum ægre Carolus VIII. Rex Galliæ tuliſſet, poſt paucos dies Illum e regno expulit, illucque cum exercitu victor eſt ingreſſus; verum ſucceſſore Ludovico XII. Rege, Ferdinandus iterum Neapolitanum regnum eſt adeptus, ut ſuperius demonſtravimus.

Pontifici Pio II. acceptam referimus rationem, & leges in Conclave ſervandas. Idemque Bohemis interdixit communione, ſub utraque ſpecie, cujus primum gratiam ab Apoſtolica Sede, obtinuerant in celeberrimis Bohemiæ compactis (ut ajunt) Nat. ab Alex. ſecul. 15. & Cocleus lib. 7. ut crederent, quod in alterutra ſpecie, integrum corpus & ſanguis Domini eſſet. Sed vero, ne rem tanti momenti, tranſire pene ſub ſilentio videamur, operæ pretium ducimus narrationem paulo altius repetere. Manichæi duo rerum principia ſtatuentes, inviſibilium alterum, alterum viſibilium; crediderunt vinum a Dæmone productum, atque iccirco divinis myſteriis ineptum. Itaque Manichæorum peſte longe, lateque graſſante; vel multis Catholicis ejus veneno infectis, cenſuit Eccleſia, ut tempora flagitare videbantur, Catholicos ſub utraque ſpecie communione frui debere. Quo factum eſt, ut Manichæi, qui inter Catholicos latitabant, ſe ipſi patefecerint, quod abſtinuerint a ſangui-

nis hauſtu. At vero, cum Novatores, quod optimo conſilio, & bono dolo, pro temporum opportunitate, factitatum ab Eccleſia fuerat, neceſſarium ad æternam ſalutem eſſe aſſeveraſſent, & veluti divinum præceptum, quo omnium ordinum homines adigerentur, publice venditarent, Eccleſia mutato conſilio, in melius novam edidit Sanctionem, voluitque, ut laici, ſolo divino pane contenti, ſanguinis potum Sacerdotibus relinquerent. Hæc a Tridentino Concilio ſtatuta ſunt, ſed ante Concilium, a Pio II. cum Bohemis, ut diximus, factitatum fuit. Declaravit etiam idem Pontifex hæreſis crimen eſſe, futurum appellare Concilium, ut Ferdinandus Rex Neapolis antequam inveſtituram obtinuiſſet, fecerat: (nec mirum; nam id eſt aſylum omnium, qui ſententiam Pontificis ſubire nolunt). Gradu movit Moguntinenſem Archiepiſcopum, aliumque in ejus locum ſuffecit, quoniam multa effutierat contra indulgentias, ſtipem conferentibus, conceſſas, qua ſtipe, conſcriptis militibus contra Turcas utebatur Eccleſia: Serarius rerum Moguntinarum lib. 5. titulum Chriſtianiſſimi Ludovico XI. Galliæ Regi firmavit. Rayn. ad an. 1469. n. 5., quippe quia ipſe nihili pendens oppoſitam ſententiam facultatis Pariſienſis, Pragmaticam Sanctionem aboleverat. Denique multis laboribus confectus Anchonæ, quo venerat ad ſacrum bellum, excitandum, comparandum, inſtituendum, an. 1464. obdormivit.

In Pii II. locum adlectus eſt Paulus II. Venetus, qui primus minori capitis integumento (ſive mavis) Pileolo rubri coloris Cardinales inſignivit; permiſitque Epiſcopis, ut ſollemnioribus diebus Mithris ejuſdem coloris uti poſſent. Ipſe vero Pontifex uſum Pontificiæ Thiaræ, ſive Triregni intermiſſum, revocavit, teſte Spondano. Verum Raynal. ad an. 1466. n. 20. auctor eſt, Paulum Pontificem Maximum in Beneventano Archiepiſcopo uſum Triregni, in ſollemnioribus diebus, reprehendiſſe. Nullum tempus intermiſit, neque datam occaſionem neglexit Paulus contra Pragmaticam Sanctionem pugnandi, ut ſcilicet a Pariſienſi quoque Senatu

tu non abrogaretur ſolum , ſed omnino deleretur . Prohibuit etiam ne res Eccleſiarum abalienari poſſent , eaque de re Sanctionem edidit , quæ continetur in Bulla cujus initium eſt *Ambitioſæ* tom. I. Bull. Anno 1470. jubileum in ſingulis quinque , & viginti annis celebrandum cenſuit , teſte Raynal. quod a deceſſore quoque ratum , firmumque eſt habitum : nam Paulus deceſſit ſequenti anno , & in ejus locum Pontifex renunciatus eſt Sixtus IV. Cardinalis, ex Minorum S. Franciſci Ordine .

Plura quidem de enunciato Pontifice notatu digna occurrunt . Etenim ipſe primum confirmavit inter Ferdinandum Aragonenſem Regem , & Iſabellam Regni Caſtellæ heredem matrimonium celebratum in gradu a lege vetito . Galliæ Epiſcopis fecit facultatem Beneficiorum conferendorum in sex anni menſibus vacantium ob Pragmaticæ Sanctionis controverſiam , ut habetur ex cap. *ad univerſalis Eccleſiæ regimen* . Extr. Can. tit. de tregua , & pace . Revocavit etiam facultatem factam a Martino V. Caſtellæ Regi de tertia Eccleſiaſticarum rerum parte , quarum pecunia in Regium Ærarium importabatur , neglecta expeditione in infideles , cui uſui primum fuerat addicta .

Notatu quoque digniſſimam puto hujuſce Pontificis Sixti IV. extravag. *Grave nimis* , apud Emanuelem Rodriquez legendam ,qua damnavit, qui affirmare præſumſerant, Sanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali tantum Conceptione , & Sanctificatione Beatæ Virginis glorioſæ, feſtum celebrare , quod feſtum, cum Romam rediiſſet , poſt maximam vim peſtis, quæ Urbem affecerat , auxerat ſummopere Pontifex, anno ſcilicet 1476. ut colligitur ex alia ejuſdem Conſtitutione *cum præexcelſa meritorum inſignia* . Extrav. com. lib. 3. de reliq. & venerat. ſanct. Hæ tamen Sixti Conſtitutiones fuerunt a ſacro Tridentino Concil. probatæ cujus mens poſt Canones de peccato originali in ſeſſione v. ſancitos , his verbis explicatur : *declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus , non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto , ubi de peccato originali agitur , Beatam , & Immacu-*

culatam Virginem Mariam Dei Genitricem: Sed obſervandas eſſe Conſtitutiones fe. re. Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat. Præterea ab hoc Pontifice ſilentium impoſitum eſt controverſiæ Franciſcanos inter & Dominicanos, de hac Beatiſſimæ Virginis Conceptione excitatæ: de quo tamen Pontifices, frequentes Conſtitutiones emanarunt, quas infiniti operis eſſet ſingillatim enumerare. Fatemur tamen nullum unquam Pontificem decreviſſe Sanctiſſimam Virginis Conceptionem, veluti fidei Dogma ab Eccleſia tenendum: Sed tamen neſcio quo pacto, nos commotos ſentimus, fore ut aliquando a ſancta Sede, divino afflante Spiritu, tanta res, quæ ſummo honori Sanctiſſimæ Virgini cedet, ad fidem pertinere decernatur. Sin minus; ſicuti venerari divinæ ſapientiæ arcana in animo eſt, ſic taciti exoptabimus huic myſterio fauſta omnia, illudque non ingenio ſolum, quod in nobis exiguum eſſe ſentimus, ſed proprio ſanguine, ſi opus fuerit vindicabimus. Verum illuc redeamus. Compoſuit quoque Sixtus IV. turbas motas de Divæ Catharinæ Stigmatis, ut Spondanus refert, contentioneſque prohibuit inter Lateranenſes Canonicos Regulares, & Eremitanos de vero Divi Auguſtini veſtitu: quanquam non omnino eædem controverſiæ reſecatæ fuerunt. Tandem mortem occubuit anno 1484. & eodem anno electus eſt Innocentius VIII. ex generoſa Ciborum familia.

Hic Pontifex ex præſcripto Viennenſis Concilii uſurarios inſectatus eſt, ab eiſque pœnas exegit. Pontificiam auctoritatem in Ferdinandum Regem Neapolis, exercuit. Etenim illum, icti fæderis violatorem excommunicavit, in eumque, lentum ſane negotium, in cenſu Eccleſiæ ſolvendo, cenſuris animadvertit, appellantemque, per ſuum Legatum, futurum Concilium, non ſolum non audivit, verum etiam Carolo VIII. Galliæ Rege in Italiam arceſſito, e regno exturbare cogitabat. Sed vero, quoniam parum ſupplicii, ſatis eſt Patri, ut Illum reſipiſcentem, & obſequentem animadvertit, veteri ſeveritate remiſſa, in amici-

tiam

tiam recepit, pacemque benigne largitus eſt anno 1492. in ſucceſſionem regni admiſſo ejus nepote Ferdinando poſtea dicto II. tunc Capuæ Principi, dummodo huic, Pater Alphonſus Dux Calabriæ Regis filius, præmortuus eſſet, Surita lib.20. cap.92. & apud Spondanum poſſunt de hac re videri regnum cupientium (ut inquiunt) Proteſtationes. Honeſtavit etiam Innocentius Ferdinandum Caſtellæ Regem, cognomine Catholici, quoniam Bæticam, nunc Granatam dictam, ab infidelium ditione, in ſuam redegerat poteſtatem; quod cognomen Alexander VI. P. firmavit, Rayn. ad an. 1496. n.25. quem poſtea Innocentius Succeſſorem habuit anno ſcilicet 1491.

Inito Pontificatu Alexander VI. Sacrum bellum adverſus Turcas, victoria apud Tranſilvaniam elatos, indixit. Huſſitas hereticos in Bohemia vexavit, exagitavitque, eoſque non ſolum ab illius Provinciæ, ſed a totius Orbis finibus, arcere eſt conatus. Verbi Dei Præcones, Apoſtolicoſque Miniſtros ad Orientis, Occidentiſque oras miſit, ut Barbaras nationes Catholica Religione inbuerent. Alphonſo II. Neapolitani regni inveſtituram conceſſit, quanquam Carolus VIII. a Neapolitanis tunc eſſet in regnum vocatus, Raynal. ad an.1493. n.27. Vetuit quoque hic Pontifex ne typis literariis ſcripta mandarentur, niſi Epiſcoporum auctoritas accederet Raynald. ad an.1501. n.36. Veneno occubuit anno 1503. Si Guicciardino lib.6. aliiſque illius temporis Scriptoribus fides ſit adhibenda. Succeſſor creatus eſt poſt quinque, & triginta dies Pius III., cujus Pontificatus quinque, & viginti dierum fuit.

Quapropter eodem anno Julius II. fuit electus, qui multas edidit conſtitutiones, occæpto Pontificatu: ſed illa cum primis fertur, qua ſimoniacas Pontificum electiones cavit, deſcriptaque eſt tertio loco in Bullis Julii II. Notatu quoque dignæ ſunt vigeſima ſecunda, qua confirmatur Bulla Pii II. Pontificis, contra appellantes Concilium, a ſententia Sanctæ Sedis: & decima nona, quæ, excommunicationis pœna propoſita, in duello pugnantes coërcet: quam dein-

deinde pœnam Leo X. Pontifex irrogavit quoque ſpectatoribus duellorum, ut conſtat ex Conſtitutione 31. Bull. in Leone X. Jecit idem Pontifex Julius II. Vaticanæ Baſilicæ fundamenta, indulgentiasque largientibus eleemosynas pro tanto ædificio, conceſſit, ut in ejus tertia Conſtitutione legitur. Profectus eſt adeptum Banoniam, Peruſiamque anno 1506. Guicciard.lib.7., ac ſequenti anno Romam rediit magna omnium lætitia, cognomenque Protectoris fidei Jacobo IV. Scotiæ Regi conceſſit, Spond. num. 6. Denique cum Veneti Eccleſiæ reſtituiſſent, quæ per vim occupaverant, cum iis amicitiam, & societatem iniit adverſus Galliæ Regem, qui Alphonſum Ferrariæ Ducem, dictis Sanctæ Sedis minime audientem, & excommunicatum, tuebatur. Guicciard.lib.8.; quapropter Ludovicus II. Galliæ Rex in Aurelianenſibus, Turonenſibusque Comitiis adverſus Julium II. Pontificem octo propoſuit articulos, a ſuis acceptos Epiſcopis, atque ſtatuit Lugduni Concilium eſſe celebrandum, quo Concilio gradu movere Pontificem cogitabat. Spond. ad an.1510.num.8. Sed Pontifex tunc Neapolitani regni inveſtituram Ferdinando Catholico indulſit, ubi maximæ turbæ, & ſeditiones excitatæ ſunt cauſa inquiſitionis Hiſpanicæ, quamobrem annuente Pont. penitus deletum S. Ufficii Tribunal. Ceterum difficillimis temporibus Eccleſiam rexit Julius II., ſed iis temporibus tamen in quibus animi conſtantiam, & firmitudinem potuit demonſtrare. Etenim cum a nonnullis Cardinalibus nimium voluntati Galliæ Regis indulgentibus Conciliabulum Piſis coactum fuiſſet, non ſolum illos Pontifex gradu, & dignitate exturbatos, excommunicavit, verum etiam anathemate percuſſit Florentinos, quod, data Urbe, participes impiorum conſiliorum fuiſſent. Hæc dum geruntur ſchiſmatici Mediolanum transferunt Concilium, & Pontificem gradu movent, ut Galliæ Regi obſecundent. Pontifex vero Lateranenſe Concilium indicit, illudque celebrat poſteriori anno ſcilicet 1512., inceditque ad Concilium ſtipatus undique Hieroſolymitanis Equitibus armatis contra vim impiorum. Excommunicatione animadver-

vertit in Galliæ Regem, ejuſque regnum, illudque Navarræ Eccleſiaſtico interdicto ſubmittit, ut acta ejuſdem Concilii ſeſſione 3. teſtantur. Sed inter tot conſtantiæ, & magni animi ſigna, vita concedit Julius II. anno 1513. ſtatuit tamen ante mortem, ut ſucceſſor a Cardinalibus eligeretur, non vero a Concilio Lateranenſi non dum dimiſſo.

Succeſſum Julio II. fuit a Leone X. Florentino ex nobiliſſima Mediceorum Familia, trigeſimum annum nato, ſed ejus virtutes, & mens ad imperium facta longe ſuperabant ætatem. Et quidem ad Apoſtolicum ſolium cum aſcendiſſet, lumine ſuo tenebras contentionum diſpulit. Nam primum cum Ludovico XII. Galliarum Rege ſe conciliavit, a quo Legati ad Lateranenſe Concilium miſſi fuere, quo venerunt etiam Gallicani Epiſcopi, damnaruntque una ſententia omnes, Conciliabulum Piſanum. Pacem deinde fecit cum Franciſco I. Galliæ Rege, atque inter eos convenit Bononiæ de Pragmatica Sanctione, Regiſque, & Pontificis conventa, evulgata ſunt: de quibus nos ſupra. Summa cupiditate exarſit Leo X. Sacri Belli perficiendi contra Turcas; atque iccirco Divinum in tanta re exoraturus auxilium pedibus nudus, ex Divi Petri Templo ad Baſilicam Beatæ Virginis, quæ nunc Minerva vulgo dicitur, proceſſit anno 1518. Et profecto tanta virtute Pontifex præditus nulli aptior tempori extitiſſet, niſi illi in quod Leonis Pontificatus incidit. Etenim ſuperiori anno Lutherus Eccleſiæ Univerſæ calamitas, & peſtis e tenebris eruperat, Fideique Catholicæ impendebat, ut miſceret, corrumperet, deleret ſanctiſſima Majorum inſtituta, & leges. Cum hac immaniſſima bellua conflictatus eſt Leo: quæ quidem a principio ferocientem animum vix oſtendit, contra indulgentias. Sed ut belluæ ipſæ majores ex acta præda ſpiritus, vireſque ſumunt, eodem prorſus pacto Lutherus, cum impii conatus bene ceſſiſſent, venenum, quod incluſum ſecum habebat evomuit, foraſque emiſit. Itaque indulgentias, auctoremque indulgentiarum maledictis impetiit, homineſque univerſos, qui collata pecunia in pium uſum, viam ſibi ſternebant, ad tantam

tam

tam remiſſionem comparandam, ut ſimplices, & nullius ingenii traduxit. Victus ſane fuerat cum Caroloſtadio in Lipſienſi diſputatione, teſte Cocleo, ſed de more pervicacium hæreticorum, nec manus dare, nec se ad frugem bonam recipere voluit. Contra Lutherum vaſtitatem Eccleſiæ molientem ſcripſit cum aliis Henricus VIII. Rex Angliæ, igni primum damnatis illius ſcriptis, pro quo pulcherrimo facto cognomen Defenſoris Fidei retulit: quo quidem cognomine, feciſſet Deus, ut se dignum in omni vita præbuiſſet? Supremum diem obiit Leo anno 1521., damnato impio Luthero, ejuſque peſtilenti doctrina, quam Pontificis ſententiam ſubſcripſere Carolus V. Imperator, & Sorbonenſis Academia.

Ineunte anno 1522. Pontificatum iniit Adrianus VI., Leonis ſucceſſor, qui quanquam poſteriori anno mortem obiiſſet, tamen memoriam ſui Nominis apud poſteros ſempiternam reliquit; quod proprio Nepoti duo Sacerdotia ad curam animarum pertinentia, indulgere noluerit. Gratias expectativas, & reſervationes (ut Fori vocabulis utar) revocavit Adriano ſucceſſum eſt a Clemente VII. ex Mediceorum quoque Familia, cujus Pontificis difficile eſt percenſere labores, & anguſtias in Dei Eccleſia gerenda; cum ejus Pontificatus incidiſſet in difficillima, & poſt hominum memoriam turbulentiſſima tempora. Etenim diu jam in periculis hæreſis, inſidiiſque Lutheri verſata fuerat Eccleſia; ſed neſcio quo pacto, omnium Lutheranorum ſcelerum, ac veteris furoris, & audaciæ maturitas in Clementis VII. Pontificatus, tempus erupit. Quamobrem Clemens ut prudentia, quæ ſua erat, conſuleret fidelibus, proſpiceret Chriſtianæ Reipublicæ, ſartam tectam conſervaret Eccleſiam, Jubileum indixit anno 1525., nulla nec ſtipis, nec collatitii æris mentione facta. Verum maxima quoque bella, quæ inter Chriſtianos Principes exarſerant, non nihil Pontificis conſilia retardarunt. Nam cum Carolus V. Imperator ſuſpicaſſet, Pontificem Galliarum Regi perſuaſiſſe, ut Neapolitanum regnum aggrederetur, odio Clementem VII.

pro-

proſecutus eſt: Guicciardinus lib.15. Quapropter Pontifex adactus eſt revera ſocietatem inire cum Rege Galliæ, & Venetis, contra Imperatorem. Qua ſocietate Imperator ira excandeſcens exercitum Romam miſit. Qua de re ejus iræ, cædem infinitam civium, ſtupra caſtiſſimarum mulierum, rapinas, flammas, incendia, clariſſimique Sacerdotii domicilii ruinam, & pene occaſum tribuerunt ſcriptores. Vallemontius ſummi ingenii vir, ſic brevibus illius belli, ac vaſtitatis cauſam eſt complexus, Imperatorem accuſans, quod in tanta exciſione, & poſt Romam conditam inaudita πολιτικὴν Hiſpanicam adhibuiſſet. Graviſſimo enim nuncio de Pontificis captivitate ad Cæſarem allato, anno 1527. Ipſe ſpecie tenus commotus eſt, Illumque in libertatem aſſerendum, dicis cauſa, juſſit, ut exitus probavit: nam poſt juſſa Imperatoris in cuſtodiam octo integros menſes eſt detentus Pontifex, nec ex ſitu, & ſquallore carcerum evaſiſſet, niſi mutata veſte se conjeciſſet in fugam, teſte Pallavicino hiſt. Concil. Trid. lib.2. ſcriptoribuſque illius ævi univerſis.

Ceteris hujus Pontificis calamitatibus acceſſit dolor ex defectione a fide Anglorum anno 1528. Res vero ita ſe habuit. Henricus VIII. Rex Angliæ obſequentiſſimus Eccleſiæ, & Pontifici cum primis, in animum induxerat Matrimonium ſollemni ritu celebratum cum Catherina Ferdinandi Catholici filia diſſolvere, hac allata cauſa, quod Arthuro ejus fratri nupſiſſet, illiuſque vidua eſſet. Sed cum hujus impedimenti gratiam a Julio II. P. accepiſſet, cumque eſſet apud omnes incomperto Arthurum fratrem, nunquam matrimonio uſum, ex corporis perpetuis infirmitatibus, nec animo, nec voluntate cecidit, ſed omnem lapidem movit, ut compos voti fieret. Pontifex ut Regi indulgeret, infirmumque Henricum vehementi cupiditate, ad ſanitatem, ut medicorum mos eſt, blandis medicinis, reduceret; morem petenti, & oranti ut cauſa ageretur, geſſit. Itaque Judices dedit nonnullos Cardinales in Anglia commorantes, Illis primum inſtructis ad omne officii munus, ne cauſam ſcilicet brevibus expedirent: & ut facultatem facerent Re-

ginæ a ſententia appellandi. Dum hæc geruntur Rex inter ſpem, & metum, animum ſuſpenſum habens, ne cauſa tandem aliquando caderet, præſertim, quod cogitaret ſi in cauſa ſuperior fuiſſet, matrimonio conjungere Mariam legitimam ſuam filiam Comiti de Richmond ſuo notho filio, teſte Sandero de ſchiſm. lib. I. Comitiis nonnullorum Epiſcoporum actis, ſe Judice, ſe Actore, ſe Reo, cauſam egit, ſententiamque pro Tribunali dicente Cramero, qui ad Contumberyenſem Eccleſiam obrepſerat, primo matrimonio ſolutus eſt, nuptiaſque ea, qua fieri potuit ſollemniori pompa, cum Anna Bolena fecit anno 1533. Quid hic Pontifex? Ne tantum facinus peſſimo publico, in aliorum exemplum tranſiret, Eccleſiæ armis uſus eſt, audacemque Henricum, & ſua victoria exultantem excommunicavit. Scio nonnullos πολιτικωτέρους hac in re rationem initam a Pontifice improbaſſe, atque hoc in negotio exoptaſſe non Marcelli celeritatem, qua ipſe uſus eſt, ſed tarditatem Fabii, qui cunctando reſtituit rem. Gratias, eaſque ingentes πολιτικωτάτοις viris, pro tantis monitis habemus: ſed non erat his locus. Repentinis aliquando conſiliis uti, in pœnis infligendis, pars ſumma prudentiæ eſt. Neque quidquam Eccleſia de ſua ſeveritate contra improbum Regem remittere debebat, cum illud ſempiterno ſanctæ Sedis dedecori cederet. At peſſundatum eſt regnum? dolet, ſed eſto; dummodo Auctoritas, & Poteſtas Pontificis, quæ proprius ad illam Dei Opt. Max. accedit, ſarcta tecta tueatur. Ceterum longius proceſſerat effrænata, & furioſa Henrici cupiditas; atque is erat, ut Illum neque pudor a turpitudine, neque metus a ſcelere, neque ratio a furore revocaſſet. Abeat tandem aliquando quo Illum jampridem ſua mens maleſana, atque cæca rapiebat. Miſceat, confundatque humana divinis: reverentiam, atque obſequium Romano Pontifici neget, ſeque in Pontificis locum in Anglicana Eccleſia conſtituat. Egregiam vero laudem ex his facinoribus retulit! Catholici æque ac hæretici, Illum non impium, ſceleſtum, perditum, ſed amentem, inſanum, furioſum dixere. Sanderus loco citato.

to. Sed ad Novatores redeamus.

Horum ſectæ interea longe lateque diſſeminatæ, Catholicos coëgere ut tot, tamque furentia mala nonnullis ſtatutis legibus, veluti muris oppoſitis, retardarent. Itaque convenere in Spirenſi Urbe, primum deinde Auguſtæ Vindelicorum, atque quod commodum, quod Imperatoris juſſu opportunum illis temporibus videretur, ſanxere. At Hæretici contra Catholicorum Sanctiones proteſtati ſunt ſemel, atque iterum, unde Proteſtantium nomen invenere. Teſte Spondano. Inter tot rerum diſcrimina moritur Clemens VII. anno 1534. Creatus eſt Pontifex Cardinalis Alexander ex nobiliſſima Farneſiorum ſtirpe, vocatusque eſt Paulus III.

Hujus Pontificis res geſtas difficile eſt oratione complecti, melius enim, tacita illorum temporum conſideratione, cognoſci poſſent. Sed ne rebus tanti Pontificis, ſilentio invidiſſe videamur, pauca narrabimus. Et primo quidem P. Paulus III. denuo adverſus Angliæ Regem non ſolum excommunicationem emanavit, verum & declaravit regia dignitate cecidiſſe. Spondanus ad an. 1538. num. 14. Ad reformandam deinde Eccleſiæ diſciplinam, Cardinalium Congregationem inſtituit; & ad mores ad unguem exigendos novem Præſules deſtinavit. Cum vero vidiſſet Pontifex quod Eccleſiæ Perduellium creſceret in dies numerus, nam debacchanti Luthero, socius adjunctus eſt Calvinus, qui ſuis inſtitutionibus Baſileæ evulgatis anno 1535., junctis veluti armis inter se, impia ſigna Ambo, alius alio nequior, ad Catholicæ Fidei interitum intulerunt: omnem induſtriam adhibuit, ut Generale Concilium convocaretur. Indictum itaque eſt Mantuæ anno 1536., & poſteriori anno Vicentiam tranſlatum, licet Angliæ Rex, contra indictum Concilium, ſcriptis editis, pugnaret. Sed bellorum furentium cauſa, aliiſque de rebus, quæ acciderunt, Concilium celebrari non potuit. Pontifex vero nullis laboribus, nullis itineribus pepercit, ut belli faces extingueret, atque interim Concilium ad commodius, opportuniusque tempus detulit. Indixit deinde anno 1542. ad Urbem Tridentum; verum ejus celebratio

ad aliud tempus delata eſt ex diſcordiis, & armis inter Carolum Imperatorem, & Galliarum Regem. Pace tamen inter illos compoſita, Concilium duobus poſt annis, iterum indictum eſt, & Bononiam anno 1547. translatum, peſte graſſante. Quam Concilii translationem ægre tulit Carolus V. Imperator, tum quod teſte Pallavicino in Hiſtor. Concil. Trid. multa contentione antea fuerat de loco diſceptatum, nec unquam Urbs Bononia, Imperatori, Concilii opportunus locus, viſa fuerat; cum etiam quod in Germanorum gratiam, multa nec æqua, nec juſta peteret, ut Auctor eſt Rayna. & Spond. Atque hinc fuit quod ſeſſiones Bononiæ celebratæ, nunquam in Concilio Tridentino inſertæ ſunt: legi tamen poſſunt penes Rayn. Sed tandem Pontifex anno 1549. hoc Concilium penitus ſolvit, ne forſan tot calamitatibus aliæ adderentur, quippe quia, Imperatoris Caroli V. juſſu, ejus ſubditi ab Urbe Tridento non diſceſſerant, immo ipſemet Cæſar ediderat in Comitiis Auguſtanis illud pernicioſum, ac celebre *Interim*, ea complectens, quæ ad religionem pertinebant, quæque fieri oportebant a Catholicis, uſque ad Concilii decretum extremum. Tulit etiam Imperator novam ſanctionem, qua auctoritatem diſciplinæ Eccleſiaſticæ reformandæ ſibi temere arrogavit. Hic Pontifex moritur eodem anno, multis rebus inſtitutis, multiſque perfectis. Inſtituit enim Romæ Sancti Ufficii Congregationem, ut ex bullario conſtat in Paulo III. Conſtitut. 34. Ante obitum de ſucceſſore cogitavit, juſſitque ut eligeretur a Cardinalibus; creatusque eſt Julius III. Pontifex anno 1550.

Inſtituit Julius III. eodem anno poſt nactam poſſeſſionem conventum Epiſcoporum, cujus partes eſſent, gliſcentes abuſus extirpare. Compacta Leonis X. P. cum Franciſco I. Galliarum Rege firmavit, reſtituitque Tridentum Concilium, quo Legatos miſit, ut præeſſent ſuo Nomine tantæ molis rebus. Nihil operæ, atque laboris reliquit ut Catholicam Fidem in Angliam reſtitueret. Quamobrem illuc Apoſtolicum Legatum Cardinalem Polum miſit, monuitque ut facilitatem adhiberet, atque pietatem adverſus Eccleſiaſticarum

rum

rum rerum poſſeſſores. Thuanus lib. 12., & Sanderus de ſchiſmate lib.2. p.2. Et profecto neque commodiori, neque opportuniori tempore legatio a Pontifice decerni poterat in Angliam. Maria enim Catholica Henrici VIII., ac Catherinæ primæ repudiatæ uxoris Filia, illius Regni Imperium capeſſerat, nuptiasque fecerat cum Philippo Caroli V. Imperatoris Filio. Quæ Regina non parva ſuæ voluntatis erga Catholicos ſigna dedit; atque contra hæreticos, præſertim auctores primi divortii Henrici VIII., exempla edidit. Itaque omnes boni in ſpem ſe erexerant fore ut aliquando ad priſtinam Fidem redirent Angli: ſed deſiderio fruſtrati ſunt, acerba Mariæ Reginæ morte, anno 1558. Multum præterea Pontifex Julius III. adlaboravit ut juſtitiæ, & juris regulæ ad amuſſim ſervarentur, quod apparet ex quadam ejus Conſtitutione, qua graves impoſuit multas in rectum juſtitiæ curſum pervertentes, prætextu debiti eorum domibus obſequii, & in ea neminem excepit, ut in bullario legi poteſt. Juſſit etiam ut laici non agerent Judices in S.Ufficii cauſſis. Obiit anno 1555. & cum ob Pontificis mortem Sanctæ Sedis Legatus ex Auguſtanis Comitiis diſceſſiſſet, in illis promulgatum eſt decretum de confeſſionis Auguſtanæ tolerantia a Philippo Melanchthone conceptæ in aliis Comitiis Auguſtanis habitis anno 1530. Cujus impiiſſima Capita poſſunt videri penes P. Jacobum Meſſenium in meditat. Concord.p.2., & P. Vitum Pichlerum in exam. Polem. Confeſſ. Auguſtanæ.

Fuit deinde ad Pontificium Solium evectus Marcellus II., cujus regimen breviſſimum fuit. Rejici tamen debent omnes Pauli Sarpæ calumniæ adverſus ejuſdem Pontificis vitam ſanctiſſimam. Et ſane hujuſmodi malediceutiſſimum ſcribendi genus, Sarpa, ex vero nomine Petrus Suave, non in Marcellum Pontificem ſolum uſurpavit, ſed in ſcribenda etiam Hiſtoria Tridentini Concilii, falſitatisque reus agitur a Cardinali Pallavicino, a quo ejus etiam deliria invictiſſimis rationibus, improbantur, quin imo Joannes Clericus per ſummam impietatem nulli Religioni addictus, Sarpam

cum

cum Luthero conferre non dubitavit, Venetiasque reformatas, vel deformatas ab illo iri, ſi Lutheri Spiritus, cum vehementi ingenio conjunxiſſet. Biblioth. Univerſ. tom. 5. p. 544. Quamobrem Sarpæ infenſiſſimo R. Eccleſiæ hoſti nulla eſt fides adhibenda, ejuſque calumniæ longius amandandæ; ut amandavit Nat. ab Alexandro de Marcello II. verba faciens.

Marcello ſucceſſit anno 1555. Paulus IV. Neapolitanus ex Carafæorum gente, qui cum Gallicano Rege Henrico II. ſocietatem iniit, ex diſſentionibus cum Carolo V. Imperatore ortis, Pallav. in Concil. Trident. hiſt. tom. 2. lib. 13. Inſtituit Cardinalium Congregationem pro moribus reformandis, hebræoſque in certum Urbis Romæ locum redegit, curavitque ut ſignum aliquod ſemper geſtarent, quo a Chriſtianis diſtinguerentur. Gravaminum Tribunal, inſtitutum voluit teſte Rayn. Fidei Quæſitoribus juſſit, ut Cathalogum librorum, quorum lectio moribus, vel Religioni officeret, efformarent; illudque publici juris eſt factum anno 1559. Conſtitutionem emanavit in petitores beneficiorum, quæ deinde aliis reſignabant, fructuum parte imminuta nomine penſionis, ut ex bullario apparet. Servantiſſimus recti, & æqui fuit Paulus IV. P., atque hanc ob rem nec Nepotibus ipſis a Juſtitiæ ſemita in minimo aberrantibus, pepercit, remotis a rerum Eccleſiæ gubernatione. Neque ultimum locum inter ſanctiſſima hujus Pontificis inſtituta ſibi vindicat Congregatio, quæ nunc dicitur Sacræ Conſultæ, quæque tota eſt in bonis, fortuniſque Eccleſiæ ſervandis, regendiſque. Pallav. p. 2. lib. 24. Deceſſit anno 1559. atque in multos menſes dilata eſt novi Pontificis creatio, ex tumultu in Urbe Roma excitato.

Factus tandem eſt Pontifex Pius IV. qui Pontificatu inito tumultus auctoribus pepercit, legitimoque jure factam Ferdinandi I. Imperatoris electionem, ſtatuit. Etenim deceſſor Pontifex moleſte tulerat, quod Carolus V. Imperium Fratri ſuo abdicaſſet nulla impetrata venia a S. Sede. Declaravit quoque Electores Imperii, qui a Catholica Religio-

ne

ne deſciverant, dignitate ſua cecidiſſe. Juſſit præterea Epiſcopis, ut in ſuis Eccleſiis reſiderent, ut conſtat ex ſua conſt. 20. in bullario. Totis viribus adlaboravit, ut Tridentinum Concilium proſequeretur, præcepitque, ut ſibi ſi quid humani accidiſſet, Succeſſor a Cardinalibus non a Concilio adlegeretur. Concilii Tridentini acta ſub P. Paulo III. habita firmavit, a quo, ut diximus, jam Synodus fuerat dimiſſa, prohibuitque ne in eodem Concilio gloſſæ adderentur. Quod vero ad Tridentinum Concilium attinet, legendus eſt clariſſimus Pallavicinus, quo duce lector impoſturæ inſimulabit Paulum Sarpam, & Apoſtatam de Dominis, comitem, atque adjutorem Sarpæ in convicio potius, quam in hiſtoria Concilii ſcribenda. De acceptatione autem Concilii Tridentini, noſtri inſtituti non eſt multis agere; ideo remittimus lectorem ad ea, quæ abunde Joannes Stoz Germanus, Societatis Jesu, memoriæ prodidit in ſuccinta relatione de geſtis in Concil. Trid. sect. 4. art. 21. ubi habet: *Placuit unanimiter omnibus, quinque tantum oppoſuerunt aliqua, ſed leviſſima, nec memoratu digna*. Et quidem plura novimus Gallicani Cleri comitia fuiſſe convocata, multaſque ab eo preces Regi oblatas pro Concilii promulgatione, ad abuſus extirpandos, ut habetur ex 5. tom. com. Cleri Gallicani apud Natalem ab Alexandro in Henrico IV. imo Spondanus refert in Comitiis Gallicanis habitis anno 1615. fuiſſe opera Cardinalis Franciſci de Rochefoucault Concilium Tridentinum in Gallia receptum, idemque aſſerit Jul. Marcelli ſcriptor Gallicus in ſuo memoriali Chronologico. Rex etiam Catholicus Philippus II. ab omnibus ſuis juſſit acceptandum eſſe Regnis, teſte eodem Joanne Stoz l. 1. *Rex Hiſpanus etſi non leviter offenſum ſe putaverit a Pontifice primas Oratori Gallo concedente, per id tamen in religionis ſtudio ſe non eſt paſſus impediri.... per decretum publicum imperavit, ut in omnibus Hiſpaniæ Regnis Concilium acceptetur, & obſervetur*. Et de ejuſdem ſorore Belgii Gubernatrice ſic idem Auctor ſcripſit: *Referebat quidem illa judicio Senatorum quædam in Synodo contine-*

tineri juri Principis, & Provinciarum privilegiis contraria: adeoque promulgationem videri faciendam tantum cum illorum exceptione: reſcripſit autem Rex, eaſdem cauſas etiam militaſſe pro Hiſpania, ſed ſicut iis poſt habitis Concilium ſine ulla reſtrictione promulgatum eſt in Hiſpania (pro praxi tantum addito levi quodam temperamento) ita promulgandum eſſe in Belgio, ſimulque formam Hiſpaniæ promulgationis tranſmiſit. Quæ cum ita ſe habeant neſcio quomodo nonnulli novarum rerum ſtudentes aſſerant, hoc Concilium in Neapolitano regno acceptum omni ex parte non fuiſſe. Enim vero quanquam Regens Villanus hanc provinciam obtinuiſſet, ut perlegeret Concilium, ne aliquid contineret, quod Regia jura læderet: atque is Concilio a capite ad calcem diligentiſſime pervolutato, nonnihil addubitaſſet quin decretum de matrimonio clandeſtino nullo; & de Sancta Epiſcoporum Viſitatione, quæ univerſa pia loca complectitur, aliqua ratione offenderet jus Regium: attamen ex epiſtolis a Catholico Rege miſſis, qui dubii hæſerant, Regii juris patroni, exploratum, certumque habuere, nihil ex Concilii decretis, detrimenti capere jus Regium. Imo cum fuiſſet deinde aliquomodo ejuſdem impedita executio, quod ad Epiſcoporum viſitationem, idem Catholicus Rex iterum Duci de Alcalà tunc Neapoli Vice-Regis munus gerenti vetuit, ne Epiſcopis impedimento eſſet, in viſitatione piorum locorum: quod tandem firmatum eſt, nonnullis tantum piis locis exceptis, ex ſpeciali privilegio, uſque ad hujus negotii diligentius, atque exactius examen. Verum de hoc Concilio legendus eſt quoque Auguſtinus Redingh tom. 5. in tractatu Epilogali ſect. 2. reſponſ. ad argutiam Heiddegeri Calviniſtæ adverſus hoc ſempiterna laude dignum Concilium, oblatrantis. Sed de Concilio Tridentino ſatis; ad inſtitutam narrationem redeamus.

Multa alia atque præclara Pontifex Pius IV. inſtituit, perfecitque. Verum cum primis huc ejus labores ſpectarunt, ut ſimoniæ confidentiæ labes omnino deleretur. Pro Gallis Oratoribus primas decrevit, eoſque ſemper primum agere

in

in publicis negotiis voluit, ceteriſque Legatis anteire, teſte Maſſonio in Pio IV. Pœnas exegit, anno 1565. ab iis, qui contra se Pontificem conſpiraverant Thuan. lib. 36, eodemque vergente anno deceſſit; atque ſucceſſorem habuit anno poſteriori S.Pium V.

Occæpto a Pio V. Pontificatu, jacta ſunt fundamenta optimi Imperii, novis legibus conſtitutis. Primum multis privilegiis decoratum voluit S. Officii Tribunal tom.2. Bull. in Pio V. conſt. 1. & 22. Vetuit deinde ne pomeridiano tempore a Sacerdotibus litaretur. Græcos adegit, ut ſemper facerent græco ritu, Latinoſque tamen latino. Carolo IX. Galliarum Regi bona Eccleſiæ alienare permiſit hac lege, ut bellum inferret hæreticis Calviniſtis, apud Gallos nomine notatis, Hugoniſtarum; ſed qua de cauſa hoc nomen ſortiti ii ſint, non conſtat inter ſcriptores. Nonnulli enim putant a turre dicta Hugonica Turonis, ubi impios conventus agere ſolerent: alii a Conventibus ipſis apud quemdam Hugonem Magiſtrum habitis. Præſtat tamen audire alios ab Helvetio vocabulo male pronunciato, quod idem ſignificat apud nos, ac fœderatos, eos dictos autumantes, quibus adſtipulatur Natalis ab Alexandro. Quod vero nonnulli ſcriptores, Hugoniſtarum nomen cudant ab Hugone Capeto Galliarum Rege, ab omni veritatis ſpecie prorſus abhorret. Etenim Rex Hugo Galliarum Imperium eſt adeptus anno 988., quo anno nulla maleferiatæ horum hæreticorum cohortis, mentio habebatur, cujus incunabula multo recentiora ſunt. Præterea Hugo Galliarum Rex, Eccleſiæ non Adverſator, ſed Defenſor fuit, illiusque libertatem aſſeruit, liberasque Miniſtrorum Eccleſiæ electiones voluit. Scripſit etiam Pontifex Pius V. pro Cœnæ Domini Bulla. Caverant enim Philippus II. Hiſpaniarum Rex, & Veneti ne in ſuis ditionibus publicaretur; quippe quia hac Bulla ſanctum fuerat, ne ab Eccleſiaſticis, aliquid exigatur, teſte Natale ab Alexandro. Titulum Magni Ducis Coſimo Mediceo tribuit; voluitque ut inter Mendicantium familias, primas agerent Dominicani: Eorumque eſſet dicere Miniſtrum Generalem SS.Rosarii, &

Oratoria inſtituere. Graviſſimis, ſeveriſſimisque pœnis propoſitis, coërcuit libellorum maledicorum Auctores. Quibus rebus feliciter geſtis mortem occubuit anno 1572., & Gregorium XIII. Bononienſem ſucceſſorem habuit.

Pontifex Gregorius XIII. Regularium privilegia inter moderationis cancellos cohibuit, ut ex conſt.9. in Bull. apparet. Univerſis Eccleſiis permiſit, ut in Hebdomada, à Feſto Corporis Domini ſupplicationes ad tanti Sacramenti laudē, & decus agere poſſent. Conſt. 10. in Bull. ſtatuit diem Feſtum SS. Roſarii agendum prima menſis Octobris Dominica ad memoriam victoriæ de Turcis reportatæ. Societatis Jesu Alumnos, Germanico Collegio a se excitato a fundamentis, præfecit: eoſque onere ſollemnium ſupplicationum levavit, multisque privilegiis ornavit. Verum inter res geſtas hujus Pontificis non ultimas fert Kalendarii correctio, Gregoriana, a Gregorio Auctore, nuncupata. Fateor hanc correctionem undique eruditos viros inter se commiſiſſe; eoſque hac de re diſceſſiſſe in factiones, quippe quia a multis Gregoriana correctio probata fuit, a multis vero improbata teſte Natale ab Alexandro in Greg. XIII. Extremo ſui Pontificatus anno privilegiis nonnullis honeſtavit viros, qui Camaldulentium Aſceteriis præſunt: juſſitque ut hebræis prædicaretur Evangelium ſingulis ſeptem diebus. Fato ceſſit anno 1585., ſucceſſoremque habuit Siſtum V.

Hujus Pontificis vitam multis calumniis, multisque maledictis in ſcribendo offudit quidam Auctor Sanctæ Sedi infenſiſſimus, ut cetera ejus ſcripta in Apoſtolicam Sedem edita apertius teſtantur. Sed tanti Pontificis res geſtæ nec maledictis obſcurantur, nec calumniis: quin Pontificibus univerſis, omnibus temporibus Eccleſiæ bene gerendæ exempla erunt propoſita ad imitandum. Primum enim Siſtus Jubileum indixit in Pontificatu capeſſendo, atque hinc deinde, hoc inſtitutum, veluti mos Sanctiſſimus invaluit. Epiſcopos adegit limina Apoſtolorum certis temporibus inviſere, vel ipſi per se, vel per legatos. Conſt. 15. Henricum Navarræ Regem, ac Principem e Conde non modo excommunicavit,

quia iterum in hæreſim prolapſi fuerant, ſed declaravit illos dignitate cecidiſſe, nullumque jus habere in poſterum ad Galliæ regnum. Goldaſt.tom.3.Monarch.Aſtrologiam, quam judiciariam vocant, damnavit in Conſtitutione 17. Nec eſt ſane prætereundum, quod hic Pontifex pro temporibus, ſi quæ eſſent Eccleſiæ extremis, maximam auri vim in Adriani arce ſervandam, cuſtodiendamque, curavit. Quod conſilium ſucceſſores Pontifices probavere, atque ab aſſervata pecunia manum (niſi res Chriſtiana aliud flagitare videretur) abſtinuerunt. Pactiones illicitas nonnullas, quæ in ſocietatem irrepſerant, cavit. Cardinales ad ſeptuaginta reduxit, eorumque ætatem, & animi dotes præſcripſit. Conſt. 50.in Bullario. Congregationem S.Officii firmavit,multasque alias inſtituit, illas nempe Concilii Tridentini, Rituum, Gravaminum, Epiſcoporum & Regularium, Conſultæ & Status, Signaturæ ac Gratiæ, aliasque minoris ordinis, quas ſilentio præterimus. Multas ſanctiſſimas leges tulit Siſtus V., ſummumque jus exercuit in delictorum reos, unde ſontium terror fuit habitus. Incredibili animi fortitudine fuit, in aſſerendis jure, libertateque Pontificiis. Hujus de virtutibus, & vita ſatis erit dictum ſi hoc unum adjunxero, quod nemo eat inficias, Eccleſiam, ante Siſti Pontificatum nunquam ſuæ Poteſtatis & Imperii vim omnem, ſplendoremque demonſtraſſe, contra vero quandiu Ille Eccleſiæ præſuit, Romam ſenſiſſe ſe caput eſſe totius Orbis. Ex quo intelligi poteſt unum Pontificem Siſtum pluris fuiſſe (abſit verbo injuria) Eccleſiæ, quam pene univerſi ceteri deceſſores Pontifices. Obiit anno 1589., quinto ab occæpto Pontificatu. Dictus eſt ſucceſſor Urbanus VII., qui duodecimo poſt die vita ceſſit,nec Pontificia Thiara donatus eſt. Electus deinde fuit Gregorius XIV.

Hic Pontifex Cardinalibus quoque ex Familiis Regularium rubrum conceſſit pileolum, ut habetur ex ſua Conſtitutione 9. Delicta,quæ Eccleſiæ immunitatem non merentur, deſignavit; conceſſam facultatem Fratribus Franciſcanis ſtrictioris regulæ confeſſiones audiendi reſtrinxit, Siſti, ac

Pii V. Bullis derogatis. Voluit etiam ut Eccleſiaſtici Judices viderent, decernerentque de immunitatem merentibus; nec ſeculares Judices provinciam ſibi tribuerent, sontes ab Eccleſiis extrahendi, niſi Epiſcoporum auctoritas accederet, ut ex Conſtitutione 7. apparet. Excommunicationis pœna propoſita terruit, homines Henrici IV. Regis Galliæ partes ſequentes. Quod plurimum auxit illius regni ſeditiones, atque diſcordias, quippe quia contra Pontificis minas, privilegia Eccleſiæ Gallicanæ ab Henrici factione, oppoſita ſunt. Galdaſt. tom.3. Monarch. Deceſſit anno 1591. poſt undecimum menſem ſui Pontificatus. Creatus eſt deinde Innocentius IX., cujus vita breviſſima fuit, vergente enim eodem anno mortuus eſt.

Innocentium excepit Clemens VIII. Hic Pontifex Henrici Galliæ Regis obfirmatam in erroribus mentem, expugnaturus, juſſit ut Galli alium legerent Regem. Ægre quidem in Galliis Pontificis juſſum auditum eſt; perinde quaſi libertatem, & jura regni læderet. Epiſtola Summi Pontificis eſt combuſta, & parum defuit quin a Romana Eccleſia deſciſcerent, legerentque non alium Regem, ſed Patriarcham in Galliis, ſui juris, teſte Brietio. Dum hæc in ancipiti pendent cum cognoviſſet Rex Henricus IV. hæreſis labem, ſummo ſibi impedimento fore ad Gallias gerendas, atque gubernandas ſine jurgio, ſine offenſa; hæreſim execratus, & ab Epiſcopis abſolutus, maxima animi demiſſione pœnitentiæ Sacramento expiatus, in Divi Dionyſii templo Sacrificio adfuit. Coronatus deinde fuit poſteriori anno 1594. eoque anno vergente, vulnus in ore a Joanne Caſtello Lutetiæ Pariſiorũ nato accepit, cumque de hoc male ſuſpicatum fuiſſet, male cum nonnullis actum fuit. Sed noſtrum non eſt refricare obductam aliorum cicatricem; itaque ad Clementem redeamus. Legatum in Gallias miſit Pontifex, ut conditiones implerentur in Rege abſolvendo, dictæ. Ad quem Regem deinde, ut ſuam erga illum voluntatem, vel potius pietatem oſtenderet, Cardinalem Maffeum Barberinum miſit, ut ſuo Nomine Ludovicum Delfinum ejus Filium donaret Regio munere,

nere, ſive ut ajunt faſciis, ex quo mos invectus deinde fuit. Forenſes ſalebras, & ambages diuturnas ablegaturus Clemens VIII. Juriſdictionis, citationis, & mandati tantum exceptiones proponi poſſe juſſit, ut ex ejus Conſtitutione 8. in bullario habetur. Anno 1598. Ferrariam venit ejus poſſeſſionem adeptum: pace compoſita cum Cæſare Eſtenſe, qui anathemate appetitus, Urbem illam vi ablatam, Sanctæ Sedi reſtituerat. Bull. in Clem. VIII. Conſtit. 52., & ſeq. Pro Scotorum natione anno 1600. Collegium Romæ erexit. Ut falſam damnavit Suareſii opinionem: poſſe Fideles per epiſtolas confiteri, & abſolutionis gratia per epiſtolas donari. Conſtit. 87. Morbo abſumtus eſt; in ejusque locum ſuffectus Leo XI. anno 1605., qui breviſſimo poſt tempore emigravit, atque eodem anno creatus eſt Pontifex Paulus V. Summo loco natus ex Borgheſium familia.

In Venetias Paulus V. Eccleſiaſtico interdicto animadvertit, & in cauſa duo ſumma capita fuerunt, quæ libertatem, auctoritatemque Eccleſiæ peſſundabant, alterum quod Reſpublica pœnas repetere ab Eccleſiaſticis vellet: alterum quod Senatusconſulto caverat, ne nova Templa ædificarentur, neve prædia, & poſſeſſiones ab Eccleſiis adipiſcerentur, injuſſu Reipublicæ. Multa hinc inde ſcripta edita ſunt Theologorum, & Canoniſtarum. Sed cum primis Societatis Jeſu Alumni Eccleſiæ Romanæ partes ſecuti, collatis veluti ſignis in hoſtem pro Pontificia auctoritate fortiſſime, ac glorioſe ſemper pugnarunt. Quamobrem majori ira, in eos a Venetis ſævitum eſt; emiſſique ex Urbe. Sed Regis Galliæ auctoritate interpoſita, pax inter Rempublicam, & Sanctam Sedem comparata eſt. Veneti ad meliorem mentem, ſententiamque, ex qua iratum vi, abducti fuerant, redeunt; carceribus mancipatos Clericos reſtituunt Apoſtolico Legato, Ejectos Eccleſiaſticos in Urbem iterum recipiunt, infectumque volunt quicquid factum antea fuerat contra Eccleſiæ interdictum; qua de re abſolutionis gratiam recipiunt anno 1607. Verum perſeveravit Reipublicæ indignatio contra Jeſuitas, ceteriſque in Urbem receptis, ſoli inclytæ Socie-

cietatis Alumni, ut inquit Spondanus, urbe ſunt excluſi. Compoſuit Paulus V. controverſias ſumma partium contentione agitatas inter Dominicanos, & Jeſuitas de Divinis Auxiliis. Cum enim utraque Familia detrectaret ſententiæ ſtare Conventus Theologorum a Clemente VIII. Deceſſore, huic liti judicandæ præpoſitorum; atque vi diſputationis partes abreptæ ad calumnias, ut fit, & maledicta tranſirent, Pontifex diſputantibus Familiis, altum impoſuit ſilentium anno 1611., ſi fides Bernino Hiſt. hæreſ. tom. 4. ſit habenda, vel antea, ut aliis placet. Is quoque Pontifex vetuit Catholicis, ne præſtarent jusjurandum, ſub concepta formula, a Jacobo Angliæ Rege, quippe quod Catholicæ Fidei omnino adverſum, ut Bellarminus Pontificiæ Poteſtatis ſtrenuus defenſor probavit. Et profecto cum Jacobus in Scotia invexiſſet religionem Anglicanam, nova excogitata forma juramenti fidelitatis, his verbis concepta: Pontificem nullà auctoritate præditum Regum deponendorum, ſubditorumque a jure jurando Fidelitatis ſolvendorum; in hæc verba jurare Catholicos adigebat. Ad meliorem formam Romæ Tribunalia redegit laud. Pontifex, & Congregationem Annonæ inſtituit, ut videre eſt in Bullario Conſtit. 70.; multaque alia perfecit; quæ brevitati ſtudentes præterimus. Fato functus eſt anno 1621.; creatusque eſt in ejus locum Pontifex Gregorius XV. Bononienſis.

Is autem Pontifex conſtitutionem emanavit de modo eligendi Pontificem, ut apparet ex ejus conſt. 13. & Romæ Congregationem de Propaganda Fide inſtituit. Breviter tamen Dei Eccleſiam rexit; obiit vero anno 1623. eique ſucceſſit Urbanus VIII. ex Barberina nobiliſſima gente.

De rebus geſtis Urbani VIII. ſi narrare incipiam vereor ne hiſtoriam potius ſcribere, quam summas res pro meo inſtituto videar attingere. Tot enim, tantæque ſunt, ut omnibus & præteritis ætatibus, & futuris ſummæ admirationis materiam præbeant. Occurram tamen ſatietati Lectorum, & quædam rerum ſumma veluti capita exponam: Et primum quidem Is Pontifex vetuit Clericis ne fictis patri-

moniis

moniis ad ordines accederent, ut ex conſt. 35. colligitur: Vetuit quoque ne hominum imagines etiamſi ipſi emigraſſent ſanctitatis de ſe opinione relicta, radiis circumfuſæ pingerentur; neve lumina in eorum tumulis apponerentur, vel etiam prodigia prælo ſubmitterentur, & in vulgus efferrentur, ante approbationem Apoſtolicæ Sedis. Præterea ad Eccleſiæ ſtatum Urbini Ducatum, Domino cedente, adjunxit, ut Brietius notavit. Declaravit quoque non poſſe Sacerdotem uno ſacrificio, pluribus eleemoſynis facere ſatis, ut explicat Ginetus Theolog. Moral. tom.4. Inſtituit Romæ Congregationem finium regundorum: Regularibus laicorum confeſſiones audire prohibuit, niſi Ordinarii Epiſcopi approbatio accederet. Præſcripſit modum in Magno Equitum Hieroſolymitanorum Magiſtro eligendo, cui non minus quam omnibus Cardinalibus, & Eccleſiaſticis Imperii Romani Electoribus, Eminentiſſimi titulum primus eſt elargitus anno 1630. ut Spondanus notat n.8. Cardinales, & Epiſcopos ad ſedes ſuas adeſſe coëgit, ut ex ejuſdem conſt. 139. apparet, & bullam adverſus Janſenium emanavit. Rexit Eccleſiam ad annum 1644. Succeſſoremque habuit Cardinalem Pamphilium, Innocentium X. dictum.

Dedit operam Innocentius X. Regularibus Reformandis, quamobrem Cardinalium Congregationem inſtituit, ut ex ejuſdem conſt. 23. habetur. Se Parmæ Duci oppoſuit, qui Caſtri Ducatum Eccleſiæ feudum eſſe inficiabatur. Sed convenit tamen inter eos, ut Dux ſolveret ſanctæ Sedi, neſcio quid pecuniarum, quibus non ſolutis, Apoſtolicæ Sedi Ducatus obvenit, teſte Calviſio. Cænobiis per univerſam Italiam, in quibus Alumni ad certum numerum, non degerent, derogavit: quippe in his nec vitæ inſtitutæ ratio ſervaretur, nec rebus divinis, ut par eſſet, vacaretur. Deceſſit Innocentius anno 1655. & Pontifex creatus Cardinalis Chigius, vocatuſque eſt Alexander VII.

Declaravit iterum Alexander Pontifex quinque Janſenii propoſitiones, quæ libro nuncupato Auguſtinus continerentur, juſta auctoris ſenſum damnatas eſſe ab Eccleſia,

ut

ut conſt. 28. legitur. Venetis contra Turcas pugnantibus, ſubſidio auri pondus miſit: quapropter Reſpublica precibus, atque exhortationibus Apoſtolici Legati exorata, Societatis Alumnos iterum recepit. Voluit præterea, ut qui Cœnobiis præſunt, ab Epiſcopis vocati, Synodis Diœceſanis adeſſent, ut habetur ex ejuſdem Apoſtolico reſcripto, quod incipit: *Sicut accipimus*, & diſputari prohibuit in conſt. 114. de Immaculatæ Virginis Conceptione, renovavitque Pauli V. P. bullam, ut Sancti Officii Tribunali deferrentur, vel leviſſime hæreſi notati. Sed dum hæc geruntur, Neapolitani Fidei Quæſitorem ejiciunt, quod occultum judicium ſubire detrectarent. Neque hac ſolum conflictatus eſt perturbatione, ſed acceſſit illa a Galliarum Rege excitata. Cum enim Rex induxiſſet in animum neſcio quam ſibi injuriam illatam, nec ſibi ſatis omnino factum, e Galliis Apoſtolicum Legatum ejecit. Verum Pontifex nec adverſa fractus, nec proſpera elatus fortuna, eamdem animi moderationem ſemper ſervavit. Mortem occubuit anno 1667. eique ſucceſſum eſt a Clemente IX.

Hic ſimul ac Pontificatus potitus eſt Eccleſiæ Provincias multis oneribus levavit. Epiſcopos in Luſitaniam miſit: nequicquam obſiſtentibus Caſtellæ populis. In obſidione Inſulæ Cretæ a Turcis factæ, militibus, & auro, auxilio fuit Venetæ Reipublicæ, ut auctor eſt Brietius; licet inter Deceſſorem Pontificem, & Rempublicam lites, contentioneſque exarſiſſent, pro immunitate navium ſanctæ Sedis, in Adriatico mare. Ad Perſarum Regem literas dedit, ut illum ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum, excitaret. Deceſſit an. 1669. in ejuſque locum ſubrogatus eſt Clemens X.

Eccleſiam breviſſimo tempore rexit laud. Pontifex, ſed in hac, ut ita dicam, ſui Sacerdotii diecula ſummis perturbationibus eſt affectus a Galliæ Rege, regni jura ultra fines ſuos proferre cupienti. In Sanctorum numerum multos retulit; atque Pium V. Pontificem Max. in Beatorum album ſcripſit. Magno Moſcoviæ Duci, Imperatoriam dignitatem, & nomen ſibi aſſerenti, tantum dignitatis gradum aſſerere

detre-

detrectavit, qua de re Legatus Moſcovita ab Urbe Roma diſceſſit. Supremum diem obiit anno 1676. Succeſſoremque habuit Cardinalem Odeſcalchi Innocentium XI. nuncupatum.

Hic Pontifex summam vitæ integritatem ad Pontificatum capeſſendum attulit; ſed occæpto Sacerdotio ad sanctitatem, vigilantiam comitem addidit. Itaque a principio legem tulit, ut abrogaretur quædam immunitatis ſpecies, quam virorum Principum Legati in Urbe jactabant, eoque dato aſylo multa impune peccabantur. Præſidio nonnullis Galliæ Epiſcopis fuit, qui Regis parte relicta, jus, & libertatem Romanæ Eccleſiæ contra vim regiam, vindicaverant. Aditum ad se, Venetiarum Legato interclusit, quod ab ejus familia, contra satellites, lictoreſque Romanæ Curiæ, neſcio quid audacter factum. Diris devovit multas sententias auctorum Chriſtianæ Ethicæ, probabilem opinionem ſequentium. Conſtitutione etiam lata vetuit morem prædicandi Evangelium, invectum præſertim a jurantibus in verba Ariſtotelis, scholaſticis tricis, & sophiſmis scatentem. Mulierum frontem, effiænemque cupiditatem oculis venandi homines, edicto lato coërcuit; Sacerdotibuſque juſſit, ut divina myſteria, & Sacramenta eiſdem non miniſtrarent, niſi modeſtiam in cultu etiam, & veſtitu, ipſæ ad Eccleſiam accedentes, præſeferrent. Magnificam legationem a Jacobo II. Catholico Rege Angliæ, Fratre Caroli II. Regis functi anno 1685. accepit hic Pontifex; & viciſſim Apoſtolicum Legatum illuc miſit. Sed qua de cauſa turbatæ iterum res Anglorum ſint, videri poteſt in Hiſtoricis. Verum illuc redeamus. Anno 1687. controverſiæ inter Regem Galliæ, & Sanctam Sedem auctæ ſunt: eoque ducta res eſt, ut Pontifex alterum edictum, de jure aſyli a Principum Legatis jactato, ederet, excommunicationis pœna ſibi reſervatæ, propoſita in controvenientes. Rex vero contra obſiſtere, & ne jure ſuo caderet, multa Legato per epiſtolas prædicere. Tandem ut animum, Legato fortaſſe inclinanti, faceret, Romam miſit Marchionem Lavardini, qui parvi pendens Pontificiam

ciam excommunicationis ſententiam, per ſummam impudentiam, in D. Ludovici Templo, Natalis Domini nocte, ad Sacram Synaxim acceſſit. Qua re a Pontifice cognita Templum interdixit, omnique ad ſe aditu prohibuit Marchionem. Hoc Pontifice, a Turcis obſidione oppreſſa eſt Auſtria, ſed ab hoſtibus, & periculo liberata eſt non tam Chriſtianorum Principum armis, quam precibus fuſis, votiſque pure conceptis ab Innocentio XI. Deceſſit anno 1689. ſalutatuſque eſt Pontifex Cardinalis Octobonus, nomine Alexandri VIII.

Eccleſiam adminiſtravit Alexander VIII. breviſſimo tempore, ſed breve illud tempus longum fuit, ſi ejus res geſtæ ſpectes. Non ſolum enim multas pravas propoſitiones damnavit, a Bernino notatas, verum etiam adverſus Gallicani Cleri comitia celebrem Conſtitutionem edidit. Quæ vero reliqua inſtituit, immaturo fato cedens, perficere non potuit. Obiit anno 1691. illumque excepit Cardinalis Pignatellus, qui Eccleſiam Lycienſem primum rexerat, vocatuſque eſt Innocentius XII.

Et sane non eſt ſine maxima laude is Pontifex memorandus, quippe qui paternam pietatem poſt hominum memoriam ſingularem, erga inopes demonſtravit, eoſque ſibi loco nepotum pene adrogavit; veris nepotibus ex ſanguine abdicatis, celebri bulla, quæ incipit: *Romanum decet*. Neque inter hos anguſtos fines zelum ſuum continuit. Etenim ſimul ac Pontificatum eſt adeptus, ad Imperatorem Leopoldum literas pacis ortatorias dedit. Cardinali Caſanattenſi cauſam commiſit ejectionis Quæſitoris Fidei, Epiſcopi Cavenſis a Comite S. Stephani tunc Neapoli Viceregis munus gerente, factæ, ut civibus de occultis hominum delationibus, querentibus, indulgeret. Verum Cardinalem primum admonuit, ut Hiſpaniarum Regi ſatisfaceret, nec Sanctæ Sedi minimum præjudicium inferret. Vetuit præterea ne munus Clericorum, qui Pontifici apparent, vulgo Clerici Cameræ, venderetur, neve Pareciæ penſionibus onerarentur. Gratiam reconciliationis pluries ex ſcripto lato, Apo-

ſtatis

ſtatis fecit. Se ſe oppoſuit, ne novus Imperii Elector inſtitueretur, nomine Signiferi, ſive, ut inquiunt, Confalonerii. Imperatori, ceteriſque Chriſtianis Principibus, auxilio, præſidioque fuit extremis temporibus, auro collato, ut ex literis hiſtoricis gallice ſcriptis habetur. Iiſdem in literis leguntur conventa cum Galliæ Rege, & formula a Galliæ Præſulibus ſubſcribenda, ut pluribus in altera Diſſertationis parte a nobis dictum eſt. Quapropter prætereunda cenſemus quæcunque in diuturna Janſeniſtarum propoſitionum contentione a Gallis inſtituta, factaque ſunt. Longum enim eſſet ſingula perſequi: hoc unum addimus: licet pro hac cauſa omnes quidem illius temporis Pontifices ſummam diligentiam demonſtraſſent; cum primis tamen eluxit Pontificis Innocentii XII. Zelus, & vigilantia. Verum ne innocentes etiam de hac re criminarentur, hæc verba in ſuo reſcripto appoſuit: *ne ulla ratione quemquam vaga iſta accuſatione, & invidioſo Janſeniſtarum nomine traduci, aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe legitime conſtiterit aliquam ex iis propoſitionibus docuiſſe, aut tenuiſſe*. Berninus in Innocentio XII.; præterea ad Lovanienſem Univerſitatem ſcripſit ſequendam omnino eſſe doctrinam Divi Auguſtini de Gratia. Multaque alia perfecit, quæ ejus ſempiternæ laudi cedent, donec hominum memoria ſtabit. Sed inter univerſas hujus Pontificis res geſtas, primas tulit ſemper pietas in Pauperes. Nullus itaque cujusvis ordinis ad eum acceſſit, cujus miſeriæ ab ipſo non ſubventum abunde eſſet. A fundamentis ædem excitavit pro viduis, atque pupillis mulieribus. Magnificentiſſime erexit Hoſpitium S. Michaëlis ad pueros inſtruendos, ibique plurima ſuæ maximæ pietatis æterna poſteris monumenta erunt: pro ſenibus enim Gerontocomia, pro debilibus Prochotrophia, & pro Orphanis Orphanotrophia univerſæ gentes admirantur. Obdormivit anno 1700. creatusque eſt Pontifex Cardinalis Albanus Clemens XI. dictus.

Hujus Pontificis res geſtæ ſex libris continentur a Cl. Viro Petro Polydori ſcriptis, editisque Urbini anno vulga-

ris Æræ 1727. ſed tamen hoc affirmo; quod nullius tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare Clementis XI. res geſtas poſſit. Quicquid enim ab Illo aut inſtitutum, aut perfectum eſt in ſuo Pontificatu, admirationem omnium ſeculorum, ne dum laudem mereri videtur. Et sane cum ad Transalpinos pervaſiſſet fama Cardinalem Albanum Pontificem creatum, Pontificatum capeſſere, tres ipſos dies, dubium hæſiſſe, commotum qua tanti gradus dignitate, qua modeſtia, & demiſſione animi ſui; Nonnulli licet e Novatorum numero tantum Pontificis facinus, non intermoritura memoria, ſignarunt. Enimvero ſicuti veteribus, quo memoranda facinora, omnium ſeculorum laudibus celebrarentur, numismata cudere mos fuit: ſic ipſi numis editis tantæ electionis laudes ſunt proſecuti. Viſitur enim Clementis XI. imago, Numismatis in fronte, hoc Carmine: Albanum coluere Patres nunc maxima rerum Roma colit. Clemens XI. Creatus XXIII. Novembris MDCC. A tergo numismatis Albanæ Gentis Stemma Pontificiis inſignibus, floribusque undequaque redimitum quatuor virtutibus adſtantibus Juſtitia, Pietate, Prudentia, Eruditione: Hoc Epigrammate: Flores mei fructus Honoris, & Honeſtatis. Explicat deinde Pontificis modeſtiam in detrectanda impoſita Dignitate, hoc emiſtichium Claudiani appoſitum: Solus meruit regnare rogatus. Quæ sane numismata a Novatoribus edita, ſummis ad Cœlum laudibus extollunt Clementem XI. Pontificem. Nemini enim, quod ſciam, Pontifici contigit, ut ab Hoſtibus quoque Romani nominis celebraretur. Sed vero vicit Clemens XI. hominum de se præconceptam opinionem, expectationemque rebus optime geſtis. Et quidem juſtitia tanta fuit, ut in diuturno viginti plus annorum Pontificatu, nullus unquam de illa queri potuerit. Tanta Pietate ut, cum Deceſſorem Pontificem, qui hujus virtutis altiſſimum gradum attigerat, ſibi ad imitandum propoſuiſſet, non cum Illo certare ſolum, verum etiam Illum longe ſuperare viſus fuit.

De

De ejus Prudentia vero uſurpabo, quod ſæpiſſime ab Innico Cardinali Caracciolo Epiſcopo Averſano acerrimo virtutum æſtimatori, dictum de hoc Pontifice accepi: Clementem XI. factum, vel potius natum ad Eccleſiam regendam difficillimis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus. Illius tandem eruditionem oſtendunt homiliæ, & orationes, ad Collegium Cardinalium habitæ (ut cetera ſileam) in quibus, quicquid eſt optimum in humanis, divinisque literis, quicquid eſt pulcherrimum in dicendi arte, quicquid eſt elegantius in Romana aureæ ætatis locutione, mirum in modum elucet. Sed nihil præclarius ejus mentem ad Eccleſiam adminiſtrandam factam, demonſtrat, quam acerrimum judicium in eligendis viris, ſortiendisque Provinciis. Nihil apud Illum commendatio valebat, nihil ſplendor familiæ, nihil ipſum ſanguinis vinculum; ad ſolam enim virtutem ſpectabat, ſolam virtutem honoris inſignibus ornatam volebat. Quamobrem ſemper Epiſcopos dixit, quorum doctrinam, & vitam bene moratam, perſpectam ipſe per se haberet: eos viros in Cardinalium Collegium cooptavit, quorum vitam, non ad virtutem informatam ſolum, ſed ipſius virtutis exemplum noſceret. Nepotes vero, quorum integritatem, probitatem, præſtantiamque in facultatibus, diſciplinisque univerſis optime cognoverat, omni aditu ſummi honoris, per aliquod tempus prohibuit; fortaſſe ut eorum exempla virtutis non ſolum in oculos bonorum, ſed malevolorum etiam incurrerent, omnesque vel inviti faterentur Clementem XI., non propinquitate, non natura, non ſanguine moveri, ſed ſubactæ virtutis exemplis, & rebus præclare geſtis. Et sane cum Cardinalem Hannibalem Albanum creavit (Alexandrum enim, licet ſummi honoris digniſſimum, Succeſſori honeſtandum reliquerat, fortaſſe ne collatæ dignitatis gloria Succeſſori prærepta videretur) omnes boni Illum, non quod ejuſdem Gentis, Pontificique cognatione conjunctum, purpura donatum, ſed jamdudum meritum, inſignibus dignitatis, ex propinquitate ſanguinis jamdudum privatum, aſſeverarunt. Pontifice Clemente exarſit controverſia de cultu

tu confucii Sinarum Philoſopho, quæ magni momenti res habita fuit teſte Chevigni. Ortum habuit hæc lis anno 1645. cum P. Morales e Dominicana Familia, facultatem a Sancta Sede obtinuit hujuſmodi cultum damnandi. Sed facultate revocata anno 1656. opera P. Martini Jeſuitæ, quod, ut inquiunt, res, diverſa ratione fuerit narrata, novamque ſpeciem induerit: controverſiæ quidem maximæ ſubito excitatæ ſunt, inter Dominicanos, & Jeſuitas: in diverſas ſententias, partibus diſcedentibus. Alii enim cultum Confucii nec lege vetitum, nec improbatum aſſerebant; Alii contra non improbatum modo aſſeverabant, ſed idolorum redolentem cultum. Multa hinc, inde, ſumma contentione ſcripta edita ſunt, atque inter diſputandum, ira, & vehementi cupiditate abrepti, maledictis mutuo se se impetere, peſſimo publico, cæperunt. Verum lis reſecata eſt graviſſima sententia Clementis confirmantis latum decretum a Sacra Congregatione anno 1704. quo improbata fuerat hujuſmodi cultus ſuperſtitio. Miſit deinde Pontifex in Sinam anno 1707. Cardinalem e Turena, ut populis errore implicitis, demonſtraret, quod eſſet hac de re Judicium Sanctæ Sedis. His feliciter geſtis, conſiderationum Moralium librum Pontifex damnat, nulla in ſingula capita errorum cenſura adjecta. Atque hoc novarum controverſiarum Seminarium fuit in Galliis. Illuc enim cenſura Pontificis importata, Facultates univerſæ, ſingulique literati homines totis viribus ſunt obnixi, ne in vulgus ederetur, neve acceptaretur, quippe qua, jura, & libertas Gallicanæ Eccleſiæ læderentur. Omnes enim norunt, Gallos id in animum, fortaſſe injuria, induxiſſe nullum Pontificis decretum in Galliis emanari poſſe, niſi a Supremo illius Regni Senatu examinetur primum, atque decernatur non eſſe adverſum privilegia Eccleſiæ Gallicanæ, quæ his duobus capitibus continentur: Pontificem nempe nullum omnino jus habere in rebus ad temporale Imperium Galliarum pertinentibus; nec Pontificum decretis adigi illud regnum, cum hæc decreta diverſa ſint a Canonibus veterum Eccleſiæ Concilio-

rum.

rum. Diſceſſere tamen aliquo modo, rerum ſollicitudines, Regia auctoritate interpoſita. Rex enim privilegium, & facultatem Typographis datam revocavit, atque a Pontifice, hanc rem petiit, ut ſingulis propoſitionibus virgula cenſoria apponeretur. Itaque Pontifex anno 1712. Congregatione inſtituta, rebuſque rite, recteque examinatis Bullam *Unigenitus*. Poſteriori anno tulit; damnavitque librum, & quæcumque ſcripta pro eo eſſent edita, vel in poſterum ederentur. Propoſitiones 101. ex libro depromſit, eaſdemque viginti quatuor cenſuris appoſitis, diris devovit. Neque tamen ſatisfactum omnino eſt Gallis cupientibus, ſingulas propoſitiones ſuis cenſuris notari. Itaque in Gallicanis Comitiis major Epiſcoporum pars cenſuit Bullam Pontificis recipiendam fore, ſed nonnullis explicationibus adjectis; uti factum eſt in literis Regiis, quibus Bullæ promulgatio indicta fuit. At vero neque hujuſmodi conditiones Cardinali de Noallies Lutetiæ Archiepiſcopo placuerunt: diſcedensque in alia omnia cum ſuæ factionis Epiſcopis, obfirmato animo in ſua ſententia contra Pontificem perduravit. Rex ut diſcordiarum cauſas, quantum poſſet ſubduceret, Pontificem eſt deprecatus, ut explicationes in Bulla a Cardinali appoſitas probaret, vel alias in earum locum ſufficeret. Verum quæ finis tantæ controverſiæ fuerit, jam ſupra a nobis notatum eſt. Satis diu naturæ, & gloriæ vixit Clemens XI. ſed Eccleſiæ, & Pontificatui certe parum.

Morbo abſumtus eſt laud. Pontifex anno 1721. Succeſſoremque habuit Innocentium XIII. cujus Pontificatus breviſſimo tempore eſt abſolutus, in ejuſque locum ſuffectus eſt anno 1724. Benedictus XIII. cujus ſanctiſſimam vitam Galli admirati, cauſas contentionum depoſuerunt, atque receperunt Bullam *Unigenitus*. Quæ etiam Bulla, Cardinalis Spinellus Neapolitanus Archiepiſcopus, totis viribus ſtuduit ut a Belgis apud quos legationem gerebat ſumma, qua par erat demiſſione acceptaretur. Paucis etiam verbis Benedictus XIII. Comachi lacum ad Eccleſiæ bona, pertinentem, ab Imperatore Carolo VI. in cujus poteſtatem

erat,

erat, obtinuit. Romanum Concilium habuit, in eoque multis ſtatutis, legibuſque latis ruentem in pejus diſciplinam Eccleſiæ, & collabentes Chriſtianorum mores, evexit. Xenodochium, ſive Leproſarium S. Gallicani illuſtravit. Sed longum eſſet hujus Pontificis, vel res geſtas numerare, vel sūmas ejus animi virtutes oratione complecti. Satis tamen arbitror pro immortali Sanctiſſimi hujus Pontificis laude, quod Illum Romanæ quoque Eccleſiæ hoſtes non laudarunt modo, ſed admirarunt, ut non immerito, quoſdam ex ultimis terrarum finibus, viros illuſtres, quos Roma ad ſui contemplationem trahere non potuit, pertraxerit Benedictus fama nominis ſui. Emigravit anno 1729. creatuſque eſt Pontifex Cardinalis Corſinus Florentinus Clemens XII. dictus.

Viget adhuc, atque ita infixa hæret omnium animis memoria Clementis XII. Pontificis, ut ejus res geſtæ pene adhuc ante oculos noſtros obverſentur. Nihil itaque opus eſt ejus laudes, ejuſque non intermoritura facinora commemorare. At vero ut narrationis inſtitutæ ordo obtineat in hoc etiam Pontifice, res pulcherrimas, atque innumerabiles, quas poſteritas alet, quas ipſa æternitas ſemper intuebitur, brevibus complectar. Et a principio quidem summum Sacerdotium adeptus, animum adjecit Urbi ornandæ, legibus, ac moribus. Summam prudentiæ vim demonſtravit in expeditione Hiſpaniarum copiarum; nullus enim virorum Principum, quamvis inter se armis contenderet, Pontificis fidem ſuſpectam habuit: Adeo ab omnibus ejus virtus ſpectata erat, ut ſuſpicione violari nequiret; ne in tranſitu quidem libere dato per fines Romanos, inſtructis copiis contendentibuſque Neapolim. Urbem autem novis ædificiis, Bibliothecis, Collegiis auxit, ornavitque. Pontificias ædes in Quirinali monte reſtituit, & expolivit. Rerum divinarum, diſciplinarumque univerſarum summam curam habuit. Ad barbaras gentes Verbi Dei Præconibus miſſis, illuc Evangelium prædicari ſtuduit. Armenorum Patriarcham summis beneficiis ita ſibi obſtrinxit, ut ille impium a Sacris Diptichis anathema contra Concilium Chalcedonenſe,

ſe, Sanctumque Pontificem Leonem Magnum deleri præceperit. Sanctiones multas tulit adverſus Epiſcopatuum Suburbicariorum translationes, de coërcendo luxu, de Sicariis, de Syrorum, Coptorum, Melchitarum, Abiſſinorum Monaſticis inſtitutis, de Comitiis Pontificiis. Carolum denique Borbonium Neapolitani Regni inveſtitura donavit anno 1738. Fato ceſſit anno 1740. Salutatuſque eſt Pontifex Cardinalis Proſper Lambertinus Bononienſis, appellatuſque eſt Benedictus XIV.

Devenit tandem Oratio ad Benedictum XIV. Pontificem Maximum, cujus laudes, atque res præclare geſtas multis proſequi perſuaderent, tum obſequium animi mei erga hujus Diſſertationis, quæcumque illa eſt, Patronum, & Vindicem, cum beneficia in me Fratremque meum Realinum Tafuri, quem inter ſuos Cubicularios honoris cooptare dignatus eſt. Sed vincet ſtudium, & voluntatem hac in re meam, modeſtia tua Benedicte XIV., quæ a laudibus abhorret aliorum, ſuis facinoribus æternitate dignis contenta. Itaque ut ordo inſtitutæ narrationis ſervetur, paucis rem abſolvemus: omnia enim complecti difficillimum eſſe negotium nos ipſi fatemur. Et quidem ſi nobiliſſimum Lambertinorum Genus, ſi Patriam, ſi Inſtitutionem, ſi Eruditionem omnigenam, ſi ſeveriores diſciplinas, ſi virtutes ſingulas, ſi vitam denique ipſam per univerſos honoris gradus in Urbis, Italiæque luce integerrime, eleganterque actam commemorare velimus, verendum ſit potius, ne nos materiæ, quam materia nobis in dicendo deficiat. Itaque non ſumus prædicaturi quanta dexteritate, dignitate, felicitate, ſumma Eccleſiæ Romanæ negotia Privatus perfecerit; quot provincias, & quales obtinuerit, in eiſque procurandis, quantam conſilii integritatem, ingenii vim, virtutum omnium excellentiam, ad Pontificia jura defendenda, ſervanda, augenda demonſtraverit. Magna quidem hæc, atque ad quemcumque alium virum apud poſteros illuſtrandum, ſumma. Sed vix digna, quæ inter Pontificis Benedicti XIV. res geſtas enarrentur. Fuerunt enim illa facinora Proſperi Lambertini, inſitam

virtutem exercentis, vitamque ſibi ſternetis ad præclara omnia, in Pontificatu gerenda. Profecto, cum divinæ providentiæ conſilio decretum eſſet, ut ad Eccleſiæ gubernacula admoveretur, neceſſe fuerat ut multo ante tempore, mente inſtructus, animoque conformatus ad capeſſendam Chriſtianam Rempublicam veniret; ad eamque totum rei gerendæ ordinem, ac rationem meditatam afferret. Itaque Pontificatum nactus, ingenti omnium ordinum lætitia, quam paraverat virtutum ſupellectilem exeruit, bonoſque omnes ad ſpem firmiſſimam erexit; jam inſtare diem, quum Gregorii Magni, Urbani II., Innocentii VI. & Leonis X. tempora redirent. Et ſane ut Eccleſiæ regnum ſibi recens adeptum conſtitueret, ornaretque uſus divina vi, quæ ſua eſt, ingenii, atque prudentiæ, religionem afferendam, & ſcientias, eas præſertim Eccleſiaſticis viris dignas, cenſuit. His enim veluti duobus firmiſſimis Chriſtiani Orbis cardinibus, conſtitutis, facilius, quæ reliqua ſunt, & ordinari, & regi perſuaſum eſt ſapientibus. Quamobrem ſcientiarum cultores, & a ſe diligi, & apud ſe gratia valere, eorumque rationem ſe habiturum in Provinciis ſortiendis, in muneribus, Sacerdotiis, dignitatibus concedendis edixit. Icciroo inviſit ſæpiſſime Vaticanam, ceteraſque Urbis celebriores Bibliothecas, omneſque exemplo ſuo ad literarum ſtudium inflammat. Sed quid de Religione dicam? Jam tum enim, cum in Cathedra Beatiſſimi Petri conſedit quam unice ſemper dilexit pietatem, in ſocietatem Imperii adſcivit. Hæc una noctuque diuque Illius menti obverſatur, in hanc oculos defigit, ut ad illius exemplum ſe totum, univerſumque Chriſtianum Orbem conformet. Teſtes ſint ejus ſanctiſſimæ leges, ejuſque ſaluberrima edicta promulgata adverſus Epiſcopos a ſuis ſedibus abſentes. Teſtes Illius eloquentiſſimi ſermones ad Parochos Urbis habitos, ut ipſos in officio contineret. Teſtis Congregatio Cardinalium, nunc primum conſtituta ad ambitum Illorum compeſcendum, qui nullo ſuarum virium periculo facto, petunt Epiſcopatum, onus Angelicis etiam humeris formidandum. Teſtis denique ſui

Apo-

Apoſtolici Regni Miniſtrorum atque Adjutorum electio. Poteratne meliores, sapientiores, magis ſtrenuos, magisve lectos viros deſignare? Talibus itaque tantiſque viris ſumma rerum divinarum, humanarumque scientia præditis Adminiſtris, res præclariſſimas, atque eximias, quas Ipſe ſecum meditatur, Benedictum, ad sui Pontificatus memoriam ſempiternam, præſtiturum, & confidimus, & optamus.

F I N I S.

Quæ

Quæ Typographi oſcitantia in hoc opuſculum.

Sphalmata irrepſere	*ſic Emendato.*
Pag.7. deterere	deterrere
pag.8. quidquid	quicquid
pag.10. Charitatis aliorumque	Caritatis aliarumque
pag.17. Hieroſolimæ	Hieroſolymæ
pag.26. ad quod vult Deus	Ad Quod vult Deus
pag.74. Paſec	Peſach
pag.141. Dogmat. Hiſtoria	Dogmat. Hiſtoric.
pag. 235. Cap. Quia ſancta Diſt.23.	Cap. Quia ſancta Diſt.63.
pag.242. annum ætatis decimumquintum	annum ætatis vigeſimumquintum
pag.317. ſervitum	ſcevitum
pag. 177. errores	erroribus
pag.177. Babilonia	Babylonia
pag. 94. Theſaurum, Cultum	Theſauri Cumulum,

Si qua vero reliqua erunt correctione digna, humani, & ſapientis Lectoris judicio ſubjicimus.

VA1
1530169

~~82~~
~~C.~~
~~58~~

80
J
35